

UNIVERSITY OF TORONTO



3 1761 00004233 3







T. LIVII PATAVINI
HISTORIARUM

TOMUS III



LIB. XXVII.—XXXVI.

1
1788 DE 2

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

QUÆ SUPERSUNT,

EX RECENSIONE

ARN. DRAKENBORCHII.

CUM INDICE RERUM.

ACCEDUNT

GENTES ET FAMILIÆ ROMANORUM,

AUCTORE R. STREINNIO.

NEC NON

ERNESTI GLOSSARIUM LIVIANUM,

AUCTIUS NONNIHIL, ET IN LOCIS QUAMPLURIMIS

EMENDATUM.



TOMUS III.



OXONII,

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO.

MDCCCXIII.

594

PA
6452
A2
1800
t.3

T. LIVII PATAVINI
HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBRI.

EPITOME LIBRI XXVII.

CN. *FULVIUS* proconsul cum exercitu ab Hannibale ad Herdoneam cæsus est. Meliore eventu a Claudio Marcello consule adversus eundem ad Numistronem pugnatum est: inde Hannibal noctu recessit. Marcellus insecutus est, et subinde cedentem pressit, donec confligeret: priore pugna Hannibal superior fuit, Marcellus insequenti. Fabius Maximus pater consul Tarentinos per proditionem recepit. In Hispania ad Bæculam Scipio cum Hasdrubale Hamilcaris confixit, et vicit: inter alia captum puerum regalem eximiæ formæ ad avunculum Masinissam cum donis dimisit. Claudius Marcellus, T. Quinctius Crispinus consules, speculandi causa progressi e castris, insidiis ab Hannibale circumventi sunt. Marcellus occisus fuit, Crispinus fugit. Res præterea a P. Sulpicio prætore adversus Philippum et Achæos gestas continet. Lustrum a censoribus conditum est: censa sunt civium capita centum triginta septem millia centum et octo: ex quo

numero adparuit, quantum hominum tot præliorum adversa fortuna populo Romano abstulisset. Hasdrubal, qui cum exercitu novo transcenderat Alpes, ut se Hannibali conjungeret, cum millibus hominum quinquaginta sex cæsus est, M. Livii consulis ductu, sed non minore opera Claudii Neronis consulis: qui, quum Hannibali obpositus esset, relictis castris, ita ut hostem falleret, cum electa manu profectus, Hasdrubalem circumvenit.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XXVII.

HIC status rerum Hispaniæ erat. In Italia con-
sul Marcellus, Salapia per proditionem recepta, U. C. 542.
A. C. 210. Maroneam et Meles de Samnitibus vi cepit. Ad tria millia militum ibi Hannibalis, quæ præsidii causa relicta erant, obpressa. Præda (et aliquantum ejus fuit) militi concessa: tritici quoque ducenta quadraginta millia modiûm, et centum decem millia hordei inventa. Ceterum nequaquam inde tantum gaudium fuit, quanta clades intra paucos dies accepta est, haud procul ab Herdonea urbe. Castra ibi Cn. Fulvius Fulvius proconsul habebat, spe recipiendæ Herdoneæ, quæ post Cannensem cladem ab Romanis defecerat, nec loco satis tuto posita, nec præsidiis ab Hannibale victus ad Herdoneam. firmata. Negligentiam insitam ingenio ducis augebat spes ea, quod labare iis adversus Pœnum fidem senserat, postquam, Salapia amissa, excessisse his locis in Bruttios Hannibalem auditum est. Ea omnia, ab Herdonea per occultos nuncios delata Hannibali, simul curam sociæ retinendæ urbis, et spem fecere incautum hostem adgrediendi: exercitu expedito, ita ut famam prope præveniret, magnis itineribus ad Herdoneam contendit, et, quo plus terroris hosti objiceret, acie instructa accessit. Par audacia Romanus, consilio et viribus inpar, copiis raptim eductis, conflixit: quinta legio et sinistra ala

U. C. 542. acriter pugnam inierunt. Ceterum Hannibal, signo
 A. C. 210. equitibus dato, ut, quum pedestres acies occupassent
 præsentī certamine oculos animosque, circumvecti,
 pars castra hostium, pars terga trepidantium invade-
 rent, ipse in Fulvii similitudinem nominis, quod Cn.
 Fulvium prætorem biennio ante in iisdem devicerat
 locis, increpans, similem eventum pugnae fore adfir-
 mabat. Neque ea spes vana fuit: nam, quum co-
 minus acie et peditum certamine multi cecidissent
 Romanorum, starent tamen ordines signaque, eque-
 stris a tergo tumultus, simul a castris clamor hostilis
 auditus, sextam ante legionem, quæ, in secunda acie
 posita, prior ab Numidis turbata est; quintam deinde
 atque eos, qui ad prima signa erant, avertit. Pars
 in fugam effusi, pars in medio cæsi: ubi et ipse Cn.
 Fulvius cum undecim tribunis militum cecidit. Ro-
 manorum sociorumque quot cæsa in prælio millia
 sint, quis pro certo adfirmet? quum tredecim millia
 alibi, alibi haud plus, quam septem, inveniam. Cas-
 tris prædaque victor potitur. Herdoneam, quia et
 defecturam fuisse ad Romanos comperit, nec man-
 suram in fide, si inde abscessisset, multitudine omni
 Metapontum ac Thurios traducta, incendit: occidit
 principes, qui cum Fulvio conloquia occulta habuisse
 comperti sunt. Romani, qui ex tanta clade evase-
 rant, diversis itineribus semerme ad Marcellum con-
 sulem in Samnium perfugerunt.

II. Marcellus, nihil admodum tanta clade territus,
 literas Romam ad senatum de duce et exercitu ad
 Herdoneam amisso scribit: *ceterum, eundem se, qui
 post Cannensem pugnam ferocem victoria Hannibalem
 contudisset, ire adversus eum, brevem illi letitiam, qua
 exsultet, facturum.* Et Romæ quidem quum luctus

ingens ex præterito, tum timor in futurum erat. U. C. 542.
 Consul, ex Samnio in Lucanos transgressus, ad Numistronem in conspectu Hannibalis loco plano, A. C. 210.
 quum Pœnus collem teneret, posuit castra. Addidit
 et aliam fidentis speciem, quod prior in aciem eduxit:
 nec detractavit Hannibal, ut signa portis efferri vi-
 dit. Ita tamen aciem instruxerunt, ut Pœnus dex-
 trum cornu in collem erigeret, Romani sinistrum ad
 oppidum adplicarent. Ab hora tertia quum ad noc-
 tem pugnam extendissent, fessæque pugnando primæ
 acies essent, ab Romanis prima legio et dextera ala,
 ab Hannibale Hispani milites et funditor Baliaris,
 elephantum quoque, commisso jam certamine, in præ-
 elium acti. Diu pugna neutro inclinata stetit. Primæ
 legioni tertia, dexteræ alæ sinistra subiit, et apud
 hostes integri a fessis pugnam acceperunt. Novum
 atque atrox prælium ex tam segni repente exarsit,
 recentibus animis corporibusque: sed nox incerta
 victoria diremit pugnantes. Postero die Romani ab
 sole orto in multum diei steterunt in acie: ubi nemo
 hostium adversus prodiit, spolia per otium legere, et
 congestos in unum locum cremavere suos. Nocte
 insequenti Hannibal silentio movit castra, et in Apu-
 liam abiit: Marcellus, ubi lux fugam hostium ape-
 ruit, sauciis cum præsidio modico Numistrone re-
 lictis, præpositoque his L. Furio Purpureone tribuno
 militum, vestigiis institit sequi. Ad Venusiam adep-
 tus eum est. Ibi per dies aliquot quum ab stationi-
 bus procursaretur, mixta equitum peditumque tu-
 multuosa magis prælia, quam magna, et ferme omnia
 Romanis secunda fuerunt. Inde per Apuliam ducti
 exercitus sine ullo memorando certamine; quum
 Hannibal nocte signa moveret, locum insidiis quæ-

Marcelli
 adversus
 Hanniba-
 lem pugna.

U. C. 542. rens; Marcellus, nisi certa luce, et explorato ante,
A. C. 210. non sequeretur.

Conjura-
tio Cam-
panorum.

III. Capuæ interim Flaccus dum bonis principum vendendis, agro, qui publicatus fuerat, locando (locavit autem omnem frumento) tempus terit; ne deesset materia in Campanos sæviendi, novum in occulto gliscens per indicium protractum est facinus. Milites ædificiis emotos, simul ut cum agro tecta urbis fruenda locarentur, simul metuens, ne suum quoque exercitum, sicut Hannibalis, nimia urbis amœnitas emolliret, in portis murisque sibimet ipsos tecta militariter coëgerat ædificare: erant autem pleraque ex cratibus aut tabulis facta, alia arundine texta, stramento intecta omnia, velut de industria, alimentis ignis. Hæc noctis una hora ut omnia incenderent, centum septuaginta Campani, principibus fratribus Biosiis, conjuraverant: indicio ejus rei ex familia Biosiorum facto, portis repente jussu proconsulis clausis, quum ad arma signo dato milites concurrissent; comprehensi omnes, qui in noxa erant, et, quæstione acriter habita, damnati necatique: indicibus libertas, et æris dena millia data. Nucernos et Acerranos querentes, ubi habitarent, non esse, Acerris ex parte incensis, Nuceria deleta, Romam Fulvius ad senatum misit. Acerranis permissum, ut ædificarent, quæ incensa erant: Nucerni Atellam, quia id maluerant, (Atellanis Calatiam migrare jussis) traducti. Inter multas magnasque res, quæ, nunc secundæ, nunc adversæ, occupabant cogitationes hominum, ne Tarentinæ quidem arcis excidit memoria. M. Ogulnius et P. Aquillius in Etruriam legati ad frumentum coëmendum, quod Tarentum portaretur, profecti: et mille milites de exercitu urbano,

par numerus Romanorum sociorumque, eodem in præsidium cum frumento missi sunt.

U. C. 542.
A. C. 210.

IV. Jam æstas in exitu erat, comitiorumque consularium instabat tempus : sed literæ Marcelli, negantis e republica esse, vestigium abscedi ab Hannibale, cui cedenti certamenque abnuenti gravis ipse instaret, curam injecerant, ne aut consulem, tum maxime res agentem, a bello avocarent, aut in annum consules deessent. Optimum visum est, quamquam extra Italiam esset, Valerium potius consulem ex Sicilia revocari. Ad eum literæ jussu senatus ab L. Manlio prætore urbis missæ, cum literis consulis M. Marcelli : ut ex iis nosceret, quæ caussa Patribus eum potius, quam collegam, revocandi ex provincia esset. Eo fere tempore legati ab rege Syphace Romanam venerunt, quæ is prospera prælia cum Karthaginiensibus fecisset, memorantes. *Regem nec inimiciorem ulli populo, quam Karthaginensi, nec amicio-rem, quam Romano, adfirmabant esse : misisse eum antea legatos in Hispaniam ad Cn. et P. Cornelios, imperatores Romanos : nunc ab ipso velut fonte petere Romanam amicitiam voluisse.* Senatus non legatis modo benigne respondit, sed et ipse legatos cum donis ad regem misit, L. Genucium, P. Pœtelium, P. Popillium. Dona tulere, togam, et tunicam purpuream, sellam eburneam, pateram ex quinque pondo auri factam. Protinus et alios Africæ regulos jussi adire : iis quoque quæ darentur, portata, togæ prætextæ, et terna pondo pateræ aureæ. Et Alexandriam ad Ptolemæum Cleopatramque reges M. Attilius et M. Acilius legati, ad commemorandam renovandamque amicitiam missi, dona tulere, regi togam et tunicam purpuream cum sella eburnea ; reginæ,

Marcellus
instat Han-
nibali.

Syphacis
legati ad
Romanos.

Rom. legati
Alexandri-
am missi.

U. C. 542. pallam pictam cum amiculo purpurco. Multa ea æ-
 A. C. 210. state, qua hæc facta sunt, ex propinquis urbibus a-
 grisque nunciata sunt prodigia; Tusculi agnum cum
 ubere lactenti natum: Jovis ædis culmen fulmine
 ictum, ac prope omni tecto nudatum: iisdem ferme
 diebus, Anagninæ terram ante portam ictam, diem ac
 noctem sine ullo ignis alimento arsisse: et aves, ad
 compitum Anagninum, in luco Dianæ nidos in arbo-
 ribus reliquisse: Tarracinæ in mari haud procul por-
 tu angues magnitudinis miræ, lascivientium piscium
 modo exsultasse: Tarquiniis porcum cum ore huma-
 no genitum: et in agro Capenate, ad lucum Fero-
 niæ, quatuor signa sanguine multo diem ac noctem
 sudasse. Hæc prodigia hostiis majoribus procurata
 decreto pontificum: et supplicatio diem unum Ro-
 mæ ad omnia pulvinaria, alterum, in Capenate agro,
 ad Feroniæ lucum, indicta.

V. M. Valerius consul literis excitus, provincia ex-
 ercituque mandato Cincio prætori, M. Valerio Mes-
 salla præfecto classis cum parte navium in Africam
 prædatum simul speculatumque, quæ populus Kar-
 thaginiensis ageret pararetque, misso, ipse decem
 navibus Roman profectus quum prospere pervenis-
 set, senatum extemplo habuit: ibi de suis rebus
 gestis commemoravit. *Quum annos prope sexaginta
 in Sicilia terra marique sæpe magnis cladibus bellatum
 esset, se eam provinciam confecisse: neminem Kartha-
 giniensem in Sicilia esse: neminem Siculum, qui metu
 inde fugati afuerint, non esse: omnes in urbes, in agros
 suos reductos, arare, serere: desertam recoli tandem
 terram, frugiferam ipsis cultoribus, populoque Romano
 pace ac bello fidissimum annonæ subsidium. Exin Mu-
 tine, et si quorum aliorum merita erga populum Ro-*

manum erant, in senatum introductis, honores omnibus, ad exsolvendam fidem a consule, habiti. Mutines etiam civis Romanus factus, rogatione ab tribuno plebis, ex auctoritate Patrum, ad plebem lata. Dum hæc Romæ geruntur, M. Valerius Messalla quinquaginta navibus quum ante lucem ad Africam accessisset, improviso in agrum Uticensem excensionem fecit: eumque late depopulatus, multis mortalibus cum alia omnis generis præda captis, ad naves rediit, atque in Siciliam transmisit: tertio decimo die, quam profectus inde erat, Lilybæum revector. Ex captivis, quæstione habita, hæc comperta, consuli que Lævino omnia ordine perscripta, ut sciret, quo in statu res Africæ essent. *Quinque millia Numidarum cum Masinissa, Galæ filio, acerrimo juvene, Karthagine esse; et alios per totam Africam milites mercede conducere, qui in Hispaniam ad Hasdrubalem trajicerentur: ut is, quam maximo exercitu primo quoque tempore in Italiam transgressus, jungeret se Hannibali: in eo positam victoriam credere Karthaginenses. Classem præterea ingentem adparari ad Siciliam repetendam, eamque se credere brevi trajecturam.* Hæc recitata a consule ita movere senatum, ut non exspectanda comitia consuli censerent, sed dictatorem comitiorum habendorum causa dici, et extemplo in provinciam redeundum. Illa disceptatio tenebat, quod consul in Sicilia se M. Valerium Messallam, qui tum classi præesset, dictatorem dicturum esse aiebat: Patres extra Romanum agrum (eum autem in Italia terminari) negabant dictatorem dici posse. M. Lucretius tribunus plebis quum de ea re consuleret, ita decrevit senatus, *Ut consul prius, quam ab urbe discederet, populum rogaret, quem dictatorem dici placeret; eumque,*

Concertatio
de dictatore
dicendo.

U. C. 542. *quem populus jussisset, diceret dictatorem. Si consul*
 A. C. 210. *noluisset, prætor populum rogaret: si ne is quidem vel-*
let, tum tribuni ad plebem ferrent. Quum consul se
populum rogaturum negasset, quod suæ potestatis
esset, prætoremque vetuisset rogare; tribuni plebis
rogarunt, plebesque scivit, ut Q. Fulvius, qui tum ad
Capuam erat, dictator diceretur: sed, quo die id
plebis concilium futurum erat, consul clam nocte in
Siciliam abiit: destitutique Patres literas ad M. Clau-
dium mittendas censuerunt, ut desertæ ab collega rei-
publicæ subveniret, diceretque, quem populus jus-
 Q. Fulvius *sisset, dictatorem. Ita a M. Claudio consule Q. Ful-*
 dictator. *vius dictator dictus, et ex eodem plebiscito et ab Q.*
Fulvio dictatore P. Licinius Crassus pontifex maxi-
mus magister equitum dictus.

VI. Dictator postquam Romam venit, Cn. Sempronium Blæsum legatum, quem ad Capuam habuerat, in Etruriam provinciam ad exercitum misit, in locum C. Calpurnii prætoris; quem, ut Capuæ exercituique suo præesset, literis excivit. Ipse comitia, in quem diem primum potuit, edixit: quæ, certamine inter tribunos dictatoremque injecto, perfici non potuerunt. Galeria juniorum, quæ sorte prærogativa erat, Q. Fulvium et Q. Fabium consules dixerat, eodemque jure vocatæ inclinassent, nisi tribuni plebis C. et L. Arennii se interposuissent: qui, *neque magistratum continuari satis civile esse, aiebant; et multo fædioris exempli, eum ipsum creari, qui comitia haberet. Itaque, si suum nomen dictator acciperet, se comitiis intercessuros: si aliorum, præterquam ipsius, ratio haberetur, comitiis se moram non facere.* Dictator causam comitorum auctoritate senatus, plebiscito, exemplis tutabatur. *Namque, Cn. Servilio con-*

sule, quum C. Flaminius alter consul ad Trasimenum cecidisset, ex auctoritate Patrum ad plebem latum, plebemque scivisse, ut, quoad bellum in Italia esset, ex iis, qui consules fuissent, quos et quoties vellet, reficiendi consules populo jus esset: exemplumque eam in rem se habere vetus L. Postumii Megelli, qui interrex iis comitiis, quæ ipse habuisset, consul cum C. Junio Bubulco creatus esset; recens Q. Fabii, qui sibi continuari consulatum, nisi id bono publico fieret, profecto numquam sivisset. His orationibus quum diu certatum esset, postremo ita inter dictatorem ac tribunos convenit, ut eo, quod censuisset senatus, staretur. Patribus id tempus reipublicæ visum est, ut per veteres, et expertos, bellique peritos imperatores respublica gereretur: itaque moram fieri comitiis non placere. Concedentibus tribunis, comitia habita. Declarati consules Q. Fabius Maximus quintum, Q. Fulvius Flaccus quartum. Prætores inde creati, L. Veturius Philo, T. Quinctius Crispinus, C. Hostilius Tubulus, C. Aurunculeius. Magistratibus in annum creatis, Q. Fulvius dictatura se abdicavit. Extremo ætatis hujus classis Punica navium quadraginta, cum præfecto Hamilcare in Sardiniam trajecta, Olbiensem primo, dein, postquam ibi P. Manlius Vulso prætor cum exercitu adparuit, circumacta inde ad alterum insulæ latus, Caralitanum agrum vastavit, et cum præda omnis generis in Africam rediit. Sacerdotes Romani eo anno mortui aliquot subfectique. C. Servilius Pontifex factus in locum T. Otacilii Crassi. Ti. Sempronius Ti. F. Longus augur factus in locum T. Otacilii Crassi. Decemvir item sacris faciundis in locum Ti. Sempronii C. F. Longi Ti. Sempronius Ti. F. Longus subfectus. M. Marcius rex sacrorum

U. C. 542. mortuus est, et M. Æmilius Papus maximus curio :
 A. C. 210. neque in eorum locum sacerdotes eo anno subfecti.
 Et censores hic annus habuit L. Veturium Philo-
 nem et P. Licinium Crassum, maximum pontificem.
 Crassus Licinius nec consul, nec prætor ante fuerat,
 quam censor est factus : ex ædilitate gradum ad cen-
 suram fecit. Sed hi censores neque senatum legerunt,
 nec quidquam publicæ rei egerunt : mors diremit L.
 Veturii : inde et Licinius censura se abdicavit. Ædi-
 les curules L. Veturius et P. Licinius Varus ludos
 Romanos diem unum instaurarunt. Ædiles plebis
 Q. Catius et L. Porcius Licinus ex multatio argen-
 to signa ænea ad Cereris dedere : et ludos, pro tem-
 poris ejus copia, magnifici adparatus fecerunt.

Lælius ex
 Hispania
 Romam
 venit.

VII. Exitu anni hujus, die quarto et tricesimo,
 quam ab Tarracone profectus erat, C. Lælius legatus
 Scipionis Romam venit : isque, cum agmine captivo-
 rum ingressus urbem, magnum concursum hominum
 fecit. Postero die in senatum introductus, captam
 Karthaginem, caput Hispaniæ, uno die, receptasque
 aliquot urbes, quæ defecissent, novasque in societa-
 tem adscitas, exposuit. Ex captivis comperta his
 fere congruentia, quæ in literis fuerant M. Valerii
 Messallæ. Maxime movit Patres Hasdrubalis trans-
 itus in Italiam, vix Hannibali atque ejus armis sub-
 sistentem. Productus et in concionem Lælius eadem
 edisseruit. Senatus ob res feliciter a P. Scipione
 gestas supplicationem in unum diem decrevit. C.
 Lælium primo quoque tempore, cum quibus venerat
 navibus, redire in Hispaniam jussit. Karthaginis
 expugnationem in hunc annum contuli, multis auc-
 toribus ; haud nescius, quosdam esse, qui anno in-
 sequenti captam tradiderint : quod mihi minus si-

mile veri visum est, annum integrum Scipionem nihil gerundo in Hispania consumsisse. Q. Fabio Maximo quintum, Q. Fulvio Flacco quartum consulibus, Idibus Martiis, quo die magistratum inierunt, Italia ambobus provincia decreta; regionibus tamen partitum imperium: Fabius ad Tarentum, Fulvius in Lucanis ac Bruttis rem gereret. M. Claudio prorogatum in annum imperium. Prætores sortiti provincias: C. Hostilius Tubulus urbanam, L. Veturius Philo peregrinam cum Gallia, T. Quinctius Crispinus Capuam, C. Aurunculeius Sardiniam. Exercitus ita per provincias divisi. Fulvio duæ legiones, quas in Sicilia M. Valerius Lævinus haberet: Q. Fabio, quibus in Etruria C. Calpurnius præfuisset, decretæ. Exercitus urbanus ut in Etruriam succederet: C. Calpurnius eidem præesset provinciæ exercituique: Capuam exercitumque, quem Q. Fulvius habuisset, T. Quinctius obtineret. C. Hostilius ab C. Lætorio proprætore provinciam exercitumque, qui tum jam Arimini erat, acciperet. M. Marcello, quibus consul bene rem gesserat, legiones decretæ. M. Valerio cum L. Cincio (his quoque est enim prorogatum in Sicilia imperium) Cannensis exercitus datus: eumque supplere ex militibus, qui ex legionibus Cn. Fulvii superessent, jussi. Conquisitos eos consules in Siciliam miserunt: additaque eadem militiæ ignominia, sub qua Cannenses militabant, quique ex prætoris Cn. Fulvii exercitu, ob similis iram fugæ, missi eo ab senatu fuerant. C. Aurunculeio eadem in Sardinia legiones, quibus P. Manlius Vulso eam provinciam obtinuerat, decretæ. P. Sulpicio, eadem legione eademque classe Macedoniam obtinere jusso, prorogatum in annum imperium: triginta quinque-

U. C. 543.
A. C. 209.

U. C. 543. remes ex Sicilia Tarentum ad Q. Fabium consulem
 A. C. 209. mitti jussæ: cetera classe prædatum in Africam aut
 ipsum M. Valerium Lævinum trajicere; aut mittere,
 seu L. Cincium, seu M. Valerium Messallam. Nec
 de Hispania quidquam mutatum, nisi quod non in
 annum Scipioni Silanoque, sed, donec revocati ab
 senatu forent, prorogatum imperium est. Ita pro-
 vinciaë exercituumque in eum annum partita imperia.

VIII. Inter majorum rerum curas comitia maximi
 curionis, quum in locum M. Æmilii sacerdos create-
 tur, vetus excitaverunt certamen; patriciis neganti-
 bus C. Mamili Vituli, qui unus ex plebe petebat,
 habendam rationem esse, quia nemo ante eum, nisi
 ex Patribus, id sacerdotium habuisset. Tribuni ad-
 pellati ad senatum rejecerunt. Senatus populi po-
 testatem fecit. Ita primus ex plebe creatus maxi-
 mus curio C. Mamilius Vitulus. Et flaminem Dia-
 lem invitum inaugurari coëgit P. Licinius pontifex
 maximus C. Valerium Flaccum. Decemvir sacris
 faciundis creatus in locum Q. Mucii Scævolaë demor-
 tui C. Lætorius. Caussam inaugurari coacti flami-
 nis libens reticuissem, ni ex mala fama in bonam
 vertisset. Ob adolescentiam negligentem luxurio-
 samque C. Flaccus flamen captus a P. Licinio ponti-
 fice maximo erat, L. Flacco fratri germano cogna-
 tisque aliis ob eadem vitia invisus. Is, ut animum
 ejus cura sacrorum et ceremoniarum cepit, ita re-
 pente exiit antiquos mores, ut nemo tota juventute
 haberetur prior, nec probatior primoribus Patrum,
 suis pariter alienisque, esset. Hujus famæ consensu
 elatus ad justam fiduciam sui, rem intermissam per
 multos annos ob indignitatem flaminum priorum re-
 petivit, ut in senatum introiret. Ingressum eum cu-

riam quum L. Licinius prætor inde eduxisset, tribunos plebis adpellavit flamen. Vetustum jus sacerdotii repetebat: datum id cum toga prætexta, et sella curuli, et flaminio esse. Prætor, non exoletis vestustate annalium exemplis stare jus, sed recentissimæ cujusque consuetudinis usu, volebat: nec patrum, nec avorum memoria Dialei quemquam id jus usurpasse. Tribuni, rem inertia flaminum oblitteratam ipsis, non sacerdotio, damno fuisse, quum æquum censuissent, ne ipso quidem contra tendente prætore, magno adsensu Patrum plebisque, flaminem in senatum introdaxerunt; omnibus ita existimantibus, magis sanctitate vitæ, quam sacerdotii jure, rem eam flaminem obtinuisse. Consules prius, quam in provincias irent, duas urbanas legiones; in supplementum, quantum opus erat ceteris exercitibus militum, scripserunt. Urbanum veterem exercitum Fulvius consul C. Fulvio Flacco legato (frater hic consulis erat) in Etruriam dedit ducendum, et legiones, quæ in Etruria erant, Romam deducendas. Et Fabius consul reliquias exercitus Fulviani conquistis (fuere autem ad tria millia trecenti triginta sex) Q. Maximum filium ducere in Siciliam ad M. Valerium proconsulem jussit: atque ab eo duas legiones et triginta quinquereimes accipere. Nihil hæeeductæ ex insula legiones minuerunt nec viribus nec specie ejus provinciæ præsidium: nam quum, præter egregie suppletas duas veteres legiones, transfugarum etiam Numidarum equitum peditumque magnam vim haberet, Siculos quoque, qui in exercitu Epicydis aut Pœnorum fuerant, belli peritos viros, milites scripsit. Ea externa auxilia quum singulis Romanis legionibus adjunxisset, duorum speciem exercituum

U. C. 543.

A. C. 209.

C. Valerius

jure sacer-

dotii sena-

tum in-

greditur.

U. C. 542. servavit : altero L. Cincium partem insulæ, qua reg-
 A. C. 209. num Hieronis fuerat, tueri jussit ; altero ipse cete-
 ram insulam tuebatur, divisam quondam Romani
 Punicique imperii finibus ; classe quoque navium
 septuaginta partita, ut omni ambitu litorum præsidia
 oræ maritimæ essent. Ipse cum Mutinis equitatu
 provinciam peragrabat, ut viseret agros, cultaque ab
 incultis notaret, et perinde dominos laudaret casti-
 garetque. Ita tantum ea cura frumenti provenit, ut
 et Romam mitteret, et Catanam conveheret, unde
 exercitui, qui ad Tarentum æstiva acturus esset,
 posset præberi.

Querelæ
 sociorum
 et Latini
 nominis.

IX. Ceteram transportati milites in Siciliam (et
 erant major pars Latini nominis sociorumque) pro-
 pe magni motus causa fuere : adeo ex parvis sæpe
 magnarum momenta rerum pendent. Fremitus enim
 inter Latinos sociosque in conciliis ortus : *Decimum*
annum delectibus, stipendiis exhaustos esse : quotannis
ferme clade magna pugnare. Alios in acie occidi, alios
morbo absumi : magis perire sibi civem, qui ab Romano
miles lectus sit, quam qui a Pæno captus : quippe ab
hoste gratis remitti in patriam ; ab Romanis extra Ita-
liam in exilium verius, quam in militiam, ablegari.
Octavum jam ibi annum senescere Cannensem militem,
moriturum ante, quam Italia hostis (quippe nunc quum
maxime florens viribus) excedat. Si veteres milites non
redeant in patriam, novi legantur, brevi neminem su-
perfuturum. Itaque, quod prope diem res ipsa nega-
tura sit, priusquam ad ultimam solitudinem atque ege-
statem perveniant, negandum populo Romano esse. Si
consentientes in hoc socios videant Romani, profecto de
pace cum Karthaginiensibus jungenda cogitaturos : ali-
ter numquam, vivo Hannibale, sine bello Italiam fore.

Hæc acta in conciliis. Triginta tum coloniæ populi Romani erant: ex iis duodecim, quum omnium legationes Romæ essent, negaverunt consulibus esse, unde milites pecuniamque darent. Eæ fuere Ardea, Nepete, Sutrium, Alba, Carseoli, Cora, Suessa, Circeii, Setia, Cales, Narnia, Interamna. Nova re consules icti, quum abstertere eos a tam detestabili consilio vellent, castigando increpandoque plus, quam leniter agendo, profecturos rati, eos ausos esse consulibus dicere, aiebant, quod consules, in senatu ut pronuntiarent, in animum inducere non possent: non enim detractationem eam munerum militiæ, sed apertam defectionem a populo Romano esse. Redirent itaque prope in colonias, et, tamquam integra re, locuti magis, quam ausi, tantum nefas, cum suis consulerent: admonerent, non Campanos, neque Tarentinos eos esse, sed Romanos; inde oriundos, inde in colonias atque in agrum bello captum stirpis augendæ causa missos: quæ liberi parentibus deberent, ea illos Romanis debere, si ulla pietas, si memoria antiquæ patriæ esset. Consulerent igitur de integro: nam, tum quidem quæ temere agissent, ea prodendi imperii Romani, tradendæ Hannibali victoriæ esse. Quum alternis hæc consules diu jactassent, nihil moti legati, neque se, quod domum renunciarent, habere, dixerunt, neque senatum suum, quid novi consuleret, ubi nec miles, qui legeretur, nec pecunia, quæ daretur in stipendium, esset. Quum obstinatos eos viderent consules, rem ad senatum detulerunt: ubi tantus pavor animis omnium est injectus, ut magna pars, actum de imperio, diceret: idem alias colonias facturas; idem socios consensisse omnes, ad prodendam Hannibali urbem Romanam.

U. C. 543.
A. C. 209.
Coloniæ
duodecim
negant se
daturas mi-
lites Ro-
manis.

Castigantur
a cons.

X. Consules hortari et consolari senatum, et di-

U. C. 543. cere, *Alias colonias in fide atque officio pristino fore :*
 A. C. 209. *eas quoque ipsas, quæ officio decessissent, si legati cir-*
ca eas colonias mittantur, qui castigent, non qui pre-
centur, verecundiam imperii habituras esse. Permis-
sum ab senatu iis quum esset, agerent, facerentque,
ut e republica ducerent ; pertentatis prius aliarum
coloniæ animis, citaverunt legatos, quæsiverunt-
que ab iis, ecquid milites ex formula paratos haberent ?
 Reliquæ in officio sunt. Pro duodeviginti coloniis M. Sextilius Fregellanus
 respondit : *et milites ex formula paratos esse : et, si plu-*
ribus opus esset, plures daturos : et, quidquid aliud im-
peraret velletque populus Romanus, enise facturos : ad
id sibi neque opes deesse, animum etiam superesse. Con-
 sules, sibi parum videri, præfati, pro merito eorum,
 sua voce conlandari eos, nisi universi Patres iis in
 curia gratias egissent, sequi in senatum jusserunt.
 Senatus, quam poterat honoratissimo decreto adlo-
 cutus eos, mandat consulibus, ut ad populum quoque
 eos producerent, et inter multa alia præclara, quæ
 ipsis majoribusque suis præstitissent, recens etiam
 meritum eorum in rempublicam commemorarent.
 Ne nunc quidem post tot secula sileantur, frauden-
 turve laude sua. Signini fuere, et Norbani, Saticu-
 lanique, et Brundisini, et Fregellani, et Lucerini, et
 Venusini, et Hadriani, et Firmani, et Ariminenses :
 et ab altero mari, Pontiani, et Pæstani, et Cosani :
 et mediterranei, Beneventani, et Æsernini, et Spole-
 tini, et Placentini, et Cremonenses. Harum colo-
 niarum subsidio tum imperium populi Romani ste-
 tit : iisque gratiæ et in senatu, et ad populum actæ.
 Duodecim aliarum coloniæ, quæ detractaverunt
 imperium, mentionem fieri Patres vetuerunt, neque
 illos dimitti, neque retineri, neque adpellari a consu-

libus: ea tacita castigatio maxime ex dignitate populi Romani visa est. Cetera expedientibus, quæ ad bellum opus erant, consulibus, aurum vicesimarium, quod in sanctiore ærario ad ultimos casus servabatur, promi placuit. Promta ad quatuor millia pondo auri: inde quingena pondo data consulibus, et M. Marcello, et P. Sulpicio proconsulibus, et L. Veturio prætori, qui Galliam provinciam sortitus erat; additumque Fabio consuli centum pondo auri præcipuum, quod in arcem Tarentinam portaretur: cetero usi sunt ad vestimenta præsentis pecunia locanda exercitui, qui in Hispania bellum secunda sua fama ducisque gerebat.

XI. Prodigia quoque, priusquam ab urbe consules proficiscerentur, procurari placuit. In Albano monte tacta de cœlo erant signum Jovis, arborque templo propinqua, et Ostiæ lacus, et Capuæ murus, Fortunæque ædes, et Sinuessæ murus portaque. Hæc de cœlo tacta. Cruentam etiam fluxisse aquam Albanam, quidam auctores erant. Et Romæ intus cellam ædis Fortis Fortunæ de capite signum, quod in corona erat, in manus sponte sua prolapsum. Et Priverni satis constabat bovem locutum, volturiumque frequenti foro in tabernam devolasse, et Sinuessæ natum ambiguo inter marem ac feminam sexu infantem; quos androgynos vulgus (ut pleraque, faciliore ad duplicanda verba Græco sermone) adpellat: et lacte pluissè, et cum elephanti capite puerum natum. Ea prodigia hostiis majoribus procurata, et supplicatio circa omnia pulvinaria, et obsecratio in unum diem indicta: et decretum, ut C. Hostilius prætor ludos Apollini, sicut his annis voti factique erant, voveret faceretque. Per eos dies et censori-

U. C. 543.

A. C. 209.

U. C. 543. bus creandis Q. Fulvius consul comitia habuit. Creati
 A. C. 209. censores, ambo qui nondum consules fuerant, M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tuditanus. Hi censores, ut agrum Campanum fruendum locarent, ex auctoritate Patrum latum in plebem est, plebesque scivit. Senatus lectionem contentio inter censores de principe legendo tenuit. Sempronii lectio erat: ceterum Cornelius *morem traditum a patribus sequendum* aiebat: *ut, qui primus censor ex iis, qui viverent, fuisset, eum principem legerent*: is T. Manlius Torquatus erat. Sempronius, *cui Dii sortem legendi dedissent, ei jus liberum eosdem dedisse Deos. Se id suo arbitrio facturum: lecturumque Q. Fabium Maximum, quem tum principem Romanæ civitatis esse, vel Hannibale iudice, victurus esset.* Quum diu certatum verbis esset, concedente collega, lectus a Sempronio princeps in senatu Q. Fabius Maximus consul: inde alius lectus senatus, octo præteritis, inter quos L. Cæcilius Metellus erat, infamis auctor deserendæ Italiæ post Cannensem cladem. In equestribus quoque notis eadem servata caussa: sed erant perpauca, quos ea infamia adtingeret. Illis omnibus (et multi erant) ademti equi, qui Cannensium legionum equites in Sicilia erant: addiderunt acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia procederent iis, quæ equo publico emeruerant, sed dena stipendia equis privatis facerent. Magnum præterea numerum eorum conquisiverunt, qui equo merere deberent: atque ex iis, qui principio ejus belli septendecim annos nati fuerant, neque militaverant, omnes ærarios fecerunt. Locaverunt inde reficienda, quæ circa forum incendio consumpta erant, septem tabernas, macellum, atrium regium.

XII. Transactis omnibus, quæ Romæ agenda U. C. 543.
 erant, consules ad bellum profecti. Prior Fulvius A. C. 209.
 prægressus Capuam. Post paucos dies consecutus
 Fabius; qui et collegam coram obtestatus, et per
 literas Marcellum, ut quam acerrimo bello detineret
 Hannibalem, dum ipse Tarentum obpugnaret: ea Fabius sta-
 urbe adempta hosti jam undique pulso, nec ubi con- tuit Taren-
 sisteret, nec quid fidum respiceret habenti, ne re- tum ob-
 morandi quidem causam in Italia fore. Rhegium pugnare.
 etiam nuncium mittit ad præfectum præsidii, quod
 ab Lævino consule adversus Bruttios ibi locatum
 erat, octo millia hominum: pars maxima ab Aga-
 thyrna (sicut antea dictum est) ex Sicilia traducta,
 raptò vivere hominum adsuetorum: additi erant
 Bruttiorum indidem perfugæ, et audacia et audendi
 omnia necessitatibus pares. Hanc manum ad Brut-
 tium primum agrum depopulandum duci jussit, inde
 ad Cauloniam urbem obpugnandam. Imperata non
 inpigre solum, sed etiam avide, exsecuti, direptis fu-
 gatisque cultoribus agri, summa vi urbem obpugna-
 bant. Marcellus, et consulis literis excitus, et quia Marcellus
 ita in animum induxerat, neminem ducem Roma- ad Canu-
 num tam parem Hannibali, quam se, esse, ubi pri- sium Han-
 mum in agris pabuli copia fuit, ex hibernis profectus, nibali ob-
 ad Canusium Hannibali obcurrit. Sollicitabat ad currit.
 defectionem Canusinos Pœnus: ceterum, ut adpro-
 pinquare Marcellum audivit, castra inde movit. A-
 perta erat regio, sine ullis ad insidias latebris; ita-
 que in loca saltuosa cedere inde cœpit. Marcellus
 vestigiis instabat, castraque castris conferebat: et,
 opere perfecto, extemplo in aciem legiones educe-
 bat. Hannibal, turmatim per equites peditumque
 jaculatores levia certamina serens, casum universæ

U. C. 543. pugnæ non necessarium ducebat : tractus est tamen
 A. C. 209. ad id, quod vitabat, certamen. Nocte prægressum
 adsequitur locis planis ac patentibus Marcellus : ca-
 strâ inde ponentem, pugnando undique in munitores,
 operibus prohibet. Ita signa conlata, pugnatumque
 totis copiis : et, quum jam nox instaret, Marte æquo
 discessum est : castrâ, exiguo distantia spatio, rap-
 tim ante noctem permunita. Postero die luce prima
 Marcellus in aciem copias eduxit : nec Hannibal
 detractavit certamen, multis verbis adhortatus mili-
 tes, *ut, memores Trasimeni Cannarumque, contunde-
 rent ferociam hostis : urgere atque instare eum : non
 iter quietos facere, non castrâ ponere pati, non respi-
 rare aut circumspicere : quotidie simul orientem solem
 et Romanam aciem in campis videndam esse. Si uno
 prælio haud incruentus abeat, quietius deinde tranquil-*

Prælium
 æquo
 Marte.

Alterum
 prælium,
 in quo su-
 perior Pœ-
 nus.

liusque eum bellaturum. His irritati adhortationi-
 bus, simulque tædio ferociæ hostium quotidie in-
 stantium lacessentiumque, acriter prælium ineunt.
 Pugnatum amplius duabus horis est : cedere inde ab
 Romanis dextra ala et extraordinarii cœpere. Quod
 ubi Marcellus vidit, duodevicesimam legionem in pri-
 mam aciem inducit. Dum alii trepidi cedunt, alii
 segniter subeunt, turbata tota acies est, dein prorsus
 fusa ; et, vincente pudorem metu, terga dabant.
 Cecidere in pugna fugaque ad duo millia et septin-
 genti civium sociorumque : in his quatuor Romani
 centuriones, duo tribuni militum, M. Licinius et M.
 Helvius. Signa militaria quatuor de ala, prima quæ
 fugit ; duo de legione, quæ cedentibus sociis succes-
 serat, amissa.

Exercitus
 acriter a
 Marcello
 increpitus.

XIII. Marcellus, postquam in castrâ reditum est,
 concionem adeo sævam atque acerbam apud milites

habuit, ut prælio, per diem totum infelicitè tolerato, tristior iis irati ducis oratio esset. *Diis immortalibus, ut in tali re, laudes gratesque, inquit, ago, quod victor hostis, cum tanto pavore incidentibus vobis in val- lum portasque, non ipsa castra est adgressus: deseruis- setis profecto eodem terrore castra, quo omisistis pug- nam. Qui pavor hic, qui terror, quæ repente, qui, et cum quibus pugnaretis, oblivio animos cepit? nempe iidem sunt hi hostes, quos vincendo et victos sequendo priorem ætatem absumsistis; quibus dies noctesque fugientibus per hos dies institistis; quos levibus præliis fatigastis; quos hesterno die nec iter facere, nec castra ponere passi estis. Omitto ea, quibus gloriari potestis: cujus et ipsius pudere ac pænitere vos oportet, referam: nempe, æquis manibus hesterno die diremistis pugnam. Quid hæc nox, quid hic dies adtulit? Vestræ his copiæ in- minutæ sunt, an illorum auctæ? Non equidem mihi cum exercitu meo loqui videor, nec cum Romanis mi- litibus: corpora tantum atque arma eadem sunt. An, si eosdem animos habuissetis, terga vestra vidisset hos- tis? signa alicui manipulo aut cohorti abstulisset? Ad- huc cæsis Romanis legionibus gloriabatur: vos illi ho- dierno die primum fugati exercitus dedistis decus. Cla- mor inde ortus, ut veniam ejus diei daret; ubi vellet, deinde experiretur militum suorum animos. Ego vero experiar, inquit, milites: et vos crastino die in aciem educam, ut victores potius, quam victi, veniam inpetretis, quam petitis. Cohortibus, quæ signa ami- serant, hordeum dari jussit: centurionesque mani- pulorum, quorum signa amissa fuerant, dstrictis gladiis discinctos destituit; et, ut postero die om- nes, equites, pedites, armati adessent, edixit. Ita concio dimissa fatentium, jure ac merito sese incre-*

U. C. 543.

A. C. 209.

U. C. 543. pitos ; neque illo die virum quemquam in acie Ro-
 A. C. 209. mana fuisse, præter unum ducem ; cui aut morte sat-
 isfaciendum, aut egregia victoria esset. Postero
 die ornati armatique ad edictum aderant. Impera-
 tor eos conlaudat, pronunciatque, *a quibus orta pridie
 fuga esset, cohortesque, quæ signa amisissent, se in pri-
 mam aciem inducturum : edicere jam sese, omnibus
 pugnandum ac vincendum esse ; et aditendum singulis
 universisque, ne prius hesternæ fugæ, quam hodiernæ
 victoriæ, fama Romam perveniat.* Inde cibo corpora
 firmare jussi, ut, si longior pugna esset, viribus sub-
 ficerent. Ubi omnia dicta factaque sunt, quibus ex-
 citarentur animi militum, in aciem procedunt.

Tertium
 proelium.

XIV. Quod ubi Hannibali nunciatum est : *Cum
 eo nimirum, inquit, hoste res est, qui nec bonam, nec
 malam ferre fortunam potest. Seu vicit, ferociter in-
 stat victis : seu victus est, instaurat cum victoribus cer-
 tamen.* Signa inde canere jussit, copias educit.
 Pugnatum utrimque aliquanto, quam pridie, acrius
 est : Pœnis ad obtinendum hesternum decus adni-
 tentibus, Romanis ad demendam ignominiam. Si-
 nistra ala ab Romanis et cohortes, quæ amiserant
 signa, in prima acie pugnabant, et legio vicesima
 ab dextro cornu instructa. L. Cornelius Lentulus
 et C. Claudius Nero legati cornibus præcrant, Mar-
 cellus mediam aciem, hortator testisque præsens,
 firmabat. Ab Hannibale Hispani primam obtine-
 bant frontem, et id roboris in omni exercitu erat.
 Quum anceps diu pugna esset, Hannibal elephantos
 in primam aciem induci jussit : si quem injicere ea
 res tumultum ac pavorem posset. Et primo turba-
 runt signa ordinesque, et partim occulcatis, partim
 dissipatis terrore, qui circa erant, nudaverant una

parte aciem: latiusque fuga manasset, ni C. Decius Flavius tribunus militum, signo adrepto primi hastati, manipulum ejus signi se sequi jussisset: duxit, ubi maxime tumultum conglobatæ belluæ faciebant, pilaque in eas conjici jussit. Hæcere omnia tela haud difficili ex propinquo in tanta corpora ictu, et tam conferta turba: sed ut non omnes vulnerati sunt; ita, in quorum tergis infixæ steteræ pila, (ut est genus anceps) in fugam versi etiam integros avertere. Tum jam non unus manipulus, sed pro se quisque miles, qui modo adsequi agmen fugientium elephantorum poterat, pila conjicere: eo magis ruere in suos belluæ; tantoque majorem stragem edere, quam inter hostes ediderant, quanto acrius pavor consternatam agit, quam insidentis magistri imperio regitur. In perturbatam transcursu belluarum aciem signa inferunt Romani pedites: et haud magno certamine dissipatos trepidantesque avertunt. Tum in fugientes equitatum immittit Marcellus, nec ante finis sequendi est factus, quam in castra paventes compulsi sunt. Nam super alia, quæ terrorem trepidationemque facerent, elephantique duo in ipsa porta conruerant, coactique erant milites per fossam vallumque ruere in castra: ibi maxima hostium cædes facta; cæsa ad octo millia hominum, quinque elephantum. Nec Romanis incruenta victoria fuit: mille ferme et septingenti de duabus legionibus, et sociorum supra mille et trecentos occisi: vulnerati permulti civium sociorumque. Hannibal nocte proxima castra movit. Cupientem insequi Marcellum prohibuit multitudo sauciorum.

Vincit Marcellus.

XV. Speculatores, qui prosequerentur agmen, missi, postero die retulerunt, Brutios Hannibalem

U. C. 543. petere. Iisdem fere diebus et ad Q. Fulvium con-
 A. C. 209. sulem Hirpini, et Lucani, et Volcentes, traditis
 præsidiis Hannibalis, quæ in urbibus habebant, de-
 diderunt sese, clementerque a consule, cum verbo-
 rum tantum castigatione ob errorem præteritum,
 accepti. Et Bruttiiis similis spes veniæ facta est:
 quum ab iis Vibius et Pactius fratres, longe nobi-
 lissimi gentis ejus, eandem, quæ data Lucanis erat,
 conditionem deditiois petentes venissent. Q. Fa-
 bius consul oppidum in Sallentinis Manduriam vi-
 cepit: ibi ad quatuor millia hominum capta, et ce-
 teræ prædæ aliquantum. Inde Tarentum profectus,
 Fabius in ipsis faucibus portus posuit castra: naves, quas
 Tarentum obpugnat. Livius tutandis com meatibus habuerat, partim ma-
 chinationibus onerat adparatuque mœnium obpug-
 nandorum, partim tormentis et saxis omnique mis-
 silium telorum genere instruit, onerarias quoque,
 non eas solum, quæ remis agerentur; ut alii machi-
 nas scalasque ad muros ferrent, alii procul ex navi-
 bus vulnerarent mœnium propugnatores. Eæ na-
 ves, ab aperto mari ut urbem adgrederentur, in-
 structæ paratæque sunt. Et erat liberum mare,
 classe Punica, quum Philippus obpugnare Ætolos
 pararet, Coreyram transmissa. In Bruttiiis interim
 Caulonis obpugnatores, sub adventum Hannibalis,
 ne obrimerentur, in tumultum, a præsentis impetu
 tutum, se recepere. Fabium, Tarentum obsidentem,
 leve dictu momentum ad rem ingentem potiundam
 Tarentum adjuvit. Præsidium Bruttiorum datum ab Hanni-
 bale Tarentini habebant: ejus præsidii præfectus
 Tarentum proditione captum. deperibat amore mulierculæ, cujus frater in exercitu
 Fabii consulis erat. Is, certior literis sororis fac-
 tus de nova consuetudine advenæ, locupletis, atque

inter populares tam honorati, spem nactus per so-
 rorem quolibet inpelli amantem posse, quid spera-
 ret, ad consulem detulit: quæ quum haud vana
 cogitatio visa esset, pro perfuga jussus Tarentum
 transire, ac per sororem præfecto conciliatus, primo
 occulte animum ejus tentando, dein, satis explorata
 levitate, blanditiis muliebribus perpulit eum ad pro-
 ditionem custodiæ loci, cui præpositus erat. Ubi et
 ratio agendæ rei, et tempus convenit, miles, nocte
 per intervalla stationum clam ex urbe emissus, ea,
 quæ acta erant, quæque, ut agerentur, convenerat,
 ad consulem refert. Fabius vigilia prima, dato sig-
 no iis, qui in arce erant, quique custodiam portus
 habebant, ipse circuito portu ab regione urbis in
 orientem versa occultus consedit. Canere inde
 tubæ simul ab arce, simul a portu et ab navibus,
 quæ ab aperto mari adpulsæ erant; clamorque un-
 dique cum ingenti tumultu, unde minimum periculi
 erat, de industria ortus. Consul interim silentio
 continebat suos. Igitur Democrates, qui præfectus
 antea classis fuerat, forte illo loco præpositus, post-
 quam quieta omnia circa se vidit, alias partes eo
 tumultu personare, ut captæ urbis interdum exci-
 taretur clamor, veritus ne inter cunctationem suam
 consul aliquam vim faceret, signaque inferret, præ-
 sidium ad arcem, unde maxime terribilis accidebat
 sonus, traducit. Fabius, quum et ex temporis spa-
 tio et ex silentio ipso (quod ubi paullo ante strepe-
 bant excitantes vocantesque ad arma, inde nulla ac-
 cidebat vox) deductas custodias sensisset; ferri sca-
 las ad eam partem muri, qua Bruttiorum cohortem
 præsidium agitare proditionis conciliator nunciave-
 rat, jubet. Ea primum est captus murus, adjuvan-

U. C. 543.
 A. C. 209.

U. C. 543. tibus recipientibusque Bruttiiis; et transcensum in
 A. C. 209. urbem est: inde et proxima refracta porta, ut frequenti agmine signa inferrentur. Tum, clamore sublato, sub ortum ferme lucis, nullo obvio armato, in forum perveniunt: omnesque undique, qui ad arcem portumque pugnabant, in se converterunt.

XVI. Prælium in aditu fori majore inpetu, quam perseverantia, commissum est: non animo, non armis, non arte belli, non vigore aut viribus corporis, par Romano Tarentinus erat. Igitur, pilis tantum coniectis, prius pene, quam consererent manus, terga dederunt, dilapsique per nota urbis itinera in suas amicorumque domos. Duo ex ducibus Nico et Democrates fortiter pugnantes cecidere. Philemenus, qui prodicionis ad Hannibalem auctor fuerat, quum citato equo ex prælio avectus esset; vagus paullo post equus errans per urbem cognitus; corpus nusquam inventum est: creditum vulgo est, in puteum apertum ex equo præcipitasse. Kartholonem autem, præfectum præsidii Punici, cum commemoratione paterni hospitii, positis armis, venientem ad consulem, miles obvius obruncat. Alii alios passim sine discrimine armatos, inermes, cædunt, Karthaginienses Tarentinosque pariter. Bruttii quoque multi interfecti, seu per errorem, seu vete- re in eos insito odio, seu ad prodicionis famam (ut vi potius atque armis captum Tarentum videretur) extinguendam. Tum ab cæde ad diripiendam urbem discursum: millia triginta servilium capitum dicuntur capti: argenti vis ingens facti signatique: auri octoginta tria millia pondo: signa tabulæque, prope ut Syracusarum ornamenta æquaverint. Sed majore animo generis ejus præda abstinuit Fabius, quam

Marcellus ; qui interroganti scribæ, quid fieri signis vellet, (ingentis magnitudinis Dii sunt, suo quisque habitu in modum pugnantium formati) *Deos iratos Tarentinis relinqui jussit.* Murus inde, qui urbem ab arce dirimebat, dirutus est ac disiectus. Dum hæc Tarenti aguntur, Hannibal iis, qui Cauloniam obsidebant, in deditionem acceptis, audita obpugnatione Tarenti, dies noctesque cursim agmine acto, quum, festinans ad opem ferendam, captam urbem audisset ; *Et Romani, inquit, suum Hannibalem habent : eadem, qua ceperamus, arte Tarentum amisimus.* Ne tamen fugientis modo convertisse agmen videretur, quo constituerat loco, quinque millia ferme ab urbe posuit castra : ibi paucos moratus dies, Metapontum sese recepit : inde duos Metapontinos cum literis principum ejus civitatis ad Fabium Tarentum mittit, fidem ab consule accepturos, impunita iis priora fore, si Metapontum ei cum præsidio Punico prodidissent. Fabius vera, quæ adferrent, esse ratus, diem, qua accessurus esset Metapontum, constituit : literasque ad principes dedit, quæ ad Hannibalem delatæ sunt. Enimvero lætus successu fraudis, si ne Fabius quidem dolo invictus fuisset, haud procul Metaponto insidias ponit. Fabio auspicanti prius, quam egrederetur ab Tarento, aves semel atque iterum non addixerunt : hostia quoque cæsa consulenti Deos aruspex, cavendum a fraude hostili et ab insidiis, prædixit. Metapontini, postquam ad constitutam non venerat diem, remissi, ut cunctantem hortarentur, repente comprehensi, metu gravioris quæstionis, detegunt insidias.

XVII. Æstatis ejus principio, qua hæc agebantur, P. Scipio in Hispania quum hiemem totam reconci-

U. C. 543.
A. C. 209.

Adecurrit
Hannibal,
serum post
urbem cap-
tam auxi-
lium.

Hispaniæ
res ; Ro-
manis re-
cundæ.

U. C. 543. liandis barbarorum animis, partim donis, partim re-
 A. C. 209. missione obsidum captivorumque, absumsisset; E-
 desco ad eum, clarus inter duces Hispanos, venit.
 Erant conjux liberique ejus apud Romanos: sed
 præter eam causam etiam velut fortuita inclinatio
 animorum, quæ Hispaniam omnem averterat ad
 Romanum a Punico imperio, traxit eum. Eadem
 causa Indibili Mandonioque fuit, haud dubie omnis
 Hispaniæ principibus, cum omni popularium manu,
 relicto Hasdrubale, secedendi in imminentes castris
 ejus tumulos, unde per continentia juga tutus recep-
 tus ad Romanos esset. Hasdrubal, quum hostium
 res tantis augescere incrementis cerneret, suas in-
 minui, ac fore, ut, nisi audendo aliquid moveret,
 qua cœpissent, fluerent, dimicare quam primum
 statuit. Scipio avidior etiam certaminis erat, quum
 a spe, quam successus rerum augebat; tum quod
 prius, quam jungerentur hostium exercitus, cum
 uno dimicare duce exercituque, quam simul cum
 universis, malebat. Ceterum, etiam, si cum pluri-
 bus pariter dimicandum foret, arte quadam copias
 auxerat: nam quum videret, nullum esse navium
 usum, quia vacua omnis Hispaniæ ora classibus
 Punicis erat, subductis navibus Tarracone, navales
 socios terrestribus copiis addidit: et armorum ad-
 fatim erat captorum Karthagine, et quæ post cap-
 tam eam fecerat, tanto opificum numero incluso.
 Cum iis copiis Scipio, veris principio ab Tarracone
 egressus, (jam enim et Lælius redierat ab Roma,
 sine quo nihil majoris rei motum volebat) ducere ad
 hostem pergit. Per omnia pacata eunti, ut cujus-
 que populi fines transiret, prosequentibus excipien-
 tibusque sociis, Indibilis et Mandonius cum suis co-

piis obcurrerunt. Indibilis pro utroque locutus, U. C. 543.
A. C. 209. haudquaquam ut barbarus stolide incauteque, sed Indibilis et
Mandonius
ad Romanos defici-
unt. potius cum verecunda gravitate: propiorque excusanti transitionem ut necessariam, quam gloriantiam eam velut primam occasionem raptam. *Scire enim se, transfugæ nomen execrabile veteribus sociis, novis suspectum esse: neque eum se reprehendere morem hominum, si tamen anceps odium caussa, non nomen, faciat.* Merita inde sua in duces Karthaginienses commemoravit, avaritiam contra eorum, superbiamque, et omnis generis injurias in se atque populares. *Itaque corpus dumtaxat suum ad id tempus apud eos fuisse: animum jam pridem ibi esse, ubi jus ac fas crederent coli: ad Deos quoque confugere supplices, qui nequeant hominum vim atque injurias pati.* *Se id Scipionem orare, ut transitio sibi nec fraudi apud eum, nec honori sit: quales ex hac die experiundo cognorit, perinde operæ eorum pretium faceret.* Ita prorsus respondet facturum Romanus: nec pro transfugis habiturum, qui non duxerint societatem ratam, ubi nec divini quidquam, nec humani sanctum esset. Productæ deinde in conspectum iis conjuges liberique lacrimantibus gaudio redduntur, atque eodie in hospitium abducti. Postero die fœdere accepta fides; dimissique ad copias adducendas. Iisdem deinde castris tendebant, donec ducibus iis ad hostem perventum est.

XVIII. Proximus Karthaginensium exercitus Ad Hasdrubalem
contendit
Scipio. Hasdrubalis prope urbem Bæculam erat: pro castris equitum stationes habebat. In eas velites antesignanique, et qui primi agminis erant, advenientes ex itinere, priusquam castris locum caperent, adeo contentim inpetum fecerunt, ut facile adpare-

U. C. 543. ret, quid utrique parti animorum esset. In castra
 A. C. 209. trepida fuga compulsi equites sunt : signaque Ro-
 mana portis prope ipsis inlata. Atque illo quidem
 die, irritatis tantum ad certamen animis, castra Ro-
 mani posuerunt. Nocte Hasdrubal in tumulum co-
 pias recipit, plano campo in summo patentem : flu-
 vius ab tergo ; ante circaque velut ripa præcep-
 sorem ejus omnem cingebat. Suberat et altera infe-
 rior submissa fastigio planities : eam quoque altera
 crepido haud facilius in adscensum ambibat. In
 hunc inferiorem campum postero die Hasdrubal,
 postquam stantem pro castris hostium aciem vidit,
 equites Numidas, leviumque armorum Baliares, et
 Afros dimisit. Scipio, circumvectus ordines signa-
 que, ostendebat, *hostem, prædamnata spe æquo di-
 micandi campo, captantem tumulos, loci fiducia, non
 virtutis armorumque, stare in conspectu : sed altiora
 mœnia habuisse Karthaginem, quæ transcendisset miles
 Romanus. Nec tumulos, nec arcem, ne mare quidem
 armis obtitisse suis : ad id fore altitudines, quas ce-
 pissent hostes, ut per præcipitia et prærupta salientes
 fugerent : eam quoque se illis fugam clausurum.* Co-
 hortisque duas, alteram tenere fauces vallis, per
 quam deferretur amnis, jubet ; alteram, viam insi-
 dere, quæ ab urbe per tumuli obliqua in agros fer-
 ret : ipse expeditos, qui pridie stationes hostium
 pepulerant, ad levem armaturam, infimo stantem
 supercilio, ducit. Per aspreta primo, nihil aliud
 quam via impediti, iere : deinde, ut sub ictum vene-
 runt, telorum primo omnis generis vis ingens effusa
 est in eos : ipsi contra, saxa, quæ locus strata pas-
 sim, omnia ferme missilia, præbet, ingerere, non
 milites solun, sed etiam turba calorum immixta

Adgredi-
 tur hos-
 tem.

armatis. Ceterum, quamquam adscensus difficilis U. C. 543.
erat, et prope obruebantur telis saxisque, adsuetu- A. C. 209.
dine tamen succedendi muros, et pertinacia animi,
subierunt primi. Qui, simul cepere aliquid æqui
loci, ubi firmo consisterent gradu, levem et concur-
satores hostem, atque intervallo tutum, quum pro-
cul missilibus pugna eluditur, instabilem eundem
ad cominus conserendas manus, expulerunt loco, et
cum cæde magna in aciem altiori superstantem tu-
mulo inpegere. Inde Scipio, jussis adversus me-
diam evadere aciem victoribus, ceteras copias cum
Lælio dividit; atque eum parte dextra tumuli cir-
cumire, donec mollioris adscensus viam inveniret,
jubet: ipse ab læva, circuitu haud magno, in trans-
versos hostes incurrit. Inde primo turbata acies
est, dum ad circumsonantem undique clamorem flec-
tere cornua et obvertere ordines volunt. Hoc tu-
multu et Lælius subiit; et, dum pedem referunt, ne
ab tergo vulnerarentur, laxata prima acies, locusque
ad evadendum et mediis datus est; qui per tam ini-
quum locum, stantibus integris ordinibus, elephan-
tisque ante signa locatis, numquam evasissent.
Quum ab omni parte cædes feret, Scipio, qui lævo
cornu in dextrum incurrerat, maxime in nuda ho-
stium latera pugnabat. Et jam ne fugæ quidem Vincit.
patebat locus: nam et stationes utrimque Romanæ
dextra lævaque insederant vias: et portam castro-
rum ducis principumque fuga clauserat; addita tre-
pidatione elephantorum, quos territos æque atque
hostes timebant. Cæsa igitur ad octo millia homi-
num.

XIX. Hasdrubal jam ante, quam dimicaret, pe-
cunia rapta, elephantisque præmissis, quam pluri-

U. C. 543. mos poterat, de fuga excipiens, præter Tagum flu-
 A. C. 209. men ad Pyrenæum tendit. Scipio, castris hostium
 potitus, quum præter libera capita omnem prædam
 militibus concessisset, in recensendis captivis de-
 cem millia peditum, duo millia equitum invenit : ex
 iis Hispanos sine pretio omnes domum dimisit :
 Afros vendere quæstorem jussit. Circumfusa inde
 multitudo Hispanorum, et ante deditorum, et pridie
 captorum, regem eum ingenti consensu adpellavit.

Scipio ve-
 nit se re-
 gem ad-
 pellari.

Tum Scipio, silentio per præconem facto, *sibi maxi-
 mum nomen imperatoris esse, dixit, quo se milites sui
 adpellarent : regium nomen abibi magnum, Romæ in-
 tolerabile esse. Regalem animum in se esse, si id in
 hominis ingenio amplissimum ducerent, tacite judica-
 rent ; vocis usurpatione abstinere.* Sensere etiam
 barbari magnitudinem animi ; cujus miraculo no-
 minis alii mortales stupere, id ex tam alto fastigio
 adspernantis. Dona inde regulis principibusque
 Hispanorum divisa, et ex magna copia captorum
 equorum trecentos, quos vellet, eligere Indibilem
 jussit. Quum Afros venderet jussu imperatoris
 quæstor, puerum adultum inter eos forma insigni,
 quum audisset regii generis esse, ad Scipionem mi-
 sit : quem quum percunctaretur Scipio, *quis, et cu-
 jus, et cur id ætatis in castris fuisset ? Numidam esse,*
 ait ; *Massivam populares vocare : orbem a patre re-
 lictum, apud maternum avum Galam, regem Numida-
 rum, eductum, cum avunculo Masinissa, qui nuper
 cum equitatu subsidio Karthaginiensibus venisset, in
 Hispaniam trajecisse. Prohibitum propter ætatem a
 Masinissa, nunquam ante prælium inisse. Eo die,
 quo pugnatum cum Romanis esset, inscio avunculo,
 clam armis equoque sumto, in aciem exisse : ibi, pro-*

Massiva
 Numida.

lapso equo effusum in præceps, captum ab Romanis U. C. 543.
esse. Scipio, quum adservari Numidam jussisset, A. C. 209.
 quæ pro tribunali agenda erant, peragit: inde,
 quum se in prætorium recepisset, vocatum eum in-
 terrogat, *velletne ad Masinissam reverti?* Quum,
 effusis gaudio lacrimis, *cupere vero,* diceret; tum
 puero annulum aureum, tunicam lato clavo cum
 Hispano sagulo et aurea fibula, equumque ornatum
 donat, jussisque prosequi, quoad vellet, equitibus
 dimisit.

XX. De bello inde consilium habitum: et, auc-
 toribus quibusdam, ut confestim Hasdrubalem con-
 sequeretur, anceps id ratus, ne Mago atque Has-
 drubal cum eo jungerent copias, præsidio tantum
 ad insidendum Pyrenæum misso, ipse reliquum
 ætatis recipiendis in fidem Hispaniæ populis ab-
 sumsit. Paucis post prælium factum ad Bæculam
 diebus, quum Scipio, rediens jam Tarraconem, saltu
 Castulonensi excessisset, Hasdrubal Gisgonis filius
 et Mago imperatores ex ulteriore Hispania ad Has-
 drubalem venere, serum post male gestam rem auxi-
 lium; consilio in cetera exsequenda belli hand pa-
 rum opportuni. Ibi conferentibus, quid in cujus-
 que provinciæ regione animorum Hispanis esset,
 unus Hasdrubal Gisgonis, ultimam Hispaniæ oram,
 quæ ad Oceanum et Gades vergit, ignaram adhuc
 Romanorum esse, eoque Karthaginiensibus satis fi-
 dam, censebat. Inter Hasdrubalem alterum et Ma- Pœnorum
 gonem constabat, *beneficiis Scipionis occupatos om-* concilia.
nium animos publice privatimque esse: nec transitioni-
bus finem ante fore, quam omnes Hispani milites aut
in ultima Hispaniæ amoti, aut traducti in Galliam
forent. Itaque, etiamsi senatus Karthaginiensium non

U. C. 543. censuisset, eundum tamen Hasdrubali fuisse in Italia, ubi belli caput rerumque summa esset; simul, ut Hispanos omnes procul ab nomine Scipionis ex Hispania abduceret: exercitum ejus, cum transitionibus, tum adverso praelio imminutum, Hispanis repleti militibus. Et Magonem, Hasdrubali, Gisgonis filio, tradito exercitu, ipsum cum grandi pecunia ad conducenda mercede auxilia in Baliares trajicere. Hasdrubalem Gisgonis cum exercitu penitus in Lusitaniam abire, nec cum Romanis manus conserere. Masinissæ ex omni equitatu, quod roboris esset, tria millia equitum expleri; eumque vagum per citeriorem Hispaniam sociis opem ferre, hostium oppida atque agros populari: his decretis, ad exsequenda, quæ statuerant, duces digressi. Hæc eo anno in Hispania acta. Romæ fama Scipionis in dies crescere. Fabio Tarentum captum astu magis, quam virtute, gloriæ tamen esse. Fulvii senescere fama. Marcellus etiam adverso rumore esse, super quam quod primo male pugnaverat, quia, vagante per Italiam Hannibale, mediæ ætate Venusiam in tecta milites abduxisset. Inimicus erat ei C. Publicius Bibulus tribunus plebis. Is jam a prima pugna, quæ adversa fuerat, adsiduis concionibus infamem invisumque plebei Claudium fecerat, et jam de imperio abrogando ejus agebat: quum tamen necessarii Claudii obtinuerunt, ut, relicto Venusiæ legato, Marcellus Romam rediret ad purganda ea, quæ inimici decernerent: nec de imperio ejus abrogando, absente ipso, ageretur. Forte sub idem tempus et Marcellus ad deprecandam ignominiam, et Q. Fulvius consul comitiorum causa Romam venit.

XXI. Actum de imperio Marcelli in circo Flami-

nio est, ingenti concursu plebisque et omnium ordi- U. C. 543.
 num. Accusavitque tribunus plebis, non Marcel- A. C. 209.
 lum modo, sed omnem nobilitatem. *Fraude eorum* Accusatur
et cunctatione fieri, ut Hannibal decimum jam annum Marcellus.
Italiam provinciam habeat : diutius ibi, quam Kartha-
gine, vixerit. Habere fructum imperii prorogati Mar-
cello populum Romanum : bis casum exercitum ejus
æstiva Venusiæ sub tectis agere. Hanc tribuni ora-
 tionem ita obruit Marcellus commemoratione rerum Absolvitur
 suarum, ut non rogatio solum de imperio ejus abro- et cos.
 gando antiquaretur, sed postero die consulem eum creatur.
 ingenti consensu centuriæ omnes crearent. Addi-
 tur collega T. Quinctius Crispinus, qui tum prætor
 erat. Postero die prætores creati P. Licinius Cras-
 sus Dives, pontifex maximus, P. Licinius Varus,
 Sex. Julius Cæsar, Q. Claudius Flamen. Comitio-
 rum ipsorum diebus sollicita civitas de Etruriæ de-
 fectione fuit. Principium ejus rei ab Arretinis fieri,
 C. Calpurnius scripserat, qui eam provinciam pro
 prætore obtinebat. Itaque confestim eo missus
 Marcellus, consul designatus, qui rem inspiceret, ac,
 si digna videretur, exercitu adcito, bellum ex Apu-
 lia in Etruriam transferret. Eo metu compressi
 Etrusci quieverunt. Tarentinorum legatis, pacem
 petentibus cum libertate ac legibus suis, responsum
 ab senatu est, ut redirent, quum Fabius consul Ro-
 manum venisset. Ludi et Romani et plebei eo anno
 in singulos dies instaurati. Ædiles curules fuere
 L. Cornelius Caudinus et Ser. Sulpicius Galba: ple-
 beii C. Servilius et Q. Cæcilius Metellus. Servilium
 negabant jure aut tribunum plebis fuisse, aut ædi-
 lem esse; quod patrem ejus, quem triumvirum agrar-
 ium occisum a Boiis circa Mutinam esse opinio per

decem annos fuerat, vivere, atque in hostium potestate esse, satis constabat.

U. C. 544. XXII. Undecimo anno Punici belli consulatum
 A. C. 208. inierunt M. Marcellus quintum (ut numeretur consulatus, quem vitio creatus non gessit) et T. Quinctius Crispinus. Utrisque consulibus Italia decreta provincia est, et duo consulares prioris anni exercitus: tertius tum erat Venusiæ, cui M. Marcellus præfuerat: ita ut ex tribus eligerent duo, quos velent; tertius ei traderetur, cui Tarentum et Sallentini provincia evenisset. Ceteræ provinciæ ita divisæ prætoribus. P. Licinio Varo urbana, P. Licinio Crasso pontifici maximo peregrina, et quo senatus censisset: Sex. Julio Cæsari Sicilia, Q. Claudio Flamini Tarentum. Prorogatum imperium in annum est Q. Fulvio Flacco, ut provinciam Capuam, quæ T. Quinctii prætoris fuerat, cum una legione obtineret: prorogatum et C. Hostilio Tubulo est, ut pro prætore in Etruriam ad duas legiones succederet C. Calpurnio: prorogatum et L. Veturio Philoni est, ut pro prætore Galliam eandem provinciam cum iisdem duabus legionibus obtineret, quibus prætor obtinisset. Quod in L. Veturio, idem in C. Aurunculeio decretum ab senatu, latumque de prorogando imperio ad populum est, qui prætor Sardiniam provinciam cum duabus legionibus obtinuerat: additæ ei ad præsidium provinciæ quinquaginta naves, quas P. Scipio ex Hispania misisset. Et P. Scipioni, et M. Silano suæ Hispaniæ, sui que exercitus in annum decreti. Scipio ex octoginta navibus, quas aut secum ex Italia adductas aut captas Karthagine habebat, quinquaginta in Sardiniam transmittere iussus: quia fama erat, mag-

num navalem adparatum eo anno Karthagine esse; U. C. 544. ducentis navibus omnem oram Italiae, Siciliaeque, ac A. C. 208. Sardiniae inpleturos. Et in Sicilia ita divisa res est. Sex. Cæsari exercitus Cannensis est datus. M. Valerius Lævinus (ei quoque enim prorogatum imperium est) classem, quæ ad Siciliam erat, navium septuaginta obtineret. Adderet eo triginta naves, quæ ad Tarentum priore anno fuerant: cum ea centum navium classe, si videretur ei, prædatum in Africam trajiceret. Et P. Sulpicio, ut eadem classe Macedoniam Græciamque provinciam haberet, prorogatum in annum imperium est. De duabus, quæ ad urbem Romam fuerant, legionibus nihil mutatum. Supplementum, quo opus esset, scriberent consules, permissum. Una et viginti legionibus eo anno defensum imperium Romanum est. Et P. Licinio Varo prætori urbis negotium datum, *ut naves longas triginta veteres reficeret, quæ Ostiæ erant, et viginti novas naves sociis navalibus inpleret: ut quinquaginta navium classe oram maris vicinam urbi Romanæ tueri posset.* C. Calpurnius vetitus ab Arretio movere exercitum, nisi quum successor venisset. Idem et Tubulo imperatum, ut inde præcipue caveret, ne qua nova consilia caperentur.

XXIII. Prætores in provincias profecti. Consules religio tenebat, quod, prodigiis aliquot nunciatis, non facile litabant. Et ex Campania nunciata erant: Capuæ duas ædes, Fortunæ et Martis, et sepulcra aliquot de cælo tacta. Cumis (adeo minimis etiam rebus prava religio inserit Deos) mures in æde Jovis aurum rosisse. Casini examen apium ingens in foro consedissee. Et Ostiæ murum portamque de cælo tactam. Cære vulturium volasse in

U. C. 344. ædem Jovis. Volsiniis sanguine lacum manasse.

A. C. 208. Horum prodigiorum caussa diem unum supplicatio fuit. Per dies aliquot hostiæ majores sine litatione cæsæ, diuque non inpetrata pax Deûm. In capita consulum, republica incolumi, exitiabilis prodigiorum eventus vertit. Ludi Apollinares, Q. Fulvio, Ap. Claudio consulibus, a P. Cornelio Sulla prætoris urbis primum facti erant: inde omnes deinceps prætores urbani fecerant: sed in unum annum vovebant, dieque incerta faciebant. Eo anno pestilentia gravis incidit in urbem agrosque: quæ tamen magis in longos morbos, quam in perniciales, evasit. Ejus pestilentie caussa et supplicatum per compita tota urbe est, et P. Licinius Varus prætor urbis legem ferre ad populum jussus, ut hi ludi in perpetuum in statam diem voverentur. Ipse primus ita vovit, fecitque ante diem tertium Nonas Quinctiles. Is dies deinde sollemnis servatus.

XXIV. De Arretinis et fama in dies gravior, et cura crescere Patribus. Itaque C. Hostilio scriptum est, ne differret obsides ab Arretinis accipere: et, cui traderet Romam deducendos, C. Terentius Varro cum imperio missus: qui ut advenit, extemplo Hostilius legionem unam, quæ ante urbem castra habebat, signa in urbem ferre jussit, præsidiaque locis idoneis disposuit, tum in foro citatis senatoribus obsides imperavit. Quum senatus biduum ad considerandum peteret tempus, aut ipsos extemplo dare, aut se postero die senatorum omnes liberos sumpturum, edixit: inde portas custodire jussi tribuni militum, præfectique sociûm, et centuriones, ne quis nocte urbe exiret. Id segnius negligentiusque factum: septem principes senatus, priusquam custodiæ

in portis locarentur, ante noctem cum liberis evaserunt. Postero die luce prima, quum senatus in forum citari cœptus esset, desiderati, bonaque eorum venierunt: a ceteris senatoribus centum viginti obsides, liberi ipsorum, accepti, traditique C. Terentio Romam deducendi. Is omnia suspectiora, quam ante fuerant, in senatu fecit. Itaque, tamquam imminente Etrusco tumultu, legionem alteram ex urbanis Arretium ducere jussus ipse C. Terentius, eamque habere in præsidio urbis. C. Hostilium cum cetero exercitu placet totam provinciam peragrarè, et cavere, ne qua occasio novare cupientibus res daretur. C. Terentius, ut Arretium cum legione venit, claves portarum quum magistratus poposcisset, negantibus iis comparere, fraude amotas magis ratus, quam negligentia intercidisse, ipse alias claves omnibus portis inposuit: cavitque cum cura, ut omnia in potestate sua essent. Hostilium intentius monuit, ut in eo spem, non moturos quidquam Etruscos, poneret, si, ne quid moveri posset, cavisset.

XXV. De Tarentinis inde magna contentione in senatu actum coram Fabio, defendente ipso, quos ceperat armis, aliis infensis, et plerisque æquantibus eos Campanorum noxæ pœnæque. Senatusconsultum in sententiam M. Acilii factum est, ut oppidum præsidio custodiretur: Tarentinique omnes intra mœnia continerentur: res integra postea referretur, quum tranquillior status Italiæ esset. Et de M. Livio, præfecto arcis Tarentinæ, haud minore certamine actum est, aliis senatusconsulto notantibus præfectum, quod ejus socordia Tarentum proditum hosti esset; aliis præmia decernentibus, quod per quinquennium arcem tutatus esset, maximeque

U. C. 544.
A. C. 208.

De Tarentinis in senatu actum.

Tum de M. Livio Tarenti præfecto,

U. C. 544. unius ejus opera receptum Tarentum foret; mediis
 A. C. 208. ad censores, non ad senatum, notionem de eo pertinere dicentibus. Cujus sententiæ et Fabius fuit: adjecit tamen, *fateri se, opera Livii Tarentum receptum, quod amici ejus vulgo in senatu jactassent; neque enim recipiendum fuisse, nisi amissum foret.* Consul alter T. Quinctius Crispinus ad exercitum, quem Q. Fulvius Flaccus habuerat, cum supplemento in Lucanos est profectus. Marcellum aliæ atque aliæ objectæ animo religiones tenebant: in quibus, quod, quum bello Gallico ad Clastidium ædem Honori et Virtuti vovisset, dedicatio ejus a pontificibus inpediebatur: quod negabant, unam cellam duobus recte dedicari: quia, si de cœlo tacta, aut prodigii aliquid in ea factum esset, difficilis procuratio foret; quod, utri Deo res divina fieret, sciri non posset: neque enim duobus, nisi certis, Deis rite una hostia fieri: ita addita Virtutis ædes adproperato opere; neque tamen ab ipso ædes eæ dedicatæ sunt. Tum demum ad exercitum, quem priore anno Venusiæ reliquerat, cum supplemento proficiscitur. Locros in Bruttiiis Crispinus obpugnare conatus, quia magnam famam adtulisse Fabio Tarentum rebatur, omne genus tormentorum machinarumque ex Sicilia accesserat: et naves indidem adcitæ erant, quæ vergentem ad mare partem urbis obpugnarent. Ea omissa obpugnatio est, quia Lacinium Hannibal admoverat copias: et collegam eduxisse jam ab Venusia exercitum fama erat, cui conjungi volebat. Itaque in Apuliam ex Bruttiiis reditum, et inter Venusiam Bantiamque, minus trium millium passuum intervallo, consules binis castris consederant. In eandem regionem et Hannibal rediit, averso ab Locris bello. Ibi ambo

consules, ingenio feroces, prope quotidie in aciem exire; haud dubia spe, si duobus exercitibus consularibus junctis commisisset sese hostis, debellari posse.

U. C. 544.
A. C. 208.
Ambo cons.
obpositi
Hannibali.

XXVI. Hannibal quia cum Marcello bis priore anno congressus vicerat victusque erat, ut, cum eodem si dimicandum foret, nec spem, nec metum ex vano haberet; ita duobus consulibus haudquaquam sese parem futurum credebat: itaque, totus in suas artes versus, insidiis locum quærebat. Levia tamen prælia inter bina castra vario eventu fiebant: quibus quum extrahi æstatem posse consules crederent, nihilominus obpugnari Locros posse rati, L. Cincio, ut ex Sicilia Locros cum classe trajiceret, scribunt. Et, ut ab terra quoque obpugnari mœnia possent, ab Tarento partem exercitus, qui in præsidio erat, duci eo jusserunt. Ea ita futura per quosdam Thurinos compertum Hannibali quum esset, mittit ad insidendam ab Tarento viam: ibi sub tumulo Peteliæ tria millia equitum, peditum duo in occulto locata: in quæ inexplorato euntes Romani quum incidissent, ad duo millia armatorum cæsa, et mille ducenti ferme vivi capti: alii dissipati fuga per agros saltusque Tarentum rediere. Tumulus erat silvestris inter Punica et Romana castra, ab neutris primo occupatus: quia Romani, qualis pars ejus, quæ vergeret ad hostium castra, esset, ignorabant; Hannibal insidiis, quam castris, aptiorem eum crediderat. Itaque nocte ad id missas aliquot Numidarum turmas medio in saltu condiderat, quorum interdum nemo ab statione movebatur, ne aut arma, aut ipsi procul conspicerentur. Fremebant vulgo in castris Romanis, occupandum eum tumulum esse, et castello

Insidiis ex-
cipiuntur.

U. C. 544. firmandum : ne, si occupatus ab Hannibale foret,
 A. C. 208. velut in cervicibus haberent hostem. Movit ea res Marcellum, et collegæ, *quin imus*, inquit, *ipsi cum equitibus paucis exploratum ? Subjecta res oculis nostris certius dabit consilium.* Consentiente Crispino, cum equitibus ducentis et viginti, ex quibus quadraginta Fregellani, ceteri Etrusci erant, proficiscuntur. Secuti M. Marcellus consulis filius, et A. Manlius, tribuni militum : simul et duo præfecti sociûm, L. Arennius, et M. Aulius. Inmolasse eo die quidam memoriæ prodidere consulem Marcellum, et, prima hostia cæsa, jecur sine capite inventum ; in secunda omnia comparuisse, quæ adsolent. Auctum etiam visum in capite : nec id sane aruspici placuisse, quod, secundum trunca et turpia exta, nimis læta adparuissent.

XXVII. Ceterum consulem Marcellum tanta cupiditas tenebat dimicandi cum Hannibale, ut nunquam satis castra castris conlata crederet : tum quoque vallo egrediens signum dedit, ut ad locum miles esset paratus : ut, si collis, in quem speculatum irent, placuisset, vasa conligerent, ac sequerentur. Exiguum campi ante castra erat : inde in collem aperta undique et conspecta ferebat via. Numidis speculator, nequaquam in spem tantæ rei positus, sed si quos vagos, pabuli aut lignorum causa longius a castris progressos, possent excipere, signum dat, ut pariter ab suis quisque latebris exorirentur. Non ante adparuere, quibus obviis ab jugo ipso consurgendum erat, quam circumiere, qui a tergo includerent viam. Tum undique omaes exorti, et clamore sublato inpetum fecere. Quum in ea valle consules essent, ut neque evadere possent in jugum

occupatum ab hoste, nec receptum ab tergo circumventi haberent; extrahi tamen diutius certamen potuisset, ni cœpta ab Etruscis fuga pavorem ceteris injecisset. Non tamen omisere pugnam deserti ab Etruscis Fregellani, donec integri consules hortando, ipsique ex parte pugnando rem sustinebant. Sed, postquam vulneratos ambo consules, Marcellum etiam transfixum lancea prolabentem ex equo moribundum videre, tum et ipsi (perpauci autem supererant) cum Crispino consule duobus jaculis icto, et Marcello adolescente, saucio et ipso, effugerunt. Interfectus A. Manlius tribunus militum, et ex duobus præfectis sociûm M. Aulius occisus, L. Arennius captus; et lictores consulum quinque vivi in hostium potestatem venerunt: ceteri aut interfecti, aut cum consule effugerunt: equites tres et quadraginta, aut in prælio, aut in fuga, ceciderunt, duodeviginti vivi capti. Tumultuatum et in castris fuerat, ut consulibus irent subsidio; quum consulem et filium alterius consulis saucios, exiguasque infelicis expeditionis reliquias, ad castra venientes cernunt. Mors Marcelli quum alioqui miserabilis fuit, tum quod nec pro ætate, (major jam enim sexaginta annis erat) neque pro veteris prudentia ducis, tam improvide se, collegamque, et prope totam rempublicam, in præceps dederat. Multos circa unam rem ambitus fecerim, si, quæ de Marcelli morte variant auctores, omnia exsequi velim. Ut omittam alios, L. Cœlius triplicem rei gestæ ordinem edit: unam traditam fama; alteram scriptam laudatione filii, qui rei gestæ interfuerit; tertiam, quam ipse pro inquisita ac sibi comperta adfert. Ceterum ita fama va-

U. C. 544.
A. C. 209.

Marcellus
occiditur.
Crispinus
vulneratus
fugit.

U. C. 544. riat, ut tamen plerique loci speculandi causa castris
 A. C. 209. egressum; omnes insidiis circumventum tradant.

XXVIII. Hannibal, magnum terrorem hostibus, morte consulis unius, vulnere alterius, injectum esse ratus, ne cui deesset occasione, castra in tumulum, in quo pugnatum erat, extemplo transfert: ibi inventum Marcelli corpus sepelit. Crispinus, et morte collegæ, et suo vulnere territus, silentio insequentis noctis profectus, quos proximos nactus est montes, in iis loco alto et tuto undique castra posuit. Ibi duo duces sagaciter moti sunt, alter ad inferendam, alter ad cavendam fraudem. Annulo Marcelli simul cum corpore Hannibal potitus erat: ejus signi errore ne cui dolus necteretur a Pæno, metuens Crispinus, circa civitates proximas miserat nuncios; occisum collegam esse, annuloque ejus hostem potitum: ne quibus literis crederent nomine Marcelli compositis. Paulo ante hic nuncius consulis Salapiam venerat, quum literæ ab Hannibale adlatæ sunt, Marcelli nomine compositæ: *se nocte, quæ diem illum secutura esset, Salapiam venturum: parati milites essent, qui in præsidio erant, si quo opera eorum opus esset.* Sensere Salapitani fraudem: et ab ira, non defectionis modo, sed etiam equitum interfectorum, rati occasionem supplicii peti, remisso retro nuncio, (perfuga autem Romanus erat) ut sine arbitro milites, quæ vellent, agerent, oppidanos per muros urbisque opportuna loca in stationibus disponunt: custodias vigiliasque in eam noctem intentius instruunt: circa portam, qua venturum hostem rebantur, quod roboris in præsidio erat, obponunt. Hannibal quarta vigilia ferme ad urbem accessit.

Hannibal
 ad Salapiam
 suamet
 fraude
 captus.

Primi agminis erant perfugæ Romanorum, et arma Romana habebant: ii, ubi ad portam est ventum, Latine omnes loquentes excitant vigiles, aperiri que portam jubent: consulem adesse. Vigiles, velut ad vocem eorum excitati, tumultuari, trepidare, moliri portam: cataracta dejecta clausa erat: eam partim vectibus levant; partim funibus subducunt in tantum altitudinis, ut subire recti possent. Vixdum satis patebat iter, quum perfugæ certatim ruunt per portam: et quum sexcenti ferme intrassent, remisso fune, quo suspensa erat, cataracta magno sonitu cecidit. Salapitani, alii perfugas negligenter ex itinere suspensa humeris, ut inter pacatos, gerentes arma, invadunt: alii e turri ejus portæ murisque saxis, sudibus, pilis, absterrent hostem. Ita inde Hannibal suamet ipse fraude captus abiit: profectusque ad Locrorum solvendam obsidionem, quam Cincius summa vi, operibus tormentorumque omni genere ex Sicilia advecto, obpugnabat. Magoni, jam haud ferme fidenti retenturum defensurumque se urbem, prima spes, morte nunciata Marcelli, adfulsit. Secutus inde nuncius, Hannibalem, Numidarum equitatu præmisso, ipsum, quantum adcelerare posset, cum peditum agmine sequi. Itaque ubi primum Numidas edito e speculis signo adventare sensit, et ipse, patefacta repente porta, ferox in hostes erumpit. Et primo, magis quia improviso id fecerat, quam quod par viribus esset, anceps certamen erat: deinde, ut supervenere Numidæ, tantus pavor Romanis est injectus, ut passim ad mare ac naves fugerent; relictis operibus machinisque, quibus muros quatiebant. Ita adventu Hannibalis soluta Locrorum obsidio est.

U. C. 544.
A. C. 208.

Locrorum
obsidionem
solvit.

U. C. 544.
A. C. 208.
Crispinus
it Capuam.

XXIX. Crispinus, postquam in Bruttios profectum Hannibalem sensit, exercitum, cui collega præfuerat, M. Marcellum tribunum militum Venusiam abducere jussit: ipse, cum legionibus suis Capuam profectus, vix lecticæ agitationem præ gravitate vulnerum patiens, Romam literas de morte collegæ scripsit, quantoque ipse in discrimine esset. *Se comitiorum caussa non posse Romam venire: quia nec viæ laborem passurus videretur, et de Tarento sollicitus esset, ne ex Brutiis Hannibal eo converteret agmen. Legatos opus esse ad se mitti, viros prudentes: cum quibus, quæ vellet, de republicâ loqueretur.* Hæ literæ recitatæ magnum et luctum morte alterius consulis, et metum de altero fecerunt. Itaque et Q. Fabium filium ad exercitum Venusiam miserunt: et ad consulem tres legati missi, Sext. Julius Cæsar, L. Licinius Pollio, L. Cincius Alimentus, quum paucis ante diebus ex Sicilia redisset. Hi nunciare consuli jussi, ut, si ad comitia ipse Romam venire non posset, dictatorem in agro Romano diceret comitiorum caussa. Si consul Tarentum profectus esset, Q. Claudium prætorem placere in eam regionem inde abducere legiones, in qua plurimas sociorum urbes tueri posset. Eadem æstate M. Valerius cum classe centum navium ex Sicilia in Africam transmisit; et, ad Clupeam urbem exscensionæ facta, agrum late, nullo ferme obvio armato, vastabat. Inde ad naves raptim prædatores recepti, quia repente fama accidit, classem Punicam adventare: octoginta erant et tres naves. Cum iis haud procul Clupea prospere pugnat Romanus: decem et octo navibus captis, fugatis aliis, cum magna terrestri navalique præda, Lilybæum rediit. Eadem æstate

Classis
Romana
Africam
populatur.

Res Græcicæ.

et Philippus inplorantibus Achæis auxilium tulit: U. C. 544.
 quos et Machanidas tyrannus Lacedæmoniorum fi- A. C. 209.
 nitimo bello urebat; et Ætoli, navibus per fretum,
 quod Naupactum et Patras interfluit, (Rhion incolæ
 vocant) exercitu trajecto, depopulati erant. Atta-
 lum quoque regem Asiæ, quia Ætoli summum gen-
 tis suæ magistratum ad eum proximo concilio detu-
 lerant, fama erat in Europam trajecturum.

XXX. Ob hæc Philippo in Græciam descendenti Ætoli a
 ad Lamiam urbem Ætoli, duce Pyrrhia, qui prætor Philippo
 in eum annum cum absente Attalo creatus erat, ob- victi.
 currerunt. Habebant et ab Attalo auxilia secum:
 et mille ferme ex Romana classe, a P. Sulpicio mis-
 sos. Adversus hunc ducem atque has copias Philip-
 pus bis prospero eventu pugnavit: mille admodum
 hostium utraque pugna occidit. Inde quum Ætoli
 metu compulsi Lamiae urbis mœnibus tenerent sese,
 Philippus ad Phalara exercitum reduxit: in Maliaco
 sinu is locus est, quondam frequenter habitatus
 propter egregium portum, tutasque circa stationes,
 et aliam opportunitatem marinam terrestremque.
 Eo legati ab rege Ægypti Ptolemæo, Rhodiisque, et
 Atheniensibus, et Chiis venerunt, ad dirimendum
 inter Philippum atque Ætolos bellum. Adhibitus
 ab Ætolis et ex finitimis pacificator Amynder, rex
 Athamanum. Omnium autem non tanta pro Ætolis
 cura erat, ferocioribus quam pro ingenis Græcorum
 gentis: quam ne Philippus regnumque ejus, grave
 libertati futurum, rebus Græciæ innisceretur. De
 pace dilata consultatio est in concilium Achæorum;
 concilioque ei et locus et dies certa indicta: interim
 triginta dierum induciæ inpetratæ. Profectus inde Induciæ.
 rex per Thessaliam Bœotiamque, Chalcidem Eubœæ

U. C. 544. venit, ut Attalum, quem classe Eubœam petiturum
 A. C. 208. audierat, portubus et litorum adpulsu arceret. Inde,
 præsidio relicto adversus Attalum, si forte interim
 trajecisset, profectus ipse cum paucis equitum levis-
 que armaturæ, Argos venit. Ibi curatione Heræo-
 rum Nemeorumque suffragiis populi ad eum delata,
 quia se Macedonum reges ex ea civitate oriundos re-
 ferunt, Heræis peractis, ab ipso ludicro extemplo
 Rhium profectus est, ad indictum multo ante socio-
 rum concilium. Ibi de Ætolicò finiendò bello ac-
 tum, ne caussa aut Romanis, aut Attalo intrandi
 Græciam esset. Sed ea omnia, vixdum induciarum
 tempore circumacto, Ætoli turbavere, postquam et
 Attalum Æginam venisse, et Romanam classem
 stare ad Naupactum audivere. Vocati enim in con-
 cilium Achæorum, in quo eadem legationes erant,
 quæ ad Phalara egerant de pace, primum questi
 sunt quædam parva contra fidem conventionis tem-
 pore induciarum facta: postremo negarunt dirimi
 bellum posse, nisi Messeniis Achæi Pylum redderent,
 Romanis restitueretur Atintania, Scerdilædo et Pleu-
 rato Ardyæi. Enimvero indignum ratus Philippus,
 victos victori sibi ultro condiciones ferre: *ne antea
 quidem se aut de pace audisse, aut inducias pepigisse,*
*dixit, spem ullam habentem quieturos Ætolos; sed ut
 omnes socios testes haberet, se pacis, illos belli causam
 quæsisse.* Ita infecta pace concilium dimisit, qua-
 tuor millibus armatorum relictis ad præsidium Achæ-
 orum, et quinque longis navibus acceptis: quas si
 adjecisset missæ nuper ad se classi Karthaginien-
 sium, et ex Bithynia ab rege Prusia venientibus na-
 vibus, statuerat navali prælio lacessere Romanos,
 jam diu in ea regione potentes maris. Ipse ab eo

Ætoli
 spem pa-
 cis tur-
 bant.

cōncilio Argos regressus : jam enim Nemeorum ad-
petebat tempus, quæ celebrari volebat præsentia
sua.

U. C. 544.
A. C. 209.

XXXI. Occupato rege adparatu ludorum, et per
dies festos licentius, quam inter belli tempora, re-
mittente animum, P. Sulpicius, ab Naupacto profec-
tus, classem adpulit inter Sicyonem et Corinthum,
agrumque nobilissimæ fertilitatis effuse vastavit. Fa-
ma ejus rei Philippum ab ludis excivit : raptimque
cum equitatu profectus, jussis subsequi peditibus,
palatos passim per agros gravesque præda (ut qui
nihil tale metuerent) adortus Romanos, compulit in
naves. Classis Romana, haudquaquam læta præda,
Naupactum rediit. Philippo quoque ludorum, qui
reliqui erant, celebritatem quantæcumque, de Ro-
manis tamen, victoriæ partæ fama auxerat ; lætitia-
que ingenti celebrati festi dies : eo magis etiam,
quod, populariter demto capitis insigni, purpuraque,
atque alio regio habitu, æquaverat ceteris se in spe-
ciem : quo nihil gratius est civitatibus liberis. Præ-
buissetque haud dubiam eo facto spem libertatis, ni-
si omnia intoleranda libidine fæda ac deformia effe-
cisset : vagabatur enim cum uno aut altero comite
per maritas domos dies noctesque ; et, submitiendo
in privatum fastigium, quo minus conspectus, eo so-
lutior erat : et libertatem quam aliis vanam osten-
disset, totam in suam licentiam verterat. Neque
enim omnia emebat aut eblandiebatur, sed vim etiam
flagitiis adhibebat : periculosumque et viris et pa-
rentibus erat, moram incommoda severitate libidini
regiæ fecisse : uni etiam principi Achæorum Arato
adempta uxor nomine Polycratia, ac spe regiarum
nuptiarum in Macedoniam asportata fuerat. Per

Classis Ro-
mana Co-
rinthium
agrum va-
stat.

Philippi
licentia.

U. C. 544. hæc flagitia sollemni Nemeorum peracto, paucisque
 A. C. 208. additis diebus, Dymas est profectus, ad præsidium
 Ætolorum, quod ab Eleis aditum acceptumque in
 urbem erat, ejiciendum. Cycliadas (penes cum sum-
 ma imperii erat) Achæique ad Dymas regi obcurrere :
 et Eleorum accensi odio, quod a ceteris Achæis dis-
 sentirent : et infensi Ætolis, quos Romanum quoque
 adversus se movisse bellum credebant. Profecti ab
 Dymis, conjuncto exercitu transeunt Larisum am-
 nem, qui Eleum agrum ab Dymæo dirimit.

XXXII. Primum diem, quo fines hostium ingres-
 si sunt, populando absunserunt. Postero die acie
 instructa ad urbem accesserunt, præmissis equiti-
 bus ; qui, obequitando portis, promptum ad excur-
 siones genus lacerarent Ætolorum. Ignorabant,
 Sulpicium cum quindecim navibus ab Naupacto Cyl-
 lenen trajecisse, et, expositis in terram quatuor mil-
 libus armatorum, silentio noctis, ne conspici agmen
 posset, intrasse Elim. Itaque improvisa res ingen-
 tem injectit terrorem, postquam inter Ætolos Eleos-
 que Romana signa atque arma cognovere. Et pri-
 mo recipere suos voluerat rex : dein, contracto jam
 inter Ætolos et Trallos (Illyriorum id est genus)
 certamine, quum urgeri videret suos, et ipse rex
 cum equitatu in cohortem Romanam incurrit. Ibi
 equus pilo trajectus quum prolapsus per caput re-
 gem effudisset, atrox pugna utrimque accensa est,
 et ab Romanis inpetu in regem facto, et protegenti-
 bus regiis. Insignis et ipsius pugna fuit, quum
 pedes inter equites coactus esset prælium inire :
 dein, quum jam impar certamen esset, caderentque
 circa eum multi, et vulnerarentur, raptus ab suis,
 atque alteri equo injectus, fugit. Eo die castra

Rex vin-
 citur a
 Sulpicio.

quinque millia passuum ab urbe Eleorum posuit: U. C. 544.
A. C. 208. postero ad castellum (Pyrgum vocant) copias omnes eduxit: quo agrestium multitudinem cum pecoribus metu populationum compulsam audierat: eam inconditam inermemque multitudinem primo statim terrore adveniēns cepit: compensaveratque ea præda, quod ignominia ad Elim acceptum fuerat. Dividenti prædam captivosque (fuerant autem quatuor Redit in
Macedo-
niam. millia hominum, pecoris omnis generis ad millia viginti) nuncius ex Macedonia venit, Eropum quemdam, corrupto arcis præsidiique præfecto, Lychnidum cepisse: tenere et Dassaretiorum quosdam vicos, et Dardanos etiam concire. Omisso igitur Achaico bello, relictis tamen duobus millibus et quingentis omnis generis armatorum cum Menippo et Polyphanta ducibus ad præsidium sociorum, profectus ab Dymis, per Achaïam Bœotiamque et Eubœam, decimis castris Demetriadem in Thessaliam pervenit.

XXXIII. Ibi alii, majorem adferentes tumultum, nuncii obcurrunt: Dardanos, in Macedoniam effusos, Orestidem jam tenere, ac descendisse in Argestæum campum: famamque inter barbaros celebrem esse, Philippum occisum. Expeditione ea, qua cum populatoribus agri ad Sicyonem pugnavit, in arborem inlatus inpetu equi, ad eminentem ramum cornu alterum galeæ præfregit: id inventum ab Ætolo quodam, perlatumque in Ætoliam ad Scerdilædam, cui notum erat insigne galeæ, famam interfecti regis vulgavit. Post profectionem ex Achaïa regis, Sulpicius, Æginam classe profectus, cum Attalo sese conjunxit. Achæi cum Ætolis Eleisque haud procul Messene prosperam pugnam fecerunt.

U. C. 544. Attalus rex et P. Sulpicius Æginæ hibernarunt.

A. C. 206. Exitu hujus anni T. Quinctius Crispinus consul, dictatore comitorum ludorumque faciendorum causa dicto T. Manlio Torquato, ex vulnere moritur: alii Tarenti, alii in Campania mortuum tradunt. Id quod nullo ante bello acciderat, duo consules, sine memorando prælio interfecti, velut orbam rempublicam reliquerant. Dictator Manlius magistrum equitum C. Servilium (tum ædilis curulis erat) dixit. Senatus, quo die primum est habitus, ludos magnos facere dictatorem jussit, quos M. Æmilius prætor urbis, C. Flaminius, Cn. Servilio consulibus, fecerat, et in quinquennium voverat. Tum dictator et ludos fecit, et in insequens lustrum vovit. Ceterum, quum duo consulares exercitus tam prope hostem sine ducebibus essent, omnibus aliis omissis, una præcipua cura Patres populumque incessit, consules primo quoque tempore creandi; et ut eos potissimum crearent, quorum virtus satis tuta a fraude Panica esset; *quum toto eo bello damnosa præpropere ac fervida ingenia imperatorum fuissent, tum eo ipso anno consules, nimia cupiditate conserendi cum hoste manum, in necopinatam fraudem lapsos esse. Ceterum Deos immortales, miseritos nominis Romani, pepercisse innoxiiis exercitibus: temeritatem consulum ipsorum capitibus damnassee.*

Curæ de
coss. cre-
andis.

XXXIV. Quum circumspicerent Patres, quosnam consules facerent, longe ante alios eminebat C. Claudius Nero. Ei collega quærebatur, et virum quidem cum egregium ducebant, sed promptiorem acrioremque, quam tempora belli postularent, aut hostis Hannibal: temperandum acre ejus ingenium moderato et prudenti viro adjuncto collega censebant.

M. Livius erat, multis ante annis ex consulatu populi judicio damnatus: quam ignominiam adeo ægre tulerat, ut et rus migraret, et per multos annos et urbe et omni cœtu careret hominum: octavo ferme post damnationem anno M. Claudius Marcellus et M. Valerius Lævinus consules reduxerant eum in urbem: sed erat veste obsoleta, capilloque et barba promissa, præferens in vultu habituque insignem memoriam ignominiaë acceptæ. L. Veturius et P. Licinius censores eum tonderi, et squalorem deponere, et in senatum venire, fungique aliis publicis muneribus coëgerunt: sed tum quoque aut verbo adsentiebatur, aut pedibus in sententiam ibat, donec cognati hominis eum causa M. Livii Macati, quum fama ejus ageretur, stantem coëgit in senatu sententiam dicere. Tum ex tanto intervallo auditus convertit ora hominum in se, caussamque sermonibus præbuit, indigno injuriam a populo factam, magnoque id damno fuisse, quod tam gravi bello nec opera, nec consilio talis viri usa respublica esset. C. Neroni neque Q. Fabium, neque M. Valerium Lævinum dari collegas posse, quia duos patricios creari non liceret: eandem caussam in T. Manlio esse, præterquam quod recusasset delatum consulatum, recusaturusque esset. Egregium par consulum fore, si M. Livium C. Claudio collegam adjunxissent. Nec populus mentionem ejus rei ortam a Patribus est adspersus. Unus eam rem in civitate is, cui deferebatur honos, abnuebat, levitatem civitatis accusans. Sordidati rei non miseritos, candidam togam invito obferre: eodem honores pœnasque congeri. Si bonum virum ducerent, quid ita pro malo ac noxio damnassent? si noxium comperissent, quid ita, male credito priore consulatu, alterum

U. C. 544. *crederent? Hæc taliaque arguentem et querentem*
 A. C. 208. *castigabant Patres, et M. Furium, memorantes, revocatum de exsilio, patriam pulsam sede sua restituisse. Ut parentum sævitiam, sic patriæ, patiendo ac ferendo leniendam esse: adnisi omnes, cum C. Claudio M. Livium consulem fecerunt.*

XXXV. Post diem tertium ejus diei prætorum comitia habita. Prætores creati L. Porcius Licinus, C. Mamilius, A. et C. Hostilii Catones. Comitiiis perfectis, ludisque factis, dictator et magister equitum magistratu abierunt. C. Terentius Varro in Etruriam proprætor missus, ut ex ea provincia C. Hostilius Tarentum ad eum exercitum iret, quem T. Quinctius consul habuerat: et L. Manlius trans mare legatus iret, viseretque, quæ res ibi gererentur: simul, quod Olympiæ ludicrum ea æstate futurum erat, quod maximo cœtu Græciæ celebraretur, ut, si tuto per hostem posset, adiret id concilium: ut, qui Siculi bello ibi profugi, aut Tarentini cives relegati ab Hannibale essent, domos redirent, scirentque, sua omnia, quæ ante bellum habuissent, reddere populum Romanum. Quia periculosissimus annus imminere videbatur, neque consules in republica erant, in consules designatos omnes versi, quam primum eos sortiri provincias, et præsciscere, quam quisque eorum provinciam, quem hostem haberet, volebant. De reconciliatione etiam gratiæ eorum in senatu actum est, principio facto a Q. Fabio Maximo. Inimicitia autem nobiles inter eos erant, et acerbiores eas indignioresque Livio sua calamitas fecerat, quod spretum se in ea fortuna credebatur: itaque is magis implacabilis erat; et, *nihil opus esse reconciliatione, aiebat: acrius et intentius omnia gestu-*

Coss. designati reconciliantur.

ros, timentes ne crescendi ex se inimico collegæ potestas fieret. Vicit tamen auctoritas senatus, ut, positis simultatibus, communi animo consilioque administrarent rempublicam. Provinciæ iis non permixtæ regionibus, sicut superioribus annis, sed diversæ extremis Italiæ finibus, alteri adversus Hannibalem Bruttii, Lucani; alteri Gallia adversus Hasdrubalem (quem jam Alpibus adpropinquare fama erat) decreta. Exercitum ex duobus, qui in Gallia, qui que in Etruria essent, addito urbano, eligeret, quem mallet, qui Galliam esset sortitus. Cui Bruttii provincia evenisset, novis legionibus urbanis scriptis, utrius mallet consulum prioris anni, exercitum sumeret. Relictum a consule exercitum Q. Fulvius proconsul acciperet; eique in annum imperium esset: et C. Hostilio, cui pro Etruria Tarentum mutaverant provinciam, pro Tarento Capuam mutaverunt: legio una data, cui Fulvius proximo anno præfuerat.

XXXVI. De Hasdrubalis adventu in Italiam cura in dies crescebat. Massiliensium primum legati nunciaverant, eum in Galliam transgressum: erectosque adventu ejus, quia magnum pondus auri attulisse diceretur ad mercede auxilia conducenda, Gallorum animos: missi deinde cum iis legati ab Roma Sex. Antistius et M. Ræcius ad rem inspiciendam, retulerant, misisse se cum Massiliensibus ducibus, qui per hospites eorum, principes Gallorum, omnia explorata referrent. Pro comperto habere, Hasdrubalem ingenti jam coacto exercitu proximo vere Alpes trajecturum: nec tum cum quidquam aliud morari, nisi quod clausæ hieme Alpes essent. In locum M. Marcelli P. Ælius Pætus au-

Hasdrubal
in Galliam
transgres-
sus.

U. C. 544. gur creatus inauguratusque : et Cn. Cornelius Do-
 A. C. 205. labella rex sacrorum inauguratus est in locum
 M. Marcii, qui biennio ante mortuus erat. Hoc
 eodem anno et lustrum conditum est a censoribus
 P. Sempronio Tuditano et M. Cornelio Cethego.
 Censa civium capita centum triginta septem millia,
 centum et octo : minor aliquanto numerus, quam
 qui ante bellum fuerat. Eo anno primum, ex quo
 Hannibal in Italiam venisset, comitium tectum esse,
 memoriæ proditum est, et ludos Romanos semel in-
 stauratos ab ædilibus curulibus Q. Metello et C. Ser-
 vilio : et plebeiis ludis biduum instauratum ab Q.
 Mamilio et M. Cæcilio Metello ædilibus plebis : et
 tria signa ad Cereris iidem dederunt : et Jovis epu-
 37. C. 545. lum fuit ludorum caussa. Consulatum inde ineunt
 A. C. 207. C. Claudius Nero et M. Livius iterum : qui, quia
 jam designati provincias sortiti erant, prætores sor-
 tiri jusserunt. C. Hostilio urbana evenit : addita
 et peregrina, ut tres in provincias exire possent. A.
 Hostilio Sardinia, C. Mamilio Sicilia, L. Porcio Gal-
 lia evenit. Summa legionum trium et viginti ita per
 provincias divisa, ut binæ consulum essent ; quatuor
 Hispania haberet ; tres prætores binas, in Sicilia, in
 Sardinia, et Gallia ; duas C. Terentius in Etruria ;
 duas Q. Fulvius in Brutiis ; duas Q. Claudius circa
 Tarentum et Sallentinos ; unam C. Hostilius Tubu-
 lus Capuæ : duæ urbanæ ut scriberentur : primis
 quatuor legionibus populus tribunos creavit : in ce-
 teras consules miserunt.

XXXVII. Priusquam consules proficiscerentur,
 novendiale sacrum fuit, quia Veiis de cælo lapida-
 verat. Sub unius prodigii (ut fit) mentionem alia
 quoque nunciata ; Minturnis ædem Jovis et lucum

Maricæ; item Atellæ murum et portam de cœlo U. C. 545.
 tacta. Minturnenses, terribilius quod esset, adjicie- A. C. 207.
 bant, sanguinis rivum in porta fluxisse: et Capuæ
 lupus, nocte portam ingressus, vigilem laniaverat.
 Hæc procurata hostiis majoribus prodigia, et sup-
 plicatio diem unum fuit ex decreto pontificum: inde
 iterum novemdiale instauratum, quod in Arnilustro
 lapidibus visum pluere. Liberatas religione mentes
 turbavit rursus nunciatum, Frusinone infantem na-
 tum esse quadrimo parem: nec magnitudine tam mi-
 randum, quam quod is quoque, ut Sinuessæ biennio
 ante, incertus, mas an femina esset, natus erat. Id
 vero aruspices, ex Etruria adçiti, fœdum ac turpe
 prodigium dicere: extorrem agro Romano, procul
 terræ contactu, alto mergendum. Vivum in arcam
 condidere, provectumque in mare projecerunt. De-
 crevere item pontifices, ut virgines ter novenæ, per
 urbem euntes, carmen canerent. Id quum in Jovis
 Statoris æde discerent, conditum ab Livio poeta,
 carmen, tacta de cœlo ædes in Aventino Junonis
 Reginae: prodigiumque id ad matronas pertinere,
 aruspices quum respondissent, donoque Divam pla-
 candam esse; ædilium curulium edicto in Capito-
 lium convocatæ, quibus in urbe Romana, intraque
 decimum lapidem ab urbe, domicilia essent, ipsæ
 inter se quinque et viginti delegerunt, ad quas ex
 dotibus stipem conferrent. Inde donum pelvis aurea
 facta, lataque in Aventinum, pureque et caste a ma-
 tronis sacrificatum. Confestim ad aliud sacrificium
 eidem Divæ ab decemviris edicta dies, cujus ordo
 talis fuit: ab æde Apollinis boves feminae albæ duæ
 porta Carmentali in urbem ductæ: post eas duo
 signa cupressæ Junonis Reginae portabantur: tum

U. C. 545. septem et viginti virgines, longam indutæ vestem,
 A. C. 207. carmen in Junonem Reginam canentes ibant; illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens et inconditum, si referatur. Virginum ordinem sequebantur decemviri coronati laurea, prætextatique. A porta Jugario vico in forum venire: in foro pompa constitit; et, per manus recte data, virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt: inde vico Tusco Velabroque, per Boarium forum, in clivum Publicium atque ædem Junonis Reginæ perrectum: ibi duæ hostiæ ab decemviris immolatæ, et simulacra cupressea in ædem inlata.

Acrius
 libetur
 et lectus.

XXXVIII. Diis rite placatis, delectum consules habebant acrius intentiusque, quam prioribus annis quisquam meminerat habitum: nam et belli terror duplicatus novi hostis in Italiam adventu: et minus javentutis erat, unde scriberent milites. Itaque colonos etiam maritimos, qui sacrosanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant: quibus recusantibus, edixere in diem certam, ut, quo quisque jure vacationem haberet, ad senatum deferret. Ea die hi populi ad senatum venerunt: Ostiensis, Alsiensis, Antias, Anxuras, Minturnensis, Sinuessanus, et ab supero mari Senensis. Quum vacationes suas quisque populus recitaret; nullius, quum in Italia hostis esset, præter Antiatem Ostiensemque, vacatio observata est: et earum coloniarum juniores jurejurando adacti, supra dies triginta non pernoctaturos se esse extra mœnia coloniae suæ, donec hostis in Italia esset. Quum omnes censerent, primo quoque tempore consulibus eundem ad bellum, (nam et Hasdrubali obcurrendum esse descendentem ab Alpibus, ne Gallos Cisalpinos, neve Etru-

Exercitus
 contra
 Hasdrubalem
 et Hannibalem.

riam, erectam in spem rerum novarum, sollicitaret: U. C. 545.
 et Hannibalem suo proprio occupandum bello, ne A. C. 207.
 emergere ex Brutiis atque obviam fratri ire posset)
 Livius cunctabatur, parum fidens suarum provincia-
 rum exercitibus: collegam ex duobus consularibus
 egregiis exercitibus, et tertio, cui Q. Claudius Ta-
 renti præset, electionem habere: intuleratque men-
 tionem de volonibus revocandis ad signa. Senatus
 liberam potestatem consulibus fecit, et supplendi
 unde vellent, et eligendi de omnibus exercitibus,
 quos vellent, permutandique, et ex provinciis, quos
 e republica censerent esse, traducendi. Ea omnia
 cum summa concordia consulum acta. Volones in
 undevicesimam et vicesimam legiones scripti. Mag-
 ni roboris auxilia ex Hispania quoque a P. Scipione
 M. Livio missa quidam ad id bellum auctores sunt:
 octo millia Hispanorum Gallorumque, et duo millia
 de legione militum, equitum mille, mixtos Numidas
 Hispanosque. M. Lucretium has copias navibus ad-
 duxisse: et sagittariorum funditorumque ad quatuor
 millia ex Sicilia C. Mamilium misisse.

XXXIX. Auxerunt Romæ tumultum literæ ex Hasdrubal
 Gallia adlatæ ab L. Porcio prætore: *Hasdrubalem* transit
movisse ex hibernis, et jam Alpes transire: octo millia Alpes.
Ligurum conscripta armataque, conjunctura se trans-
gresso in Italiam esse, nisi mitteretur in Ligures, qui
eos bello occuparet: se cum invalido exercitu, quoad
tutum putaret, progressurum. Hæ literæ consules,
 raptim confecto delectu, maturius, quam constitue-
 rant, exire in provincias coëgerunt, ea mente, ut
 aterque hostem in sua provincia contineret, neque
 conjungi, aut conferre in unum vires pateretur.
 Plurimum in eam rem adjuvit opinio Hannibalis:

U. C. 545. quod, etsi ea æstate transiturum in Italianam fratrem crediderat, recordando quæ ipse in transitu nunc Rhodani, nunc Alpium, cum hominibus locisque pugnando per quinque menses exhausisset, haudquaquam tam facilem maturumque transitum expectabat: ea tardius movendi ex hibernis causa fuit. Ceterum Hasdrubali et sua et aliorum spe omnia celeriora atque expeditiora fuere: non enim receperunt modo Arverni cum, deincepsque aliæ Gallicæ atque Alpinae gentes; sed etiam secutæ sunt ad bellum: et quum per munita pleraque transitu fratris, quæ antea invia fuerant, ducebat; tum etiam, duodecim annorum adsuetudine perviis Alpibus factis, inter mitiora jam hominum transibat ingenia. Invisitati namque antea alienigenis, nec videre ipsi advenam in sua terra adsueti, omni generi humano insociabiles erant. Et primo ignari, quo Pœnus pergeret, suas rupes suaque castella, et pecorum hominumque prædam peti crediderant: fama deinde Punici belli, quo duodecimum annum Italia urebatur, satis edocuerat, viam tantum Alpes esse: duas prævalidas urbes, magno inter se maris terrarumque spatio discretas, de imperio et opibus certare: hæ causæ aperuerant Alpes Hasdrubali. Ceterum quod celeritate itineris profectum erat, id mora ad Placentiam, dum frustra obsidet magis, quam obpugnat, conrupit. Crediderat campestris oppidi facilem expugnationem esse: et nobilitas coloniæ induxerat eum, magnum se excidio ejus urbis terrorem ceteris ratum injecturum. Non ipsum solum ea obpugnatio inpedi't: sed Hannibalem post famam transitus ejus, tanto spe sua celeriore, jam moventem ex hibernis, continuerat:

Placentiam obsidet.

quippe reputantem, non solum quam lenta urbium U. C. 545.
obpugnatio esset, sed etiam quam ipse frustra eam- A. C. 207.
dem illam coloniam, ab Trebia victor regressus,
tentasset.

XL. Consules, diversis itineribus profecti ab urbe, Anxietas Romanorum.
velut in duo pariter bella distenderant curas hominum, simul recordantium, quas primus adventus Hannibalis intulisset Italiæ clades; simul, quum illa angeret cura, *quos tam propitios urbi atque imperio fore Deos, ut eodem tempore utrobique respublica prospere gereretur? adhuc adversa secundis pensando rem ad id tempus extractam esse: quum in Italia ad Trasimenum et Cannas præcipitasset Romana res, prospera bella in Hispania prolapsam eam crexisse: postea, quam in Hispania alia super aliam clades, duobus egregiis ducibus amissis, duos exercitus ex parte delesset multa, secunda in Italia Siciliaque gesta quassatam rempublicam excepisse: et ipsum intervallum loci, quod in ultimis terrarum oris alterum bellum gereretur, spatium dedisse ad respirandum. Nunc duo bella in Italiam accepta, duo celeberrimi nominis duces circumstare urbem Romanam, et unum in locum totam periculi molem, omne onus incubuisse: qui eorum prior vicisset, intra paucos dies castra cum altero juncturum.* Terrebat et proximus annus lugubris duorum consulum funeribus. His anxii curis homines digredientes in provincias consules prosecuti sunt. Memoriae proditum est, plenum adhuc iræ in cives M. Livium, ad bellum proficiscentem, monenti Q. Fabio, Livii vox plena iræ in cives.
ne, priusquam genus hostium cognosset, temere manum consereret, respondisse: ubi primum hostium agmen conspexisset, pugnaturum. Quum quæreretur, quæ caussa festinandi esset? Aut ex hoste egregiam glo-

U. C. 545. *riam, inquit, aut ex civibus victis gaudium, meritum*
 A. C. 207. *certe, etsi non honestum, capiam.* Priusquam Clau-
 dius consul in provinciam perveniret, per extremum
 finem agri Larinatis ducentem in Sallentinos exer-
 citum Hannibalem cum expeditis cohortibus ador-
 tus, C. Hostilius Tubulus incompósito agmini terri-
 bilem tumultum intulit: ad quatuor millia hominum
 occidit, novem signa militaria cepit. Moverat ex
 hibernis ad famam hostis Q. Claudius, qui per urbes
 agri Sallentini castra disposita habebat. Itaque, ne
 cum duobus exercitibus simul configeret, Hannibal
 nocte castra ex agro Tarentino movit, atque in
 Bruttios concessit. Claudius in Sallentinos agmen
 convertit. Hostilius, Capuam petens, obvius ad
 Venusiam fit consuli Claudio. Ibi ex utroque ex-
 ercitu electa peditum quadraginta millia, duo millia
 et quingenti equites, quibus consul adversus Hanni-
 balem rem gereret: reliquas copias Hostilius Ca-
 puam ducere jussus, ut Q. Fulvio proconsuli tra-
 deret.

XLI. Hannibal, undique contracto exercitu,
 quem in hibernis, aut in præsiidiis agri Bruttii ha-
 buerat, in Lucanos ad Grumentum venit, spe reci-
 piendi oppida, quæ per metum ad Romanos defecis-
 sent: eodem a Venusia consul Romanus exploratis
 itineribus contendit, et mille fere et quingentos pas-
 sus castra ab hoste locat. Grumentum mœnibus pro-
 pe injectum videbatur Pœnorum vallum: quingen-
 ti passus intererant. Castra Punica ac Romana in-
 ter jacebat campus, colles iminebant nudi sinistro
 lateri Karthaginensium, dextro Romanorum, neu-
 tris suspecti, quod nihil silvæ neque ad insidias late-
 brarum habebant. In medio campo ab stationibus

Neronis
 et Hanni-
 balis cas-
 tra con-
 lata.

procursantes certamina, haud satis digna dictu, se-
 rebant. Id modo Romanum quærere adparebat, ne
 abire hostem pateretur. Hannibal, inde evadere
 cupiens, totis viribus in aciem descendebat. Tum
 consul, ingenio hostis usus, quo minus in tam aper-
 tis collibus timeri insidiæ poterant, quinque cohortes,
 additis quinque manipulis, nocte jugum superare,
 et in aversis vallibus considerare jubet: tempus
 exurgendi ex insidiis, et adgrediendi hostem, Ti.
 Claudium Asellum tribunum militum et P. Claudium
 præfectum sociùm edocet, quos cum iis mittebat.
 Ipse luce prima copias omnes peditum equitumque
 in aciem eduxit. Paulo post et ab Hannibale signum
 pugnae propositum est, clamorque in castris ad
 arma discurrentium est sublatus: inde eques pedes-
 que certatim portis ruere, ac palati per campum
 properare ad hostes. Quos ubi effusos consul videt,
 tribuno militum tertiæ legionis C. Aurunculeio im-
 perat, ut equites legionis, quanto maximo inpetu
 possit, in hostem emittat: ita pecorum modo in-
 compositos toto passim campo se fudisse, ut sterni
 obterique, priusquam instruantur, possint.

XLII. Nondum Hannibal e castris exierat, quum
 pugnantium clamorem audivit: itaque, excitus tu-
 multu, raptim ad hostem copias agit. Jam primos
 occupaverat equester terror; peditum etiam prima
 legio et dextra ala prælium inibant: incompositi
 hostes, ut quemque aut pediti, aut equiti casus ob-
 tulit, ita conserunt manus: crescit pugna subsidiis,
 et procurrentium ad certamen numero augetur;
 pugnantisque (quod nisi in vetere exercitu, et duci
 veteri haud facile est) inter tumultum ac terrorem
 intruxisset Hannibal, ni cohortium ac manipulo-

U. C. 545.
 A. C. 207.

Insidiæ Ro-
 manorum.

Pugna
 commit-
 titur.

U. C. 545. rum decurrentium per colles clamor, ab tergo audi-
 A. C. 207. tus, metum, ne intercluderentur a castris, injecisset.

Vincunt
 Romani.

Inde pavor incussus, et fuga passim fieri cœpta est: minorque cædes fuit, quia propinquitas castrorum brevior fugam percussis fecit. Equites enim tergo inhærebant; in transversa latera invaserant cohortes, secundis collibus via nuda ac facili decurrentes: tamen supra octo millia hominum occisa; supra septingentos capti: signa militaria novem ademta: elephantum etiam, quorum nullus usus in repentina ac tumultuaria pugna fuerat, quatuor occisi, duo capti. Circa quingentos Romanorum sociorumque victores ceciderunt. Postero die Pœnus quievit: Romanus, in aciem copiis eductis, postquam neminem signa contra efferre vidit, spolia legi cæsorum hostium, et suorum corpora conlata in unum sepeliri jussit: inde insequentibus continuis diebus aliquot ita institit portis, ut prope inferre signa videretur: donec Hannibal tertia vigilia, crebris ignibus tabernaculisque, quæ pars castrorum ad hostes vergebat, et Numidis paucis, qui in vallo portisque se ostenderent, relictis, profectus Apuliam petere intendit. Ubi inluxit, successit vallo Romana acies: et Numidæ ex composito paullisper in portis se valloque ostentavere: frustratique aliquamdiu hostes, citatis equis agmen suorum adsequuntur. Consul, ubi silentium in castris, et ne paucos quidem, qui prima luce obambulaverant, parte ulla cernebat, duobus equitibus speculatum in castra præmissis, postquam satis tuta omnia esse exploratum est, inferri signa jussit: tantumque ibi moratus, dum milites ad prædam discurrunt, receptui deinde cecinit, multoque ante noctem copias reduxit. Pos-

tero die prima luce profectus, magnis itineribus famam et vestigia agminis sequens, haud procul Venusia hostem adsequitur. Ibi quoque tumultuaria pugna fuit: supra duo millia Pœnorum cæsa. Inde nocturnis montanisque itineribus Pœnus, ne locum pugnandi daret, Metapontum petiit. Hanno inde (is enim præsidio ejus loci præfuerat) in Bruttios cum paucis ad exercitum novum comparandum missus. Hannibal, copiis ejus ad suas additis, Venusiam retro, quibus venerat itineribus, repetit, atque inde Canusium procedit. Numquam Nero vestigiis hostis abstiterat: et Q. Fulvium, quum Metapontum ipse proficisceretur, in Lucanos, ne regio ea sine præsidio esset, arcessierat.

XLIII. Inter hæc ab Hasdrubale, postquam a Placentiæ obsidione abscessit, quatuor Galli equites, duo Numidæ, cum literis ad Hannibalem missi, quum per medios hostes totam ferme longitudinem Italiæ emensi essent, dum Metapontum cedentem Hannibalem sequuntur, incertis itineribus Tarentum delati, a vagis per agros pabulatoribus Romanis ad Q. Claudium proprætorem deducuntur. Eum primo incertis implicantes responsis, ut metus tormentorum admotus fateri vera coëgit, edocuerunt, literas se ab Hasdrubale ad Hannibalem ferre. Cum iis literis, sicut erant, signatis, L. Virgínio tribuno militum duccendi ad Claudium consulem traduntur: duæ simul turmæ Samnitium præsidii causa missæ. Qui ubi ad consulem pervenerunt, literæque lectæ per interpretem sunt, et ex captivis percunctatio facta; tum Claudius, non id tempus esse reipublicæ ratus, quo consiliis ordinariis provinciæ suæ quisque finibus per exercitus suos cum hoste destinato ab senatu bellum

U. C. 545.
A. C. 207.

Intercipi-
untur Has-
drubalis li-
teræ.

U. C. 545. gereret, audendum aliquid improvisum inopinatum,
 A. C. 207. quod cœptum non minorem apud cives, quam hostes
 terrorem faceret, perpetratum in magnam lætitiã
 ex magno metu verteret; literis Hasdrubalis Ro-
 mam ad senatum missis, simul et ipse Patres con-
 scriptos, quid pararet, edocet, ut, quum in Umbria
 se obscurum Hasdrubal fratri scribat, legionem a
 Capua Romam arcessant; delectum Romæ habeant;
 exercitum urbanum ad Narniam hosti obponant.
 Hæc senatui scripta. Præmissi item per agrum La-
 rinatam, Marrucinum, Frentanum, Prætutianum,
 qua exercitum ducturus erat, ut omnes ex agris ur-
 bibusque commeatus paratos militi ad vescendum in
 viam deferrent, equos jumenta que alia producerent,
 ut vehiculorum fessis copia esset. Ipse de toto ex-
 exercitu civium sociorumque, quod roboris erat, dele-
 git, sex millia peditum, mille equites: pronunciat,
 occupare se in Lucanis proximam urbem Punicum-
 que in ea præsidium velle; ut ad iter parati omnes
 essent. Profectus nocte flexit in Picenum. Et con-
 sul quidem, quantis maximis itineribus poterat, ad
 collegam ducebat, relicto Q. Catio legato, qui cas-
 tris præesset.

Nero pro-
 ficiscitur
 ad colle-
 gam.

XLIV. Romæ haud minus terroris ac tumultus
 erat, quam fuerat biennio ante, quum castra Punica
 objecta Romanis mœnibus portisque fuerant: neque
 satis constabat animis, tam audax iter consulis lau-
 darent vituperarentne. Adparebat (quo nihil ini-
 quius est) ex eventu famam habiturum. *Castra prope
 Hannibalem hostem relicta sine duce cum exercitu, cui
 detractum foret omne, quod roboris, quod floris fuerit;
 et consulem in Lucanos ostendisse iter, quum Picenum
 et Galliam peteret, castra relinquentem nulla alia re*

tutiora, quam errore hostis, qui ducem inde atque ex- U. C. 546.
ercitus partem abesse ignoraret. Quid futurum, si id A. C. 207.
palam fiat? et aut insequi Neronem, cum sex millibus
armatorum profectum, Hannibal toto exercitu velit,
aut castra invadere, prædæ relicta, sine viribus, sine im-
perio, sine auspicio? Veteres ejus belli clades, duo
consules proximo anno interfecti terrebant. Et ea
omnia accidisse, quum unus imperator, unus exercitus
hostium in Italia esset: nunc duo bella Punica facta,
duos ingentes exercitus, duos prope Hannibales in Italia
esse: quippe et Hasdrubalem, patre eodem Hamilcare
genitum, æque inpigrum ducem, per tot in Hispania
annos Romano exercitatum bello, gemina victoria in-
signem, duobus exercitibus cum clarissimis ducibus dele-
tis. Nam itineris quidem celeritate ex Hispania et con-
citatis ad arma Gallicis gentibus multo magis, quam
Hannibalem ipsum, gloriari posse: quippe in iis locis
hunc cœgisse exercitum, quibus ille majorem partem mi-
litum fame ac frigore, quæ miserrima mortis genera
sunt, amisisset. Adjiciebant etiam periti rerum His-
paniæ, haud cum ignoto duce C. Nerone congressurum:
sed quem in saltu impedito deprehensus forte, haud se-
cus quam puerum, conscribendis fallacibus conditioni-
bus pacis frustratus elusisset. Omnia majora etiam
vero præsidia hostium, minora sua, metu interprete,
semper in deteriora inclinato, ducebant.

XLV. Nero, postquam jam tantum intervalli ab Nero mi-
 hoste fecerat, ut detegi consilium satis tutum esset, lites hor-
 paucis milites adloquitur. Negat ullius consilium tatur.
 imperatoris in speciem audacius, re ipsa tutius fuisse,
 quam suam. Ad certam eos se victoriam ducere: quip-
 pe ad quod bellum collega non ante, quam ad satieta-
 tem ipsius peditum atque equitum datæ ab senatu

U. C. 545. *copiæ fuissent majores instructioresque, quam si ad-*
 A. C. 207. *versus ipsum Hannibalem iret, profectus sit, eo ipsos,*
quantumcumque virium momentum addiderint, rem
omnem inclinaturos. Auditum modo in acie (nam, ne
ante audiretur, daturum operam) alterum consulem et
alterum exercitum advenisse, haud dubiam victoriam
facturum. Famam bellum conficere, et parva momen-
ta in spem metumque impellere animos. Gloriæ qui-
dem ex re bene gesta partæ fructum prope omnem ip-
sos laturos. Semper, quod postremum adjectum sit, id
rem totam videri traxisse. Cernere ipsos, quo concur-
su, qua admiratione, quo favore hominum iter suum
celebretur. Et, Hercule, per instructa omnia ordi-
nibus virorum mulierumque, undique ex agris effu-
sorum, inter vota et preces et laudes ibant: illos
præsidia reipublicæ, vindices urbis Romæ imperiique
adpellabant: in illorum armis dextrisque suam li-
berumque suorum salutem ac libertatem repositam
esse. Deos omnes Deasque precabantur, ut illis
faustum iter, felixque pugna, matura ex hostibus
victoria esset: damnarenturque ipsi votorum, quæ
pro iis suscepissent: Ut, quemadmodum nunc sol-
liciti prosequerentur eos, ita paucos post dies læti
ovantibus victoria obviam irent. Invitare inde pro
se quisque, et obferre, et fatigare precibus, ut, quæ
ipsis jumentisque usui essent, ab se potissimum su-
merent: benigne omnia cumulata dare. Modestia
certare milites, ne quid ultra usum necessarium su-
merent: nihil inaurari, nec ab signis absistere cibum
capientes: diem ac noctem ire; vix, quod satis ad
naturale desiderium corporum esset, quieti dare.
Et ad collegam præmissi erant, qui nunciarent ad-
ventum, percunctarenturque, clam an palam, inter-

diu an noctu, venire sese vellet, iisdem an aliis con-
 siderare castris. Nocte clam ingredi melius visum
 est.

U. C. 545.

A. C. 207.

XLVI. Tessera per castra ab Livio consule data
 erat, ut tribunum tribunus, centurio centurionem,
 eques equitem, pedes peditem acciperet: neque enim
 dilatari castra opus esse, ne hostis adventum alterius
 consulis sentiret: et coartatio plurium in angusto
 tendentium facilius futura erat, quod Claudianus
 exercitus nihil ferme, præter arma, secum in expe-
 ditionem tulerat. Ceterum in ipso itinere auctum
 voluntariis agmen erat; obferentibus sese ultro et
 veteribus militibus perfunctis jam militia, et juveni-
 bus, quos certatim nomina dantes, si quorum cor-
 poris species roburque virium aptum militiæ vide-
 batur, conscripserat. Ad Senam castra alterius con-
 sulis erant: et quingentos inde ferme passus Has-
 drubal aberat. Itaque quum jam adpropinquaret,
 tectus montibus substitit Nero, ne ante noctem cas-
 tra ingrederetur. Silentio ingressi, ab sui quisque
 ordinis hominibus in tentoria abducti, cum summa
 omnium lætitia hospitaliter excipiuntur. Postero
 die consilium habitum, cui et L. Porcius Licinus
 prætor adfuit. Castra juncta consulum castris ha-
 bebat: et ante adventum eorum, per loca alta du-
 cendo exercitum, quum modo insideret angustos sal-
 tus, ut transitum clauderet, modo ab latere aut ab
 tergo carperet agmen, indificatus hostem omnibus
 artibus belli fuerat: is tum in consilio aderat. Mul-
 torum eo inclinant sententiæ, ut, dum fessum via ac
 vigiliis reficeret militem Nero, simul et ad noscen-
 dum hostem paucos sibi sumeret dies, tempus pug-
 næ differretur. Nero non suadere modo, sed sum-

Clam in-
 greditur
 castra
 Livii.

U. C. 545. **ma** ope orare institit, ne consilium suum, quod tutum
 A. C. 207. *celeritas fecisset, temerarium morando facerent. Errore (qui non diuturnus futurus esset) velut torpentem Hannibalem, nec castra sua sine duce relicta adgredi, nec ad sequendum se iter intendisse: antequam se moveat, deleri exercitum Hasdrubalis posse, redireque in Apuliam. Qui prolatando spatium hosti det, eum et illa castra prodere Hannibali, et aperire in Galliam iter, ut per otium, ubi velit, Hasdrubali conjungatur. Extemplo signum dandum, et exeundum in aciem: abutendumque errore hostium absentium præsentiumque; dum neque illi sciant cum paucioribus, nec hi cum pluribus et validioribus rem esse. Consilio dimisso, signum pugnae proponitur, confestimque in aciem procedunt.*

Hasdrubalis prudentia.

. XLVII. Jam hostes ante castra instructi stabant: moram pugnae adtulit, quod Hasdrubal, pro-
 vectus ante signa cum paucis equitibus, scuta vetera hostium notavit, quæ ante non viderat, et strigosiores equos: multitudo quoque major solita visa est. Suspiciatus enim id, quod erat, receptui pro-
 pere cecinit, ac misit ad flumen, unde aquabantur: ubi et excipi aliqui possent, et notari oculis, si qui forte adustioris coloris, ut ex recenti via, essent; simul circumvehi procul castra jubet specularique, num auctum aliqua parte sit vallum: et ut adtendant, semel bisne signum canat in castris. Ea quam ordine omnia relata essent, castra nihil aucta errorem faciebant. Bina erant, sicut ante adventum consulis alterius fuerant: una M Livii, altera L. Porcii: neutris quidquam, quo latius tenderetur, ad munimenta adjectum. Illud veterem ducem ad-
 suetumque Romano hosti movit, quod semel in

prætoriiis castris signum, bis in consularibus referebant cecinisse: *duos profecto consules esse*, et, quoniam modo alter ab Hannibale abscessisset, cura agebat. Minime id, quod erat, suspicari poterat, tantæ rei frustratione Hannibalem elusum, ut, ubi dux, ubi exercitus esset, cum quo castra conlata haberet, ignoraret. Profecto haud medioeri clade absterritum insequi non ausum: magnopere vereri, ne perditis rebus serum ipse auxilium venisset; Romanisque eadem jam fortuna in Italia, quæ in Hispania, esset: interdum, literas suas ad eum non pervenisse, credere: interceptisque iis, consulem ad sese obprimendum adcelerasse. His anxius curis, exstinctis ignibus, vigilia prima dato signo, ut taciti vasa conligerent, signa ferri jussit. In trepidatione et nocturno tumultu duces parum intente adservati, alter in destinatis jam ante animo latebris subsedit, alter per vada nota Metaurum flumen tranavit: ita desertum a ducibus agmen primo per agros palatur; fessique aliquot somno ac vigiliis sternunt corpora passim, atque infrequentia relinquunt signa. Hasdrubal, dum lux viam ostenderet, ripa fluminis signa ferri jubet: et per tortuosi amnis sinus flexusque errorem volvens haud multum processit, ubi prima lux transitum opportunum ostendisset, transiturus: sed quum, quantum mare abscedebat, tanto altioribus coercentibus annem ripis, non inveniret vada, diem terendo spatium dedit ad insequendum sese hosti.

U. C. 545.

A. C. 207.

Noctu castra movet.

Adsequuntur cum Romanis.

XLVIII. Nero primum cum omni equitatu advenit. Porcius deinde adsecutus cum levi armatura. Qui quum fessum agmen carperent ab omni parte incursarentque, et jam, omisso itinere, quod fugæ

U. C. 545. simile erat, castra metari Pœnus in tumulo super
 A. C. 207. fluminis ripam vellet; advenit Livius peditum omnibus copiis, non itineris modo, sed ad conserendum extemplo prælium instructis armatisque. Sed ubi omnes copias conjunxerunt, directaque acies est, Claudius dextro in cornu, Livius ab sinistro pugnam instruit: media acies prætori tuenda datur. Hasdrubal, ommissa munitione castrorum, postquam pugnandum vidit, in prima acie ante signa elephantos conlocat: circa eos lævo in cornu adversus Claudium Gallos obponit, haud tantum eis fidens, quantum ab hoste timeri eos credebat: ipse dextrum cornu adversus M. Livium sibi atque Hispanis (et ibi maxime in vetere milite spem habebat) sumsit. Ligures in medio post elephantos positi; sed longior, quam latior, acies erat. Gallos prominens collis tegebat. Ea frons, quam Hispani tenebant, cum sinistro Romanorum cornu concurrat: dextra omnis acies extra prælium eminens cessabat: collis obpositus arcebat, ne aut a fronte, aut ab latere adgrederentur. Inter Livium Hasdrubalemque ingens contractum certamen erat, atroxque cædes utrimque edebatur: ibi duces ambo, ibi pars major peditum equitumque Romanorum: ibi Hispani, vetus miles peritusque Romanæ pugnæ, et Ligures, durum in armis genus: eodem versi elephantis, qui primo inpetu turbaverant antesignanos, et jam signa moverant loco: deinde crescente certamine et clamore, inpotentius jam regi, et inter duas acies versari, velut incerti quorum essent; haud dissimiliter navibus sine gubernaculo vagis. Claudius, *Quid ergo præcipiti cursu tam longum iter emensi sumus?* clamitans militibus, quum in adversum col-

Prælium
 inicitur.

lem frustra signa erigere conatus esset, postquam U. C. 545.
A. C. 207. ea regione penetrari ad hostem non videbat posse; cohortes aliquot subductas e dextro cornu, ubi stationem magis segnem, quam pugnam, futuram cernebat, post aciem circumducit: et, non hostibus modo, sed etiam suis inopinantibus, in sinistrum hostium latus incurrit: tantaque celeritas fuit, ut, quum ostendissent se ab latere, mox in terga jam pugnarent. Ita ex omnibus partibus, ab fronte, ab latere, ab tergo, trucidantur Hispani Liguresque: et ad Gallos jam cædes pervenerat. Ibi minimum certaminis fuit: nam et pars magna ab signis aberant, nocte dilapsi, stratique somno passim per agros: et, qui aderant, itinere ac vigiliis fessi, intolerantissima laboris corpora, vix arma humeris gestabant. Et jam diei medium erat, sitisque et calor hiantes cædendos capiendosque adfatim præbebat.

XLIX. Elephantum plures ab ipsis rectoribus, Elephantum a rectoribus interfecti. quam ab hoste, interfecti: fabrile scalprum cum malleo habebant; id, ubi sævire belluæ ac ruere in suos cœperant, magister inter aures positum, ipso in articulo, quo jungitur capiti cervix, quanto maximo poterat ictu, adigebat. Ea celerrima via mortis in tantæ molis bellua inventa erat, ubi regendi spem vicissent: primusque id Hasdrubal instituerat, dux Hasdrubalis fortitudo, et mors. quem sæpe alias memorabilis, tum illa præcipue pugna. Ille pugnantes hortando, pariterque obeundo pericula, sustinuit: ille fessos abnuentesque tædio et labore, nunc precando, nunc castigando, accendit: ille fugientes revocavit, omissamque pugnam aliquot locis restituit: postremo, quum haud dubie fortuna hostium esset, ne superesset tanto

U. C. 545. exercitui suum nomen secuto, concitato equo se in
 A. C. 207. cohortem Romanam innisit. Ibi, ut patre Hamil-

care et Hannibale fratre dignum erat, pugnans cecidit. Numquam eo bello una acie tantum hostium interfectum est, redditaque æqua Cannensi clades, vel ducis, vel exercitus interitu, videbatur. Quinquaginta sex millia hostium occisa: capta quinque millia et quadringenti: præda alia magna tum omnis generis, tum auri etiam argentique. Civium etiam Romanorum, qui capti apud hostes erant, supra quatuor millia capitum recepta: id solatii fuit pro amissis eo prælio militibus. Nam haudquam incruenta victoria fuit: octo ferme millia Romanorum sociorumque occisa. Adeoque etiam victores sanguinis cædisque ceperat satietas, ut postero die, quum esset nunciatum Livio consuli, Gallos Cisalpinos Liguresque, qui aut prælio non adfuissent, aut inter cædem effugissent, uno agmine abire sine certo duce, sine signis, sine ordine ullo, aut imperio; posse, si una equitum ala mittatur, omnes deleri; *Supersint, inquit, aliqui nuncii, et hostium cladis, et nostræ virtutis.*

Quinquaginta sex millia Pœnorum cæsa.

Romanorum octo millia.

Nero ad exercitum redit.

L. Nero ea nocte, quæ secuta est pugnam, citatiore, quam inde venerat, agmine, die sexto ad stativa sua, atque ad hostem pervenit. Iter ejus frequentia minore, quia nemo præcesserat nuncius, lætitia vero tanta, vix ut compotes mentium præ gaudio essent, celebratum est. Nam Romæ neuter animi habitus satis dici enarrarique potest; nec quo incerta exspectatione eventus civitas fuerat, nec quo victoriæ famam accepit. Numquam per omnes dies, ex quo Claudium consulem profectum fama adtulit, ab orto sole ad occidentem, aut senator

quisquam a curia atque ab magistratibus abscessit, U. C. 545.
A. C. 207. aut populus e foro. Matronæ, quia nihil in ipsis opis erat, in preces obtestationesque versæ, per omnia delubra vagæ suppliciiis votisque fatigare Deos. Tam sollicitæ ac suspensæ civitati fama incerta primo accidit, duos Narnienses equites in castra, quæ in faucibus Umbriæ obposita erant, venisse ex prælio, nunciantes cæsos hostes. Et primo magis auribus, quam animis, id acceptum erat, ut majus lætiusque, quam quod mente capere, aut satis credere possent: et ipsa celeritas fidem inpediebat, quod biduo ante pugnatum dicebatur. Literæ deinde ab L. Manlio Acidino missæ ex castris adferuntur de Narniensium equitum adventu. Eæ literæ, per forum ad tribunal prætoris latæ, senatum curia exciverunt: tantoque certamine ac tumultu populi ad fores curiæ concursus est, ut adire nuncius non posset, trahereturque a percunctantibus vociferantibusque, ut in Rostris prius, quam in senatu, literæ recitarentur: tandem submoti et coërciti a magistratibus; dispensarique lætitia inter inpotentes ejus animos potuit. In senatu primum, deinde in concione, literæ recitatæ sunt: et, pro cuiusque ingenio, aliis jam certum gaudium, aliis nulla ante futura fides erat, quam legatos consuluntve literas audissent.

LI. Ipsos deinde adpropinquare legatos adlatum est: tum enimvero omnis ætas currere obvii, primus quisque oculis auribusque haurire tantum gaudium cupientes: ad Mulvium usque pontem continens agmen pervenit. Legati (erant L. Veturius Philo, P. Licinius Varus, Q. Cæcilius Metellus) Gaudium Romanorum. circumfusi omnis generis hominum frequentia in fo-

U. C. 545. rum pervenerunt ; quum alii ipsos, alii comites eo-
 A. C. 207. rum, quæ acta essent, percunctarentur, et ut quis-
 que audierat, exercitum hostium imperatoremque
 occisum, legiones Romanas incolumes, salvos con-
 sules esse, extemplo aliis porro inpertiebant gau-
 dium suum. Quum ægre in curiam perventum es-
 set, multo ægrius submota turba, ne Patribus mis-
 ceretur, literæ in senatu recitatæ sunt : inde pro-
 ducti in concionem legati. L. Veturius, literis re-
 citatis, ipse planius omnia, quæ acta erant, expo-
 suit cum ingenti adsensu, postremo etiam clamore.
 universæ concionis, quum vix gaudium animis cape-
 rent. Discursum inde ab aliis circa templa Deûm,
 ut grates agerent ; ab aliis domos, ut conjugibus li-
 berisque tam lætum nuncium inpertirent. Senatus,
 quod M. Livius et C. Claudius consules, incolumi
 exercitu, ducem hostium legionesque occidissent,
 supplicationem in triduum decrevit : eam supplica-
 tionem C. Hostilius prætor pro concione edixit, ce-
 lebrataque a viris feminisque est. Omnia templa
 per totum triduum æqualem turbam habuere : quum
 matronæ amplissima veste cum liberis, perinde ac si
 debellatum foret, omni solutæ metu, Deis immorta-
 libus grates agerent. Statum quoque civitatis ea
 victoria movit : ut jam inde, haud secus quam in
 pace, res inter se contrahere, vendendo, emendo,
 mutuum dando, argentum creditum solvendo, au-
 derent. C. Claudius consul quum in castra redisset,
 caput Hasdrubalis, quod servatum cum cura adtu-
 lerat, projici ante hostium stationes, captivosque
 Afros vinctos, ut erant, ostendi, duos etiam ex iis so-
 lutos ire ad Hannibalem, et expromere, quæ acta
 essent, jussit. Hannibal, tanto simul publico fa-

miliarique ictu luctu, *agnoscere se fortunam Karthaginis*, fertur dixisse: castrisque inde motis, ut omnia auxilia, quæ diffusa latius tueri non poterat, in extremum Italiæ angulum Bruttios contraheret, et Metapontinos, civitatem universam, excitos sedibus suis, et Lucanorum qui suæ ditionis erant, in Bruttium agrum traduxit.

U. C. 545.

A. C. 207.

Hannibal

in extre-
mam Itali-

am recedit.

EPITOME LIBRI XXVIII.

RES in Hispania prospere gestæ a Silano, Scipionis legato, et ab L. Scipione fratre adversus Pænos, a Sulpicio proconsule et ab Attalo rege Asiæ adversus Philippum regem Macedonum, pro Ætolis, referuntur. Quum M. Livio et Claudio Neroni consulibus triumphus decretus esset, Livius, qui in provincia sua rem gesserat, quadrigis invectus est; Nero, qui in collegæ provinciam, ut victoriam ejus adjicaret, venerat, equo est secutus, et in hoc habitu plus gloriæ reverentiæque habuit: nam et plus in bello, quam collega, fecerat. Ignis in æde Vestæ negligentia virginis, quæ non custodierat, extinctus est: virgo cæsa est flagro. P. Scipio in Hispania cum Pænis debellavit quarto decimo anno ejus belli, quinto post anno, quam ierat: exclusisque in totum possessione ejus hostibus, Hispaniam recepit: et a Tarracone in Africam ad Syphacem regem Numidarum duobus navigiis transvectus, fædus junxit. Hasdrubal Gisgonis ibi cum eo in eodem lecto adcubuit. Munus gladiatorium in honorem patris patruique Karthagini novæ edidit, non ex gladiatoribus, sed ex iis, qui aut in honorem ducis, aut ex provocatione in certamen descendebant: in quo reguli fratres de regno ferro contenderunt. Quum Astapa urbs ab Romanis obpugnaretur, oppidani liberos et conjuges rogo exstructo occiderunt, et se insuper præcipitaverunt. Ipse Scipio, dum gravi morbo implicatus est, seditio-nem, in parte exercitus motam, confirmatus discussit,

rebellantesque Hispaniæ populos cõggit in deditionem venire; et, amicitia facta cum Masinissa rege Numidarum, qui illi auxilium, si in Africam trajerisset, pollicebatur, cum Gaditanis quoque post discessum inde Magonis, cui ex Karthagine scriptum erat, ut in Italiam trajiceret, Romam reversus, consulque creatus. Africam provinciam petenti, contradicente Q. Fabio Maximo, Sicilia data est: permissumque, in Africam trajiceret, si ex republica esse censeret. Mago, Hamilcaris filius, a minore Baliari insula, ubi hiemarat, in Italiam trajecit.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XXVIII.

U. C. 545.
A. C. 207.
Res His-
paniæ.

QUUM transitu Hasdrubalis, quantum in Italia declinaverat belli, tantum levatæ Hispaniæ viderentur; renatum ibi subito par priori bellum est. Hispanias ea tempestate sic habebant Romani Pœnique. Hasdrubal, Gisgonis filius, ad oceanum penitus Gadesque concesserat. Nostri maris ora omnisque ferme Hispania, qua in orientem vergit, Scipionis ac Romanæ ditionis erat. Novus imperator Hanno, in locum Barcini Hasdrubalis novo cum exercitu ex Africa transgressus, Magonique junctus, quum in Celtiberia, quæ media inter duo maria est, brevi magnum hominum numerum armasset; Scipio adversus eum M. Silanum cum decem haud plus millibus militum, equitibus quingentis, misit. Silanus, quantis maximis potuit itineribus, (inpediebant autem et asperitates viarum, et angustiae saltibus crebris, ut pleraque Hispaniæ sunt, inclusæ) tamen non solum nuncios, sed etiam famam adventus sui prægressus, ducibus indidem ex Celtiberia transfugis, ad hostem pervenit. Eisdem auctoribus compertum est, quum decem circiter millia ab hoste abessent, bina castra circa viam, qua irent, esse: læva Celtiberos, novum exercitum, supra novem millia hominum, dextra Punica tenere castra: hæc stationibus, vigiliis, omni justa militari

Silani de
Pœnis
Hispanis-
que vic-
toria.

custodia tuta et firma esse : illa altera soluta neglectaque, ut barbarorum et tironum, et minus timentium, quod in sua terra essent. Ea prius adgredienda ratus Silanus, signa quam maxime ad lævam jubebat ferri, necunde ab stationibus Punicis conspiceretur : ipse, præmissis speculatoribus, citato agmine ad hostem pergit.

II. Tria millia ferme aberat, quum haudum quisquam hostium senserat : confragosa loca et ob-sita virgultis tenebant colles. Ibi in cava valle, atque ob id occulta, considerare militem, et cibum capere jubet : interim speculatores, transfugarum dicta adfirmantes, venerunt. Tum, sarcinis in medium conjectis, arma Romani capiunt, acieque justa in pugnam vadunt. Mille passuum aberant, quum ab hoste inspecti sunt, trepidarique repente cœptum : et Mago ex castris citato equo ad primum clamorem et tumultum advehitur. Erant autem in Celtibero exercitu quatuor millia scutorum et ducenti equites ; hanc justam legionem (et id ferme roboris erat) in prima acie locat : ceteros, levem armaturam, in subsidiis posuit. Quum ita instructos educeret castris, vixdum in egressos vallo Romani pila conjecerunt. Subsidunt Hispani adversus emissa tela ab hoste, inde ad mittenda ipsi consurgunt ; quæ quum Romani conferti, ut solent, densatis excepissent scutis, tum pes cum pede conlatus, et gladiis geri res cœpta est. Ceterum asperitas locorum et Celtiberis, quibus in prælio concursare mos est, velocitatem inutilem faciebat ; et haud iniqua eadem erat Romanis stabili pugnae adsuetis ; nisi quod angustia et internata virgulta ordines dirimebant, et singuli binique, velut cum paribus,

U. C. 545. conserere pugnam cogebantur. Quod ad fugam
 A. C. 207. impedimento hostibus erat, id ad cædem eos, velut
 victos, præbebat. Et jam, ferme omnibus scutatis
 Celtiberorum interfectis, levis armatura et Kartha-
 ginienses, qui ex alteris castris subsidio venerant,
 percussi cædebantur: duo haud amplius millia pe-
 ditum et equitatus omnis, vix inito prælio, cum
 Magone effugerunt. Hanno, alter imperator, cum
 eis, qui postremi, jam profligato prælio, advene-
 rant, vivus capitur. Magonem fugientem equitatus
 ferme omnis, et quod veterum peditum erat secuti,
 decimo die in Gaditanam provinciam ad Hasdruba-
 balem pervenerunt. Celtiberi, novus miles, in
 proximas dilapsi silvas, inde domos diffugerunt.
 Peropportuna victoria nequaquam tantum jam con-
 flatum bellum, quanta futuri materia belli (si li-
 cuisset eis, Celtiberorum gente excita, et alios ad
 arma sollicitare populos) obpressa erat. Itaque,
 conlaudato benigne Silano, Scipio spem debellandi,
 si nihil eam ipse cunctando moratus esset, nactus,
 ad id, quod reliquum belli erat, in ultimam Hispan-
 niam adversus Hasdrubalem pergit. Pœnus, quum
 castra tum forte ad sociorum animos in Bætica con-
 tinendos in fide haberet, signis repente sublatis,
 fugæ magis, quam itineris modo, penitus ad ocea-
 num et Gades ducit. Ceterum, quoad continuisset
 exercitum, propositum bello se fore ratus, antequam
 fæto Gades trajiceret, exercitum omnem passim in
 civitates divisit, ut et muris se ipsi, et armis muros
 tatarentur.

In Bæti-
 cam it
 Scipio.

III. Scipio ubi animadvertit, dissipatum passim
 bellum, et circumferre ad singulas urbes arma diu-
 tîni magis, quam magni, esse operis, retro vertit.

iter. Ne tamen hostibus eam relinqueret regionem, U. C. 545.
A. C. 207.
 L. Scipionem fratrem cum decem millibus peditum, Oringis a
L. Scipione
 et mille equitum ad obpugnandam opulentissimam capta.
 in iis locis urbem, Oringin barbari adpellabant,
 mittit. Sita in Melessum finibus est Hispanæ gen-
 tis : ager frugifer : argentum etiam incolæ fodiunt :
 ea arx fuit Hasdrubali ad excursions circa in me-
 diterraneos populos faciendas. Scipio, castris prope
 urbem positus, priusquam circumvallaret urbem, mi-
 sit ad portas, qui ex propinquo adloquio animos ten-
 tarent, suaderentque, ut amicitiam potius, quam vim,
 experirentur Romanorum. Ubi nihil pacati respon-
 debatur, fossa duplicique vallo circumdata urbe, in
 tres partes exercitum dividit : ut una semper pars,
 quietis interim duabus, obpugnaret. Prima pars
 quum adorta obpugnare est, atrox sane et anceps
 prælium fuit : non subire, non scalas ferre ad mu-
 ros præ incidentibus telis facile erat : et jam, qui
 erexerant ad murum scalas, alii furcis ad id ipsum
 factis detrudebantur, in alios lupi superne ferrei in-
 jecti, ut in periculo essent, ne suspensi in murum
 extraherentur : quod ubi animadvertit Scipio, nimia
 paucitate suorum exæquatum certamen esse, et jam
 eo superare hostem, quod ex muro pugnaret ; dua-
 lus simul partibus, prima recepta, urbem est ad-
 gressus. Quæ res tantum pavoris injecit fessis jam
 cum primis pugnando, ut et oppidani mœnia repen-
 tina fuga desererent : et Punicum præsidium metu,
 ne prodita urbs esset, relictis stationibus in unum se
 couligeret. Timor inde oppidanos incessit, ne, si
 hostis urbem intrasset, sine discrimine, Pœnus an
 Hispanus esset, obvii passim cæderentur : itaque,
 patefacta repente porta, frequentes ex oppido sese

U. C. 545. ejecerunt, scuta præ se tenentes, ne tela procul con-
 A. C. 207. jicerentur; dexteras nudas ostentantes, ut gladios
 abjecisse adpareret: id utrum parum ex intervallo
 sit conspectum, an dolus aliquis suspectus fuerit,
 incompertum est. Inpetus hostilis in transfugas
 factus: nec secus, quam adversa acies, cæsi. Ea-
 demque porta signa infesta in urbem inlata: et aliis
 partibus securibus dolabrisque cædebantur et refrin-
 gebantur portæ, et, ut quisque intraverat eques, ad
 forum occupandum (ita enim præceptum erat) ci-
 tato equo pergebat. Additum erat et triariorum
 equiti præsidium: legionarii ceteras partes pervad-
 unt: direptione et cæde obviorum, nisi qui armis
 se tuebantur, abstinerunt. Karthaginienses om-
 nes in custodiam dati sunt: oppidanorum quoque
 trecenti ferme, qui clauserant portas: ceteris tradi-
 tum oppidum, suæ redditæ res. Cecidere in urbis
 ejus obpugnatione hostium duo millia ferme; Ro-
 manorum haud amplius nonaginta.

IV. Læta et ipsis, qui rem gessere, urbis ejus ex-
 pugnatio fuit, et imperatori ceteroque exercitui; et
 speciosum adventum suum, ingentem turbam capti-
 vorum præ se agentes, fecerunt. Scipio, conlau-
 dato fratre, quum, quanto poterat verborum honore,
 Karthagini ab se captæ captam ab eo Oringin æ-
 quasset, quia et hiems instabat, ut nec tentare Ga-
 des, nec disjectum passim per provinciam exercitum
 Hasdrubalis consecrari posset, in citeriorem Hispan-
 niam omnes suas copias reduxit: dimissisque in hi-
 berna legionibus, L. Scipione fratre Romam misso,
 et Hannone hostium imperatore, ceterisque nobili-
 bus captivis, ipse Tarraconem concessit. Eodem
 anno classis Romana, cum M. Valerio Lævino pro-

Classis
 Romana
 populatur
 Africam.

consule ex Sicilia in Africam transmissa, in Uticensi ^{U. C. 545.}
 Karthaginensiq̄ue agro late populationes fecit : ex ^{A. C. 207.}
 tremis finibus Karthaginensium circa ipsa mœnia
 Uticæ prædæ actæ sunt. Repetentibus Siciliam
 classis Punica (septuaginta erant longæ naves) ob-
 currit : decem et septem naves ex iis captæ sunt,
 quatuor in alto mersæ : cetera fusa ac fugata clas-
 sis. Terra marique victor Romanus cum magna
 omnis generis præda Lilybæum repetit. Toto inde
 mari pulsus hostium navibus, magni commeatus fru-
 menti Romam subvecti.

V. Principio æstatis ejus, qua hæc sunt gesta, P. ^{Res Græ-}
 Sulpicius proconsul et Attalus rex quum Æginæ ^{ciæ.}
 (sicut ante dictum est) hibernassent, Lemnum inde,
 classe juncta, Romanæ quinque et viginti quinque-
 remes, regiæ quinque et triginta, transmiserunt. Et
 Philippus, ut, seu terra seu mari obviam eundum
 hosti foret, paratus ad omnes conatus esset, ipse
 Demetriadem ad mare descendit : Larissam diem ad
 conveniendum exercitui edixit. Undique ab sociis
 legationes Demetriadem ad famam regis convene-
 runt. Sustulerant enim animos Ætoli, quum ab
 Romana societate, tum post Attali adventum, fini-
 timosque depopulabantur : nec Acarnanes solum
 Bœotique, et qui Eubœam incolunt, in magno metu
 erant : sed Achæi quoque, quos super Ætolicum
 bellum Machanidas etiam Lacedæmonius tyrannus,
 haud procul Argivorum sine positis castris, terre-
 bat : hi omnes suis quisque urbibus, quæ pericula
 terra marique portendebantur, memorantes, auxilia
 regem orabant. Ne ex regno quidem ipsius tran-
 quillæ nunciabantur res : et Scerdilædum Pleura-
 tumque motos esse, et Thracum maxime Mædos, si

U. C. 545. quod longinquum bellum regem occupasset, proxima
 A. C. 207. Macedoniae incursuros. Bœoti quidem et interiores
 Græciæ populi, Thermopylarum saltum, ubi angustæ fauces coartant iter, fossa valloque intercludi ab Ætolis, nunciabant, ne transitum ad sociorum urbes tuendas Philippo darent. Vel segnem ducem tot excitare tumultus circumfusi poterant. Legationes dimittit, pollicitus, prout tempus ac res se daret, omnibus laturum se auxilium: in præsentia, quæ maxime urgebat res, Peparetham præsidium urbi mittit; unde adlatum erat, Attalum, ab Lemno classe transmissa, omnem circa urbem agrum depulatum. Polyphantam cum modica manu in Bœotiam, Menippum item quemdam ex regiis ducibus cum mille peltastis (pelta cætræ haud dissimilis est) Chalcidem mittit: additi quingenti Agrianum, ut omnes insule partes tueri possent: ipse Scotussam est profectus: eodemque ab Larissa Macedonum copias traduci jussit. Eo nunciatum est, concilium Ætolis Heracleam indictum, regemque Attalum, ad consultandum de summa belli, venturum. Hunc conventum ut turbaret subito adventu, magnis itineribus Heracleam duxit: et concilio quidem dimisso jam venit; segetibus tamen, quæ prope maturitatem erant, maxime in sinu Ænianum vastatis, Scotussam copias reducit. Ibi exercitu omni relicto, cum cohorte regia Demetriadem sese recipit. Inde ut ad omnes hostium motus posset obcurrere, in Phocidem, atque Eubœam, et Peparethum mittit, qui loca alta eligerent, unde editi ignes adparerent: ipse in Tisæo (mons est in altitudinem ingentem cacuminis editi) speculam posuit: ut ignibus procul sublatis signum, ubi quid molirentur hostes, mo-

Philippus
 socios hor-
 tatur ac
 tuetur.

mento temporis acciperet. Romanus imperator et Attalus rex a Pepartho Nicæam trajecerunt: inde classem in Eubœam ad urbem Oreum transmittunt: quæ ab Demetriaco sinu Chalcidem et Euripum petenti ad lævam prima urbium Eubœæ posita est. Ita inter Attalum ac Sulpicium convenit, ut Romani a mari, regii a terra obpugnarent.

VI. Quatriduo post, quam adpulsa classis est, urbem adgressi sunt: id tempus occultis cum Platore, qui a Philippo præpositus urbi erat, conloquiis absumentum est. Duas arces urbs habet, unam imminentem mari, altera urbis media est: cuniculo inde via ad mare ducit, quam a mari turris quinque tabulatorum, egregium propugnaculum, claudebat. Ibi primo atrocissimum contractum est certamen, et turre instructa omni genere telorum, et tormentis machinisque ad obpugnandam eam ex navibus expositis. Quum omnium animos oculosque id certamen avertisset, porta maritimæ arcis Plator Romanos accepit, momentoque arx occupata est. Oppidani, pulsus inde in mediam urbem, ad alteram tendere arcem. Et ibi positi erant, qui fores portæ objicerent: ita exclusi in medio cæduntur capiunturque. Macedonum præsidium conglobatum sub arcis muro stetit; nec fuga effuse petita, nec pertinaciter prælio inito. Eos Plator, venia a Sulpicio inpetrata, in naves inpositos ad Demetrium Phthiotidis exposuit: ipse ad Attalum se recepit. Sulpicius, tam facili ad Oreum successu elatus, Chalcidem inde protinus victrici classe petit: ubi haudquaquam ad spem eventus respondit. Ex patenti utrinque coactum in angustias mare, speciem intuenti primo gemini portus in ora duo versi præ-

U. C. 545.

A. C. 207.

Oreum capiunt Romani.

Chalcidem frustra tentant.

U. C. 545. buerit : sed haud facile alia infestior classi statio
 A. C. 207. est : nam et venti ab utriusque terræ præaltis montibus subiti ac procellosi se dejiciunt, et fretum ipsum Euripi non septies die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocatur : sed temere in modum venti, nunc huc, nunc illuc verso mari, velut monte præcipiti devolutus torrens rapitur : ita nec nocte, nec die quies navibus datur. Quum classem tam infesta statio accepit, tum et oppidum, alia parte clausum mari, alia ab terra egregie munitum, præsidioque valido firmatum, et præcipue fide præfectorum principumque, quæ fluxa et vana apud Oreum fuerat, stabile atque inexpugnabile fuit. Id prudenter, ut in temere suscepta re, Romanus fecit, quod, circumspicis difficultatibus, ne frustra tempus tereret, celeriter abstinit incepto, classemque inde ad Cynum Loeridis (emporium id est urbis Opuntiorum mille passuum a mari sitæ) trajecit.

VII. Philippum et ignes ab Oreo editi monuerant, sed serius Platoris fraude e specula elati : et in pari maritimis viribus haud facilis erat in insulam classi accessus : ita res per cunctationem omissa. Ad Chalcidis auxilium, ubi signum accepit, inpigre est motus : nam et ipsa Chalcis, quamquam ejusdem insulæ urbs est, tamen adeo arto interseinditur freto, ut ponte continenti jungatur, terraque aditum faciliorem, quam mari, habeat. Igitur Philippus, dejecto præsidio, fuisque Ætolis, qui saltum Thermopylarum insidebant, quum ab Demetriade Scotussam, inde de tertia vigilia profectus, trepidos hostes Heracleam compulsisset, ipse uno die Phocidis Elatia millia amplius sexaginta contendit. Eodem ferme die ab Attalo rege Opuntiorum urbs

Opuntiorum urbs
 capta ab
 Attalo.

capta diripiebatur: concesserat eam prædam regi U. C. 545.
 Sulpicius, quia Oreum paucos ante dies ab Romano A. C. 207.
 milite, expertibus regiis, direptum fuerat. Quum
 Romana classis eo se recepisset, Attalus, ignarus
 adventus Philippi, pecuniis a principibus exigendis
 terebat tempus: adeoque improvisa res fuit, ut, nisi
 Cretensium quidam, forte pabulatum ab urbe lon-
 gius progressi, agmen hostium procul conspexissent,
 obprimi potuerit. Attalus inermis atque incompo- Attalus fere
 a Philippo
 obpressus.
 situs cursu effuso mare ac naves petit: et molienti-
 bus ab terra naves Philippus supervenit, tumultum-
 que etiam ex terra nauticis præbuit: inde Opuntem
 rediit, Deos hominesque accusans, quod tantæ rei
 fortunam ex oculis prope raptam amisisset. Opun-
 tii quoque ab eadem ira increpiti, quod, quum tra-
 here obsidionem in adventum suum potuissent, viso
 statim hoste, prope in voluntariam deditionem con-
 cessissent. Compositis circa Opuntem rebus, To-
 ronem est profectus. Et Attalus primo Oreum se
 recepit: inde, quum fama accidisset, Prusiam Bi-
 thyniæ regem in fines regni sui transgressum, omis-
 sis rebus atque Ætolico bello, in Asiam trajecit.
 Et Sulpicius Æginam classem recepit, unde initio
 veris profectus erat. Haud majore certamine, quam
 Opuntem Attalus ceperat, Philippus Toronem cepit.
 Incolebant urbem eam profugi ab Thebis Phthioti-
 cis: urbe sua capta a Philippo, quum in fidem
 Ætolorum perfugissent, sedem eis Ætoli eam dede-
 rant, urbis vastatæ ac desertæ priore ejusdem Phi-
 lippi bello. Tum ab Torone, sicut paullo ante dic-
 tum est, recepta profectus, Tritonon et Drymas,
 Doridis parva atque ignobilia oppida, cepit: inde
 Elatiam, jussis ibi se opperiri Ptolemæi Rhodio-

U. C. 545. rumque legatis, venit. Ubi quum de finiendo Æto-
 A. C. 207. lico bello ageretur, (adfuertant enim legati nuper
 Machani- Heracleæ concilio Romanorum Ætolorumque) nun-
 das repres- cius adfertur, Machanidam Olympiorum sollemne
 sus. ludicrum parantes Eleos adgredi statuisse. Præver-
 tendum id ratus, legatis cum benigno responso di-
 missis, *se neque caussam ejus belli fuisse, nec moram*
(si modo æqua et honesta conditione liceat) paci fac-
turum, cum expedito agmine profectus per Bœoti-
 am, Megara, atque inde Corinthum descendit: unde,
 com meatibus sumtis, Phliunta Pheneumque petit.
 Et jam, quum Heræam venisset, audito, Machani-
 dam, fama adventus sui territum, refugisse Lacedæ-
 monem, Ægium se ad concilium Achæorum rece-
 pit: simul classem Punicam, ut mari quoque ali-
 quid posset, adcitam, ibi ratus se inventurum. Pau-
 cis ante diebus in Phocæas trajecerant Pœni: inde
 portus Acarnanum petierant, quum ab Oreo pro-
 fectum Attalum Romanosque audissent, veriti ne
 ad se iretur, et intra Rhium (fauces eæ sunt Co-
 rinthii sinus) obprimerentur.

VIII. Philippus mœrebat quidem et angebatur,
 quum ad omnia ipse raptim isset, nulli tamen se rei
 in tempore obcurrisse, et rapientem omnia ex oculis
 elusisse celeritatem suam fortunam. In concilio au-
 tem, dissimulans ægritudinem, elato animo disse-
 ruit: testatus Deos hominesque, *se nullo loco, nec*
tempore defuisse, quin, ubi hostium arma concrepui-
sent, eo, quanta maxima posset celeritate, tenderet:
sed vix rationem iairi posse, utrum ab se audacius, an
fugacius ab hostibus geratur bellum. Sic ab Opunte
Attalum, sic Sulpicium a Chalcide, sic eis ipsis diebus
Machanidam e manibus suis elapsam. Sed non semper

Philippi
 oratio in
 concilio
 Achæo-
 rum.

felicem esse fugam : nec pro difficili id bellum habendum, in quo, si modo congressus cum hostibus sis, vice- U. C. 545.
ris. Quod primum esset, confessionem se hostium ha- A. C. 207.
bere, nequaquam pares esse sibi: brevi et victoriam
haud dubiam habiturum, nec meliore eventu eos secum,
quum spe, pugnatuos. Læti regem socii audierunt.
 Reddidit inde Achæis Heræam et Triphyliam. Ali-
 pheram autem Megalopolitis, quod suorum fuisse
 finium satis probabant, restituit : inde, navibus ac-
 ceptis ab Achæis, (erant autem tres quadriremes et
 biremes totidem) Anticyram trajecit : inde quin-
 queremibus septem, et lembis viginti amplius, quos,
 ut adjungeret Karthaginensium classi, miserat in
 Corinthium sinum, profectus ad Erythras Ætolo-
 rum, quæ prope Eupalium sunt, excensionem fecit.
 Haud fefellit Ætolos : nam, hominum quod aut in
 agris, aut in propinquis castellis Potidaniæ atque
 Apolloniæ fuit, in silvas montesque refugit. Pe-
 cora, quæ inter festinationem abigi nequierant, sunt
 direpta et in naves compulsæ. Cum his ceteraque
 præda, Nicia prætore Achæorum Ægium misso,
 quum Corinthum petisset, pedestres inde copias per
 Bœotiam terra duci jussit : ipse, ab Cenchreis præ-
 ter terram Atticam super Sunium navigans, inter
 medias prope hostium classes, Chalcidem pervenit :
 inde, conlaudata fide ac virtute, quod neque timor,
 neque spes flexissent eorum animos ; hortatusque
 in posterum, ut eadem constantia permanerent in
 societate, si suam, quam Oritanorum atque Opun-
 tiorum, fortunam mallent ; ab Chalcide Oreum na-
 vigat, principumque iis, qui fugere capta urbe,
 quam se Romanis tradere, maluerant, summa re-
 rum et custodia urbis permissa, ipse Demetriadem

U. C. 545. ab Eubœa, unde primo ad opem ferendam sociis
 A. C. 207. profectus erat, trajecit. Cassandræ deinde centum
 navium longarum carinis positis, contractaque ad
 effectum ejus operis multitudine fabrorum navalium,
 quia res in Græcia tranquillâ et profectio Attali
 fecerat, et in tempore laborantibus sociis latum ab
 se auxilium, retro in regnum concessit, ut Dardanis
 bellum inferret.

IX. Extremo ætatis ejus, qua hæc in Græcia
 gesta sunt, quum Q. Fabius Maximus filius legatus
 ab M. Livio consule Romam ad senatum nuncias-
 set, consulem satis præsidii Galliæ provinciæ cre-
 dere L. Porcium cum suis legionibus esse: dece-
 dere se inde, ac deduci exercitum consularem posse;
 Patres non M. Livium tantum redire ad urbem, sed
 collegam quoque ejus C. Claudium jusserunt. Id
 modo in decreto interfuit, quod M. Livii exercitum
 reduci, Neronis legiones Hannibali obpositas ma-
 nere in provincia jusserunt. Inter consules ita per
 literas convenit, ut, quemadmodum uno animo rem-
 publicam gessissent, ita, quamquam ex diversis re-
 gionibus convenirent, uno tempore ad urbem ac-
 cederent. Præneste qui prior venisset, collegam ibi
 opperiri jussus. Forte ita evenit, ut eodem die
 ambo Præneste venirent: inde præmisso edicto, ut
 triduo post frequens senatus ad ædem Bellonæ ades-
 set, omni multitudine obviam effusa, ad urbem ac-
 cessere. Non salutabant modo universi circumfusi,
 sed, contingere pro se quisque victrices dexterâs con-
 sulum cupientes, alii gratulabantur, alii gratias age-
 bant, quod eorum opera incolumis respublica esset.
 In senatu quum more omnium imperatorum, expo-
 sitis rebus ab se gestis, postulassent, ut, pro re-

publica fortiter feliciterque administrata, et Diis in- U. C. 545.
mortalibus haberetur honos, et ipsis triumphantibus A. C. 207.
urbem inire liceret; Se vero ea, quæ postularent, de-
cernere, Patres, merito Deorum primum, dein, secun-
dum Deos, consulum, responderunt; et supplicatione
amborum nomine, et triumpho utrique decreto, in-
ter ipsos, ne, quum bellum communi animo gessis-
sent, triumphum separarent, ita convenit: ut, quo- Consulum
niam et in provincia M. Livii res gesta esset, et eo die, triumphus.
quo pugnatum foret, ejus forte auspiciam fuisset, et
exercitus Livianus deductus Romam venisset, Neronis
deduci non potuisset de provincia, ut M. Livium,
quadrigis urbem ineuntem, milites sequerentur; C.
Claudius equo sine militibus inveheretur. Ita conso-
ciatus triumphus, quum utrique, tum magis ei, qui,
quantum merito anteibat, tantum honore collegæ
cesserat, gloriam auxit: illum equitem aiebant sex
dierum spatio transcurrisse longitudinem Italiæ: et eo
die cum Hasdrubale in Gallia signis conlatis pugnasse,
quo eum castra adversus sese in Apulia posita habere
Hannibal credidisset. Ita unum consulem pro utraque
parte Italiæ adversus duos duces, duos imperatores,
hinc consilium suum, hinc corpus obposuisse. Nomen
Neronis satis fuisse ad continendum castris Hanniba-
lem: Hasdrubalem vero, qua alia re, quam adventu
ejus, obrutum atque extinctum esse? Itaque iret alter
consul sublimis curru multijugis, si vellet, equis. Uno
equo per urbem verum triumphum vehi: Neronemque,
etiam si pedes incedat, vel parta eo bello, vel spreta eo
triumpho gloria, memorabilem fore. Hi sermones
spectantium Neronem usque in Capitolium prose-
cuti sunt. Pecuniam in ærarium tulerunt sester-
tiùm tricies, octoginta millia æris: militibus M.

U. C. 545. Livius quinquagenos senos asses divisit: tantumdem C. Claudius absentibus militibus suis est pollicitus, quum ad exercitum redisset. Notatum, eo die plura carmina militaribus jocis in C. Claudium, quam in consulem suum, jactata. Equites L. Veturium et Q. Cæcilium legatos magnis tulisse laudibus, hortatosque esse plebem, ut eos consules in proximum annum crearent: adjecisse equitum prærogativæ auctoritatem consules, postero die in concione, quam forti fidelique duorum præcipue legatorum opera usi essent, commemorantes.

X. Quum comitorum tempus adpeteret, et per dictatorem comitia haberi placuisset, C. Claudius consul M. Livium collegam dictatorem dixit: Livius Q. Cæcilium magistrum equitum: a M. Livio dictatore creati consules L. Veturius, Q. Cæcilius; is ipse, qui tum erat magister equitum. Inde prætorum comitia habita: creati C. Servilius, M. Cæcilius Metellus, Ti. Claudius Asellus, Q. Mamilius Turinus, qui tum ædilis plebis erat. Comitiiis perfectis, dictator, magistratu abdicato, dimissoque exercitu, in Etruriam provinciam ex senatusconsulto est profectus ad quæstiones habendas: qui Etruscorum Umbrorumve populi defectionis ab Romanis ad Hasdrubalem sub adventum ejus consilia agitasent, quique cum auxiliis, aut comæatu, aut ope aliqua juvissent. Hæc eo anno domi militiæque gesta. Ludi Romani ter toti instaurati ab ædilibus curulibus, Cn. Servilio Capione, Ser. Cornelio Lentulo. Item ludi plebei semel toti instaurati ab ædilibus plebis, M. Pomponio Mathone, et Q. Mamilio Turino. Tertiodecimo anno Punici belli, L. Veturio Philone et Q. Cæcilio Metello consulibus,

Bruttiū ambobus, ut cum Hannibale bellum gere-^{U. C. 545.}
rent, provincia decreta. Prætores exinde sortiti^{A. C. 207.}
sunt: M. Cæcilius Metellus urbanam, Q. Mamilius
peregrinam, C. Servilius Siciliam, Ti. Claudius Sar-
diniam. Exercitus ita divisi: consulum alteri, quem
C. Claudius prioris anni consul, alteri, quem Q.
Claudius proprætor (eæ binæ legiones erant) ha-
buisent exercitum: in Etruria duas volonum le-
giones a C. Terentio propræto M. Livius pro-
consul, cui prorogatum in annum imperium erat,
acciperet: et Q. Mamilio, ut, collegæ jurisdictione
tradita, Galliam cum exercitu, cui L. Porcius pro-
prætor præfuerat, obtineret, decretum est: jussus-
que populari agros Gallorum, qui ad Pœnos sub ad-
ventum Hasdrubalis defecissent. C. Servilio cum
Cannensibus duabus legionibus, sicut C. Mamilius
tenuerat, Sicilia tuenda data. Ex Sardinia vetus
exercitus, cui A. Hostilius præfuerat, deportatus:
novam legionem, quam Ti. Claudius trajiceret se-
cum, consules conscripserunt. Q. Claudio, ut Ta-
rentum, C. Hostilio Tubulo, ut Capuam provin-
ciam haberet, prorogatum in annum imperium est.
M. Valerius proconsul, qui tuendæ circa Siciliam
maritimæ oræ præfuerat, triginta navibus C. Servilio
præbitis, cum cetera omni classe redire ad urbem
jussus.

XI. In civitate tanto discrimine belli sollicita,
quum omnium secundorum adversorumque causas
in Deos verterent, multa prodigia nunciabantur;
Tarracinæ Jovis ædem, Satrici Matris Matutæ de
cælo tactam. Satricanos haud minus terrebant in
ædem Jovis foribus ipsis duo perlapsi angues. Ab
Antio nunciatum est, cruentas spicas metentibus

U. C. 546. visas esse. Cære porcus biceps, et agnus mas idem-
 A. C. 206. que femina natus erat. Et Albæ duo soles visos
 referebant: et nocte Fregellis lucem obortam. Et
 bos in agro Romano locutus, et ara Neptuni multo
 sudore manasse in circo Flaminio dicebatur: et
 ædes Cereris, Salutis, Quirini de cœlo tactæ. Pro-
 digia consules hostiis majoribus procurare jussi,
 et supplicationem unum diem habere. Ea ex se-
 natusconsulto facta. Plus omnibus aut nunciatis
 peregre, aut visi domi prodigiis, terruit animos ho-
 minum ignis in æde Vestæ exstinctus: cæsaque fla-
 gro est Vestalis, cujus custodia noctis ejus fuerat,
 jussu P. Licinii pontificis. Id quamquam, nihil
 portendentibus Deis, ceterum negligentia humana
 acciderat, tamen et hostiis majoribus procurari, et
 supplicationem ad Vestæ haberi placuit. Prius-
 quam proficiscerentur consules ad bellum, moniti
 ab senatu sunt, *ut in agros reducendæ plebis curam
 haberent. Deum benignitate submotum bellum ab
 urbe Romana et Latio esse, et posse sine metu in agris
 habitari. Minime convenire, Siciliae, quam Italiae, co-
 lendæ majorem curam esse.* Sed res haudquaquam
 erat populo facilis, et liberis cultoribus bello absum-
 ptis, et inopia servitorum, et pecore direpto, villis-
 que dirutis aut incensis: magna tamen pars aucto-
 ritate consulum compulsa in agros remigravit. Mo-
 verant autem hujusce rei mentionem Placentinorum
 et Cremonensium legati, querentes, agrum suum ab
 adcolis Gallis incurdari ac vastari, magnamque par-
 tem colonorum suorum dilapsam esse, et infrequen-
 tes se urbes, agrum vastum ac desertum habere.
 Mauilio prætori mandatum, ut colonias ab hoste
 tueretur. Consules ex senatusconsulto edixerunt,

ut, qui cives Cremonenses atque Placentini essent, ante certam diem in colonias reverterentur: principio deinde veris et ipsi ad bellum profecti sunt. **Q.** Cæcilius consul exercitum ab **C.** Nerone, **L.** Veturius ab **Q.** Claudio proprætore accepit, novisque militibus, quos ipse conscripserat, supplevit. In Consentinum agrum consules exercitum duxerunt, passimque depopulati, quum agmen jam grave præda esset, in saltu angusto a Bruttiis jaculatoribusque Numidis turbati sunt; ita ut non præda, sed armati quoque in periculo fuerint: major tamen tumultus, quam pugna fuit: et præmissa præda, incolumes et legiones in loca tuta evasere. Inde in Lucanos profecti: ea sine certamine tota gens in ditionem populi Romani rediit.

XII. Cum Hannibale nihil eo anno rei gestum est: nam neque ipse se obtulit in tam recenti vulnere publico privatoque, neque laccessierunt quietum Romani: tantam inesse vim, etsi omnia alia circa eum ruerent, in uno illo duce censebant. Ac nescio, an mirabilior adversis, quam secundis rebus, fuerit: quippe qui, quum et in hostium terra per annos tredecim, tam procul ab domo, varia fortuna bellum gereret exercitu non suo civili, sed mixto ex conluvione omnium gentium, quibus non lex, non mos, non lingua communis; alius habitus, alia vestis, alia arma, alii ritus, alia sacra, alii prope Dei essent; ita quodam uno vinculo copulaverit eos, ut nulla nec inter ipsos, nec adversus ducem seditio extiterit; quum et pecunia sæpe in stipendium, et commeatus in hostium agro deessent: quorum inopia priore Punico bello multa infanda inter duces militesque commissa fuerant. Post Hasdrubalis

Laus Hannibal.
nibal.
nibal.

U. C. 546. vero exercitum cum duce, in quibus spes omnis re-
 A. C. 206. posita victoriæ fuerat, deletum, cedendoque in an-
 gulum Bruttium cetera Italia concessum, cui non
 videatur mirabile, nullum motum in castris factum?
 nam ad cetera id quoque accesserat, ut ne alendi
 quidem exercitus, nisi ex Bruttio agro, spes esset;
 qui, ut omnis coleretur, exiguus tamen tanto alendo
 exercitui erat; tum magnam partem juventutis ab-
 stractam a cultu agrorum bellum occupaverat, et
 mos vitio etiam insitus genti per latrocinia militiam
 exercendi: nec ab domo quidquam mittebatur, de
 Hispania retinenda sollicitis, tanquam omnia pros-
 pera in Italia essent. In Hispania res quadam ex
 parte eandem fortunam, quadam longe disparem
 habebant: eandem, quod proelio victi Karthagini-
 enses, duce amisso, in ultimam Hispaniæ oram us-
 que ad Oceanum compulsi erant: disparem autem,
 quod Hispania, non quam Italia modo, sed quam
 ulla pars terrarum, bello reparando aptior erat, lo-
 corum hominumque ingeniis: itaque ergo prima
 Romanis inita provinciarum, quæ quidem continen-
 tis sint, postrema omnium, nostra denuum ætate,
 ductu auspicioque Augusti Cæsaris, perdomita est.
 Ibi tum Hasdrubal Gisgonis, maximus clarissimus-
 que eo bello secundum Barcinos dux, regressus ab
 Gadibus, rebellandi spem adjuvante Magone Ha-
 milcaris filio, delectibus per ulteriorem Hispaniam
 habitis, ad quinquaginta millia peditum, et quatuor
 millia et quingentos equites armavit. De equestri-
 bus copiis ferme inter auctores convenit: peditum
 septuaginta millia quidam adducta ad Silpianam urbem
 scribunt. Ibi super campos patentes duo duces Pœni
 ea mente, ne detractarent certamen, consederunt.

Res His-
 panice.

Hasdrubal
 cum Ma-
 gone bel-
 lum in-
 staurat.

XIII. Scipio, quum ad eum fama tanti comparati exercitus perlata esset, neque Romanis legionibus tantæ se parem fore multitudini ratus, ut non in speciem saltem obponerentur barbarorum auxilia, neque in iis tamen tantum virium ponendum, ut mutando fidem, quæ cladis causa fuisset patri patruoque, magnum momentum facerent, præmisso Silano ad Colcham, duodetriginta oppidis regnantem, ut equites peditesque ab eo, quos se per hiemem conscripturum pollicitus erat, acciperet, ipse ab Tarracone profectus, protinus ab sociis, qui adcolunt viam, modica contrabendo auxilia, Castulonem pervenit. Eo adducta ab Silano auxilia, tria millia peditum et quingenti equites: inde ad Bæculam urbem progressus omni exercitu civium, sociorum, peditum equitumque quinque et quadraginta millibus. Castra ponentes eos Mago et Masinissa cum omni equitatu adgressi sunt: turbassentque munientes, ni abditi post tumulum, opportune ad id positum, ab Scipione equites inproviso in effusos incurrissent. Hi promptissimum quemque, et proxime vallum, atque in ipsos munitores primum invec-tum, vixdum prælio inito, fuderunt: cum ceteris, qui sub signis atque ordine agminis incesserant, longior et diu ambigua pugna fuit: sed quum ab stationibus primum expeditæ cohortes, deinde ex opere deducti milites, atque arma capere jussi plures et integri fessis, magnumque jam agmen armatorum a castris in prælium rueret, terga haud dubie vertunt Pœni Numidæque. Et primo turmatim abibant, nihil propter pavorem festinationemve confusis ordinibus: dein, postquam acrius ultimis incidebat Romanus, neque sustineri inpetus poterat, nihil

U. C. 546.

A. C. 206.

Scipioauxi-

lia ab sociis

contrahit.

U. C. 546. jam ordinum memores, passim, qua cuique proximum fuit, in fugam effunduntur. Et quamquam eo prælio aliquantum et Romanis aucti et deminuti hostibus animi erant, tamen numquam aliquot insequentes dies ab excursionibus equitum levisque armaturæ cessatum est.

XIV. Ubi satis tentatæ per hæc levia certamina vires sunt, prior Hasdrubal in aciem copias eduxit; deinde et Romani processere: sed utraque acies pro vallo stetit instructa: et quum ab neutris pugna cœpta esset, jam die ad occasum inclinante, a Pæno prius, deinde ab Romano in castra copiæ reductæ. Hoc idem per dies aliquot factum: prior semper Pænus copias castris educebat; prior fessis stando signum receptui dabat: ab neutra parte procursum, telumve missum, aut vox ulla orta: mediam aciem hinc Romani, illinc Karthaginienses mixti Afris, cornua socii tenebant; erant autem utrimque Hispani pro cornibus: ante Punicam aciem elephantum castellorum procul speciem præbebant. Jam hoc in utrisque castris sermonis erat, ita, ut instructi stetissent, pugnaturus: medias acies Romanum Pænumque, quos inter belli causa esset, pari robore animorum armorumque concursuros. Scipio ubi hæc obstinate credita animadvertit, omnia de industria in eum diem, quo pugnaturus erat, mutavit. Tesseram vesperi per castra dedit, ut ante lucem viri equique curati et pransi essent: armatus eques frenatos instratosque teneret equos. Vixdum satis certa luce, equitatum omnem cum levi armatura in stationes Punicas inmisit: inde confestim ipse cum gravi agmine legionum procedit, præter opinionem destinatam suorum hostiumque, Romano milite cor-

nibus firmatis, sociis in mediam aciem acceptis. U. C. 546. A. C. 206.
 Hasdrubal, clamore equitum excitatus, ut ex tabernaculo prosiluit, tumultumque ante vallum et trepidationem suorum, et procul signa legionum fulgentia, plenosque hostium campos vidit, equitatum omnem extemplo in equites emittit: ipse cum peditum agmine castris egreditur: nec ex ordine solito quidquam acie instruenda mutat. Equitum jam diu anceps pugna erat: nec ipsa per se decerni poterat, quia pulsus (quod prope in vicem fiebat) in aciem peditum tutus receptus erat: sed ubi jam haud plus quingentos passus acies inter sese aberant, signo receptui dato, Scipio, patefactisque ordinibus, equitatum omnem levemque armaturam, in medium acceptam divisamque in partes duas, in subsidiis post cornua locat. Inde, ubi incipiendæ jam pugnae tempus erat, Hispanos (ea media acies fuit) presso gradu incedere jubet: ipse e dextro cornu (ibi namque præerat) nuucium ad Silanum et Marcium mittit, ut cornu extenderent in sinistra parte, quemadmodum se tendentem a dextra vidissent: et cum expeditis peditum equitumque prius pugnam consererent cum hoste, quam coire inter se mediæ acies possent. Ita diductis cornibus, cum ternis peditum cohortibus, ternisque equitum turmis, ad hoc velitibus, citato gradu in hostem ducebant, sequentibus in obliquum aliis. Sinus in medio erat, quia segnius Hispanorum signa incedebant: et jam confixerant cornua, quum, quod roboris in acie hostium erat, Pœni veterani Afriq̃e nondum ad teli conjectum venissent, neque in cornua, ut adjuvarent pugnantes, discurrere auderent, ne aperirent mediam aciem venienti ex adverso.

U. C. 546. hosti. Cornua ancipiti prælio urgebantur: eques,
 A. C. 206. levisque armatura, velites, circumductis alis in la-
 tera incurrebant; cohortes a fronte urgebant, ut
 abrumperent cornua a cetera acie.

XV. Et quum ab omni parte haudquaquam par
 pugna erat, tum quod turba Baliarum tironumque
 Hispanorum Romano Latinoque militi objecta erat,
 et, procedente jam die, vires etiam deficere Hasdru-
 balis exercitum cœperant, obpressos matutino tu-
 multu coactosque, priusquam cibo corpora firma-
 rent, raptim in aciem exire. Ad id sedulo diem
 extraxerat Scipio, ut sera pugna esset: nam ab
 septima demum hora peditum signa cornibus incu-
 currerunt: ad medias acies aliquanto serius pervenit
 pugna: ita ut prius æstus a meridiano sole, labor-
 que standi sub armis, et simul fames sitisque cor-
 pora adficerent, quam manus cum hoste consererent.
 Itaque steterunt scutis innisi: nam super cetera
 elephantum etiam, tumultuoso genere pugnae equitum
 velitumque et levis armaturæ consternati, e corni-
 bus in mediam aciem sese intulerant. Fessi igitur
 corporibus animisque retulere pedem, ordines ta-
 men servantes, haud secus, quam si imperio ducis
 cederent integra acies. Sed quum eo ipso acrius,
 ubi inclinatum sensere rem, victores se undique in-
 veherent, nec facile in petus sustineri posset; quam-
 quam retinebat, obsistebatque cedentibus Hasdru-
 bal, *ab tergo esse colles tutumque receptum, si modice
 se reciperent*, clamitans, tamen, vincente verecun-
 diam metu, (quum proximus quisque hostem cede-
 ret) terga extemplo data, atque in fugam sese om-
 nes effuderunt. Ac primo consistere signa in radi-
 cibus collium, ac revocare in ordines militem cœpe-

rant; cunctantibus in adversum collem erigere a-
 ciem Romanis: inde ut inferri in pigre signa vide-
 runt, integrata fuga, in castra pavidi compelluntur.
 Nec procul vallo Romanus aberat: cepissetque
 tanto inpetu castra, ni se ex vehementi sole, qualis
 inter graves imbre nubes effulget, tanta vis aquæ
 dejecisset, ut vix in castra sua receperint se vic-
 tores; quosdam etiam religio ceperit ulterius quid-
 quam eo die conandi. Karthaginienses, quamquam
 fessos labore ac vulncribus nox imberque ad neces-
 sariam quietem vocabat, tamen, quia metus et peri-
 culum cessandi non dabat tempus, prima luce ob-
 pugnaturis hostibus castra, saxis undique circa ex
 propinquis vallibus congestis angent vallum, muni-
 mento sese, quando in armis parum præsidii foret,
 defensuri. Sed transitio sociorum, fuga ut tutior
 mora videretur, fecit. Principium defectionis ab
 Attane regulo Turdetanorum factum est: is cum
 magna popularium manu transfugit: inde duo mu-
 nita oppida cum præsiidiis tradita a præfectis Ro-
 mano. Et ne latius, inclinatis semel ad defectio-
 nem animis, serperet res, silentio proximæ noctis
 Hasdrubal castra movet.

XVI. Scipio, ut prima luce, qui in stationibus
 erant, retulerunt, profectos hostes, præmisso equi-
 tatu signa ferri jubet: adeoque citato agmine ducti
 sunt, ut, si via recta vestigia sequentes issent, haud
 dubie adsecuturi fuerint: ducibus est creditum, bre-
 vius aliud esse iter ad Bætium fluvium, ut transeun-
 tes adgrederentur. Hasdrubal, clauso transitu flu-
 minis, ad oceanum flectit: et jam inde fugientium
 modo effusi abibant; idque ab legionibus Romanis
 aliquantum intervalli fecit. Eques levisque arma-

Fusos per-
sequitur.

U. C. 546. tura, nunc ab tergo, nunc ab lateribus obcurrendo,
 A. C. 206. fatigabat morabaturque: sed quum ad crebros tu-
 multus signa consisterent, et nunc equestria, nunc
 cum velitibus auxiliisque peditum prœlia consere-
 rent, supervenerunt legiones. Inde non jam pugna,
 sed trucidatio velut pecorum fieri; donec ipse dux
 fugæ auctor in proximos colles cum sex millibus
 ferme semiermium evasit: ceteri cæsi captique.
 Castra tumultuaria raptim Pœni tumulto editissimo
 communierunt: atque inde, cum hostis nequidquam
 subire iniquo adscensu conatus esset, haud difficul-
 ter sese tutati sunt. Sed obsidio in loco nudo at-
 que inopi vix in paucos dies tolerabilis erat: itaque
 transitiones ad hostem fiebant. Postremo dux ipse,
 navibus acceptis, (nec procul inde aberat mare) nocte relicto exercitu, Gades per fugit. Scipio, fuga
 ducis hostium audita, decem millia peditum, mille
 equites relinquit Silano ad castrorum obsidionem: ipse cum ceteris copiis, septuagesimis castris, pro-
 tinus caussis regulorum civitatumque cognoscendis, ut præmia ad veram meritorum æstimationem tribui
 possent, Tarraconem rediit. Post profectionem ejus
 Masinissa, cum Silano clam congressus, ut ad nova
 consilia gentem quoque suam obedientem haberet, cum paucis popularibus in Africam trajecit; non
 tam evidenti eo tempore subitæ mutationis causa, quam documento post id tempus constantissimæ ad
 ultimam senectam fidei, ne tum quidem eum sine probabili causa fecisse. Mago inde, remissis ab
 Hasdrubale navibus, Gades petit. Ceteri, deserti ab ducibus, pars transitione, pars fuga, dissipati per
 proximas civitates sunt: nulla manus numero aut viribus insignis. Hoc maxime modo, ductu atque

Hasdrubal
 Gades fu-
 git.

Masinissa
 inclinatur
 ad Roma-
 nos.

auspicio P. Scipionis, pulsi Hispania Karthaginien-
 ses sunt; tertio decimo anno, post bellum in itum;
 quinto, quam P. Scipio provinciam et exercitum ac-
 cepit. Haud multo post Silanus, debellatum re-
 ferens, Tarraconem ad Scipionem rediit.

U. C. 546.
 A. C. 206.
 Pulsi His-
 pania Pœni.

XVII. L. Scipio cum multis nobilibus captivis
 nuncius receptæ Hispaniæ Romam est missus: et
 quum ceteri lætitia gloriaque ingenti eam rem vulgo
 ferrent, unus, qui gesserat, inexplebilis virtutis ve-
 ræque laudis, parvum instar eorum, quæ spe ac
 magnitudine animi concepisset, receptas Hispanias
 ducbat: jam Africam magnamque Karthaginem,
 et in suum decus nomenque velut consummatam
 ejus belli gloriam spectabat. Itaque, præmoliendas
 sibi ratus jam res conciliandosque regum gentium-
 que animos, Syphacem primum regem statuit ten-
 tare. Masæyolorum is rex erat. Masæyli, gens
 ad finis Mauris, in regionem Hispaniæ, maxime qua
 sita Nova Karthago est, spectant. Fœdus ea tem-
 pestate regi cum Karthaginensibus erat, quod haud
 gravius ei sanctiusque, quam vulgo barbaris, quibus
 ex fortuna pendet fides, ratus fore, oratorem ad
 eum C. Lælium cum donis mittit. Quibus barbarus
 lætus, et quia res tum prosperæ ubique Romanis,
 Pœnis in Italia adversæ, in Hispania nullæ jam
 erant, amicitiam se Romanorum accipere aduuit:
 firmandæ ejus fidem nec dare, nec accipere, nisi
 cum ipso coram duce Romano. Ita Lælius, in id
 modo fide ab rege accepta, tutum adventum fore, ad
 Scipionem rediit. Magnum in omnia momentum
 Syphax adfectanti res Africæ erat, opulentissimus
 ejus terræ rex, bello jam expertus ipsos Karthagini-
 enses, finibus etiam regni apte ad Hispaniam, quod

Scipio jam
 Africam et
 Karthagi-
 nem spec-
 tat.

Syphacem
 sibi conci-
 liare statuit.

U. C. 546. freto exiguo dirimuntur, positis. Dignam itaque
 A. C. 206. rem Scipio ratus, quæ, quoniam non aliter posset,
 In Afri- magno periculo peteretur, L. Marcio Tarracone, M.
 cam tra- Silano Karthagine Nova, quo pedibus ab Tarracone
 jicit. itineribus magnis ierat, ad præsidium Hispaniæ re-
 lictis, ipse cum C. Lælio duabus quinqueremibus ab
 Karthagine profectus tranquillo mari plurimum re-
 mis, interdum et leni adjuvante vento, in Africam
 trajecit. Forte ita incidit, ut eo ipso tempore Has-
 drubal pulsus Hispania, septem triremibus portum
 invectus, anchoris positis terræ adplicaret naves;
 quum inspectæ duæ quinqueremes haud cuiquam
 dubio, quin hostium essent, obprimique a pluribus,
 priusquam portum intrarent, possent, nihil aliud,
 quam tumultum ac trepidationem simul militum ac
 nautarum, nequidquam armaque et naves expedien-
 tium, fecerunt: percussa enim ex alto vela paullo
 acriori vento prius in portum intulerunt quinquere-
 mes, quam Pœni anchoras molirentur: nec ultra
 tumultum ciere quisquam in regio portu audebat.
 Itaque prior in terram Hasdrubal, mox Scipio et
 Lælius egressi, ad regem pergunt.

Hasdrubal
 et Scipio
 eodem
 tecto re-
 cipiuntur.

XVIII. Magnificumque id Syphaci (nec erat ali-
 ter) visum, duorum opulentissimorum ea tempe-
 state duces populorum uno die suam pacem amici-
 tiamque petentes venisse. Utrumque in hospitium
 invitat; et, quoniam fors eos sub uno tecto esse,
 atque ad eosdem penates, voluisset: contrahere ad
 conloquium dirimendarum simultatum causa est
 conatus; Scipione abnuente, aut privatim sibi ul-
 lum cum Pœno odium esse, quod conloquendo fini-
 ret, aut de republica se cum hoste agere quidquam
 injussu senatus posse. Illud magno opere tendente

rege, ne alter hospitem exclusus mensa videretur, U. C. 546.
 ut in animum induceret ad easdem venire epulas, A. C. 206.
 haud abnuit. Cœnatumque simul apud regem est :
 et eodem etiam lecto Scipio atque Hasdrubal (quia
 ita cordi erat regi) adcubuerunt. Tanta autem in-
 erat comitas Scipioni, atque ad omnia naturalis in-
 genii dexteritas, ut non Syphacem modo, barbarum
 insuetumque moribus Romanis, sed hostem etiam
 infestissimum, facunde adloquendo sibi conciliaret,
mirabiliorumque sibi eum virum congresso coram visum
præ se ferebat, quam bello rebus gestis. Nec dubi-
tare, quin Syphax regnumque ejus jam in Romanorum
essent potestate : eam artem illi viro ad conciliandos
animos esse. Itaque non, quo modo Hispaniæ amissæ
sint, quærendum magis Karthaginiensibus esse, quam,
quo modo Africam retineant, cogitandum. Non pere-
grinandum, neque circa amenas oras vagantem tan-
tum ducem Romanum, relicta provincia novæ ditionis,
relictis exercitibus, duabus navibus in Africam traje-
cisse sese in hostilem terram, regiam in fidem inexper-
tum : sed potius Africæ spem adfectantem. Hoc
eum jam pridem volutare in animo, hoc palam fremere,
quod non, quemadmodum Hannibal in Italia, sic Sci-
pio in Africa bellum gereret. Scipio, fœdere icto
 cum Syphace, profectus ex Africa, dubiisque et ple-
 rumque sævis in alto jactatus ventis, die quarto No-
 væ Karthaginis portum tenuit.

Redit in
 Hispaniam
 Scipio.

XIX. Hispaniæ sicut a bello Punico quietæ
 erant, ita quædam civitates, propter conscientiam
 culpæ, metu magis, quam fide, quietas esse adpare-
 bat : quarum maxime insignes et magnitudine et
 noxa Iiliturgi et Castulo erant. Castulo, quum
 prosperis rebus socii fuissent, post casos cum exer-

U. C. 546. citibus Scipiones defecerant ad Pœnos. Illiturgi-
 A. C. 206. tani prodendis, qui ex illa clade ad eos perfugerant,
 interficiendisque, scelus etiam defectioni addiderant.
 In eos populos primo adventu, quum dubiæ Hispani-
 niæ essent, merito magis, quam utiliter, sævitum
 foret. Tunc, jam tranquillis rebus, quia tempus
 expetendæ pœnæ videbatur venisse, adcitum ab
 Tarracone L. Marcium cum tertia parte copiarum
 ad Castulonem obpugnandum mittit: ipse cum ce-
 tero exercitu quintis ferme ad Illiturgin castris per-
 venit. Clausæ erant portæ, omniaque instructa et
 parata ad obpugnationem arcendam: adeo consci-
 entia, quid se meritos scirent, pro indicto eis bello
 fuerat. Hinc et hortari milites Scipio orsus est.
*Ipsos claudendis portis indicasse Hispanos, quid, ut
 timerent, meriti essent: itaque multo infestioribus ani-
 mis cum iis, quam cum Karthaginiensibus, bellum ge-
 rendum esse. Quippe cum illis prope sine ira de im-
 perio et gloria certari; ab his perfidiæ et crudelitatis
 et sceleris pœnas expetendas esse. Venisse tempus, quo
 et nefandam commilitonum necem, et in semet ipsos, si
 eodem fuga delati forent, instructam fraudem ulcisce-
 rentur: et in omne tempus gravi documento sancirent,
 ne quis umquam Romanum civem militemve in ulla
 fortuna opportunum injuriæ duceret.* Ab hac cohorta-
 tione ducis incitati, scalas electis per manipulos
 viris dividunt: partitoque exercitu, ita ut parti al-
 teri Lælius præesset legatus, duobus simul locis
 ancipiti terrore urbem adgrediuntur. Non dux
 unus, aut plures principes oppidanos, sed suus ip-
 sorum ex conscientia culpæ metus ad defendendam
 inpigre urbem hortatur: et meminerant, et admo-
 nebant alii alios, *supplicium ex se, non victoriam,*

Illiturgin
 obpugnat.

peti. Ubi quisque mortem obpeteret, id referre; utrum in pugna et in acie, ubi Mars communis et victum sæpe erigeret, et adfligeret victorem; an postmodo, cremata et diruta urbe, ante ora captarum conjugum liberorumque, inter verbera et vincula, omnia fœda atque indigna passi, exspirarent. Igitur non militaris modo ætas, aut viri tantum, sed feminæ puerique supra animi corporisque vires adsunt: propugnantibus tela ministrant, saxa in muros munientibus gerunt. Non libertas solum agebatur, quæ virorum fortium tantum pectora acuit; sed ultima omnium supplicia, et fœda mors ob oculos erat. Accendebantur animi et certamine laboris ac periculi, atque ipso inter se conspectu. Itaque tanto ardore certamen initum est, ut domitor ille totius Hispaniæ exercitus, ab unius oppidi juventute sæpe repulsus a muris, haud satis decoro prælio trepidaret. Id ubi vidit Scipio, veritus, ne vanis conatibus suorum et hostibus cresceret animus, et segnior miles fieret, sibimet conandum ac partem periculi capessendam esse ratus, increpita ignavia militum, ferri scalas jubet: se ipsum, si ceteri cunctentur, escensurum minatur. Jam suberat haud mediocri periculo mœnia, quum clamor undique ab sollicitis vicem imperatoris militibus sublatus, scalæque multis simul partibus erigi cœptæ. Et ex altera parte Lælius instat. Tum victa oppidanorum vis, dejectisque propugnatoribus occupantur muri: arx etiam ab ea parte, qua inexpugnabilis videbatur, inter tumultum capta est.

XX. Transfugæ Afri, qui tum inter auxilia Romana erant, et oppidanis in ea tuenda, unde periculum videbatur, versis, et Romanis subeuntibus, qua adire poterant, conspexerunt editissimam urbis par-

U. C. 546.

A. C. 206.

U. C. 546. tem, quia rupe præalta tegebatur, neque opere ullo
 A. C. 206. munitam, et ab defensoribus vacuum: levium corporum homines, et multa exercitatione perniciousum, clavos secum ferreos portantes, qua per inæqualiter eminentia rupis poterant, scandunt: sicubi nimis arduum et leve saxum obcurrerat, clavos per modica intervalla figentes, quum velut gradus fecissent, primi sequentes extrahentes manu, postremi sublevantes eos, qui præirent, in summum evadunt: inde decurrunt cum clamore in urbem jam captam ab Romanis. Tum vero adparuit, ab ira et ab odio urbem obpugnatam esse: nemo capiendi vivos, nemo, patentibus ad directionem omnibus, prædæ memor est. Trucidant inermes juxta atque armatos, feminas pariter ac viros: usque ad infantium cædem ira crudelis pervenit. Ignem deinde tectis injiciunt, ac diruunt, quæ incendio absumi nequeunt: adeo vestigia quoque urbis extinguere, ac delere memoriam hostium sedis, cordi est. Castulonem inde Scipio exercitum ducit: quam urbem non Hispani modo convenæ, sed Punici etiam exercitus ex dissipata passim fuga reliquæ tutabantur: sed adventum Scipionis prævenerat fama cladis Illiturgitanorum, terrorque inde ac desperatio invaserat; et in diversis caussis, quum sibi quisque consultum sine alterius respectu vellet, primo tacita suspicio, deinde aperta discordia secessionem inter Karthaginienses atque Hispanos fecit. His Cerdubellus propalam deditiois auctor. Himilco Punicis auxiliaribus præerat: quos urbemque, clam fide accepta, Cerdubellus Romano prodit. Minor ea victoria fuit: nec tantumdem noxæ admissum erat, et aliquantum iræ lenierat voluntaria deditio.

Oppidani
 ad inter-
 necionem
 delentur.

Castulo-
 nem de-
 ditione re-
 cipit.

XXI. Marcus inde in barbaros, si qui nondum perdomiti erant, sub jus ditionemque redigendos missus. Scipio Karthaginem, ad vota solvenda Diis, munusque gladiatorium, quod mortis causa patri patruique paraverat, edendum, rediit. Gladiatorium spectaculum fuit non ex eo genere hominum, ex quo lanistis comparare mos est, servorum, quive venalem sanguinem habent. Voluntaria omnis et gratuita opera pugnantium fuit: nam alii missi ab regulis sunt ad specimen insitæ genti virtutis ostendendum: alii ipsi professi, se pugnatueros in gratiam ducis: alios æmulatio et certamen, ut provocarent, provocatique hand abnuerent, traxit: quidam, quas disceptando controversias finire nequiverant, aut noluerant, pacto inter se, ut victorem res sequeretur, ferro decreverunt. Neque obscuri generis homines, sed clari illustresque, Corbis et Orsua patruales fratres, de principatu civitatis, quam Ibem vocabant, ambigentes, ferro se certatueros professi sunt. Corbis major erat ætate. Orsue pater princeps proxime fuerat, a fratre majore post mortem ejus principatu accepto. Quum verbis disceptare Scipio vellet, ac sedare iras; negatum id ambo dicere communibus cognatis, nec alium Deorum hominumve, quam Martem, se judicem habituros esse. Robore major, minor flore ætatis ferox, mortem in certamine, quam ut alter alterius imperio subjiceretur præoptantes, quum dirimi ab tanta rabie nequirent, insigne spectaculum exercitui præbuere documentumque, quantum cupiditas imperii malum inter mortales esset. Major usu armorum et astu facile stolidas vires minoris superavit. Huic gladiatorum

U. C. 546.
A. C. 206.
Gladiatorium spectaculum edit Scipio.

U. C. 546. spectaculo ludi funebres additi pro copia, et provin-
 A. C. 206. ciali et castrensi adparatu.

XXII. Res interim nihilominus ab legatis gerebantur. Marcius, superato Bæte amni, quem incolæ Certim adpellant, duas opulentas civitates sine certamine in deditioem accipit. Astapa urbs erat, Karthaginiensium semper partis: neque id tam dignum ira erat, quam quod, extra necessitates belli, præcipuum in Romanos gerebant odium: nec urbem aut situ aut munimento tutam habebant, quæ ferociore iis animos faceret: sed ingenia incolarum latrocinio læta, ut excursiones in finitimum agrum sociorum populi Romani facerent, inpulerant, et vagos milites Romanos lixasque et mercatores exciperent: magnum etiam comitatum, quia paucis parum tutum fuerat, transgredientem fines, positus iusidiis circumventum, iniquo loco interfecerunt. Ad hanc urbem obpugnandam quum admotus exercitus esset, oppidani conscientia scelerum, quia nec deditio tuta ad tam infestos videbatur, nec spes mœnibus aut armis tuendæ salutis erat, facinus in se ac suos fædum ac ferum consciscunt. Locum in foro destinant, quo pretiosissima rerum suarum congererent: super eum cumulum conjuges ac liberos considerare quum jussissent, ligna circa exstruunt, fascisque virgultorum conjiciunt. Quinquaginta deinde armatis juvenibus præcipiunt, *ut, donec incertus eventus pugnæ esset, præsidium eo loco fortunarum suarum corporumque, quæ cariora fortunis essent, servarent. Si rem inclinatam viderent, atque in eo jam esse, ut urbs caperetur; scirent omnes, quos euntes in prælium cernerent, mortem in ipsa pugna obituros.*

Marcus
 Astapam
 obpugnat.

Astapen-
 sium fu-
 ror.

Illos se per Deos superos inferosque orare, ut memores libertatis, quæ illo die aut morte honesta, aut servitute infami finienda esset, nihil relinquerent, in quod sævire iratus hostis posset. Ferrum ignemque in manibus esse. Amicæ ac fideles potius ea, quæ peritura essent, absumerent manus, quam insultarent superbo ludibrio hostes. His adhortationibus execratio dira adjecta, si quem a proposito spes mollitiave animi flexisset: inde concitato aguine patentibus portis ingenti tumultu erumpunt. Neque erat ulla satis firma statio obposita; quia nihil minus, quam ut egredi mœnibus auderent, timeri poterat: perpaucæ equitum turmæ, levisque armatura repente e castris ad id ipsum emissa obcurrit. Acrior inpetu atque animis, quam compositior ullo ordine, pugna fuit. Itaque pulsus eques, qui primus hosti se obtulerat, terrorem intulit levi armaturæ: pugnatumque sub ipso vallo foret, ni robur legionum, perexiguo ad instruendum dato tempore, aciem direxisset. Ibi quoque trepidatum parumper circa signa est, quum cæci furore in vulnera ac ferrum vecordi audacia ruerent: dein vetus miles, adversus temerarios inpetus pertinax, cæde primorum insequentes subpressit: conatus paullo post ultro inferre pedem, ut neminem cedere, atque obstinatos mori in vestigio quemque suo vidit; patefacta acie (quod ut facere posset, multitudo armatorum facile suppeditabat) cornua hostium amplexus, in orbem pugnantes ad unum omnes occidit.

XXIII. Atque hæc tamen hostium iratorum, ac tum maxime dimicantium, jure belli in armatos repugnantesque edebantur: fœdior alia in urbe trucidatio erat, quum turbam feminarum puerorumque

U. C. 546.
A. C. 206.

Pueri et feminae a suis in urbe trucidati.

U. C. 546. inbellem inermemque cives sui cæderent, et in succensum rogam semianima pleraque injicerent corpora, rivique sanguinis flammam orientem restinguent: postremo ipsi, cæde miseranda suorum fatigati, cum armis medio se incendio injecerunt. Jam cædi perpetratæ victores Romani supervenerunt: ac primo conspectu tam fœdæ rei mirabundi parumper obstupuerunt: dein quum aurum argentumque, cumulo rerum aliarum interfulgens, aviditate ingenii humani, rapere ex igne vellent, conrepti alii flamma sunt, alii ambusti adfiatu vaporis: quum receptus primis, urgente ingenti turba, non esset. Ita Astapa, sine præda militum, ferro ignique absunta est. Marcius, ceteris ejus regionis metu in deditiorem acceptis, victorem exercitum Karthaginem ad Scipionem reduxit. Per eos ipsos dies perfugæ a Gadibus venerunt, pollicentes, urbem Punicumque præsidium, quod in ea urbe esset, et imperatorem præsidii cum classe prodituros esse. Mago ibi ex fuga substiterat, navibusque in oceano collectis, aliquantum auxiliorum et trans fretum ex Africa ora, et ex proximis Hispaniæ locis per Hannonem præfectum coëgerat. Fide accepta dataque perfugis, et Marcius eo cum expeditis cohortibus, et Lælius cum septem triremibus, quinqueremi una, est missus, ut terra marique communi consilio rem gerent.

Scipionis
morbus.

XXIV. Scipio ipse gravi morbo implicatus, graviore tamen fama, quum ad id quisque, quod audierat, (insita hominum libidine alendi de industria rumores) adjiceret aliquid, provinciam omnem ac maxime longinqua ejus turbavit: adparuitque, quantum excitatura molem vera fuisset clades, quum vanus rumor tantas procellas excivisset: non socii in

fide, non exercitus in officio mansit. Mandonius et Indibilis, quibus (quia regnum sibi Hispaniæ, pulsis inde Karthaginensibus, destinarant animis) nihil pro spe contigerat, concitatis popularibus (Lacetani autem erant) et juventute Celtiberorum excita, agrum Suessetanum Sedetanumque sociorum populi Romani hostiliter depopulati sunt. Civilis alius furor in castris ad Sucronem ortus. Octo ibi millia militum erant; præsidium gentibus, quæ cis Iberum incolunt, inpositum. Motæ autem eorum mentes sunt non tum primum, quum de vita imperatoris dubii rumores adlati sunt; sed jam ante, licentia ex diutino, ut fit, otio conlecta, et nonnihil, quod in hostico laxius raptò suctis vivere artiores in pace res erant. Ac primo sermones tantum occulti serebantur, *si bellum in provincia esset, quid sese inter pacatos facere? si debellatum jam et confecta provincia esset, cur in Italiam non revehi?* Flagitatum quoque stipendium procacius, quam ex more et modestia militari, erat; et ab custodibus probra in circum-euntes vigilias tribunos jacta: et noctu quidam prædatum in agrum circa pacatum ierant: postremo interdum ac propalam sine comæatu ab signis abibant: omnia libidine ac licentia militum, nihil instituto ac disciplina militiæ, aut imperio eorum, qui præerant, gerebatur: forma tamen Romanorum castrorum constabat una ea spe, quod tribunos ex contagione furoris haud expertes seditionis defectio-nisque rati fore, et jura reddere in principiis sinebant, et signum ab eis petebant, et in stationes ac vigilias in ordinem ibant; et, ut vim imperii abstulerant, ita speciem dicto parentium, ultro sibi imperantes, servabant. Erupit deinde seditio, post-

U C. 546.

A. C. 206.

Seditio ex-
ercitus ad
Sucronem.

U. C. 546. quam reprehendere atque improbare tribunos ea,
 A. C. 206. quæ fierent, et conari obviam ire, et propalam ab-
 nuere, furoris eorum se futuros socios, senserunt. Fugatis itaque ex principis, ac post paullo e castris tribunis, ad principes seditionis, gregarios milites, C. Albiū Calenum et C. Atrium Umbrum, delatum omnium consensu imperium est: qui, nequam tribunicis contenti ornamentis, insignia etiam summi imperii, fascēs securesque, adtractare ausi: neque venit in mentem, suis tergis suisque cervicibus virgas illas securesque imminere, quas ad metum aliorum præferrent. Mors Scipionis falso credata occæcabat animos: sub cuius vulgatam mox famam non dubitabant totam Hispaniam arsuram bello: in eo tumultu et sociis pecunias imperari, et diripi propinquas urbes posse: et, turbatis rebus, quum omnia omnes auderent, minus insignia fore, quæ ipsi fecissent.

XXV. Quum alios subinde recentes nuncios, non mortis modo, sed etiam funeris, expectarent, neque superveniret quisquam, evanesceretque temere ortus rumor; tum primi auctores requiri cœpti: et, subtrahente se quoque, ut credidisse potius temere, quam finxisse, rem talem videri posset, destituti duces jam sua ipsi insignia, et pro vana imagine imperii, quod gererent, veram justamque mox in se versuram potestatem horrebant. Stupente ita seditione, quum vivere primo, mox etiam valere Scipionem, certi auctores adferrent, tribuni militum septem ab ipso Scipione missi sunt. Ad quorum primum adventum exasperati animi; mox, ipsis placido sermone permulcentibus notos, cum quibus congressi erant, leniti sunt: circameuntes enim

tentoria primo, deinde in principiis prætorioque, U. C. 546.
 ubi sermones inter se serentium circulos vidissent, A. C. 206.
 adloquebantur, percunctantes magis, quæ causa iræ
 consternationisque subitæ foret, quam factum accu-
 santes. Vulgo *stipendium non datum ad diem* jacta-
 batur: *et, quum eodem tempore, quo scelus Illiturgi-*
tanorum exstisset, post duorum imperatorum duorum-
que exercituum stragem, sua virtute defensum nomen
Romæ ac retenta provincia esset: Illiturgitanos
pænam noxæ meritam habere; suis recte factis gra-
tiam qui exsolvat, non esse. Talia querentes æqua
orare, sequæ ea relaturos ad imperatorem, responde-
 bant: *lætari, quod nihil tristius, nec insaniabilius es-*
set: et P. Scipionem Deum benignitate, et rempubli-
cam esse gratiæ referendæ. Scipionem bellis adsue-
 tum, ad seditionum procellas rudem, sollicitum ha-
 bebant res, ne aut exercitus peccando, aut ipse puni-
 endo, modum excederet: in præsentia, ut cœpisset,
 leniter agi placuit, et, missis circa stipendiarias civi-
 tates exactoribus, stipendii spem propinquam facere.
 Edictum subinde propositum, ut ad stipendium pe-
 tendum convenirent Karthaginem; seu carptim par-
 tes, seu universi mallent. Tranquillam seditionem,
 jam per se languescentem, repentina quies rebellan-
 tium Hispanorum fecit: redierant enim in fines,
 omisso incepto, Mandonius et Indibilis, postquam
 vivere Scipionem adlatum est: nec jam erat aut
 civis, aut externus, cum quo furorem suum conso-
 ciarent. Omnia circumspectantes consilia nihil re-
 liqui habebant, præter non tutissimum a malis con-
 siliis receptum, ut imperatoris vel justæ iræ, vel non
 desperandæ clementiæ sese committerent: etiam
 hostibus eum ignovisse, cum quibus ferro dimicas-

U. C. 546. set. Suam seditionem sine vulnere, sine sanguine
 A. C. 206. fuisse: nec ipsam atrocem, nec atroci pœna dignam: ut ingenia humana sunt ad suam cuique levandam culpam nimio plus facunda. Illa dubitatio erat, singulæne cohortes, an universi, ad stipendium petendum irent: inclinavit sententia, quod tutius censebant, universos ire.

XXVI. Per eosdem dies, quibus hæc illi consultabant, consilium de iis Karthaginî erat: certabaturque sententiis, utrum in auctores tantum seditionis (erant autem hi numero haud plus, quam quinque et triginta) animadverteretur, an plurium supplicio vindicanda tam fœdi exempli defectio magis, quam seditio, esset. Vicit sententia lenior, ut, unde orta culpa esset, ibi pœna consisteret: ad multitudinem castigationem satis esse. Consilio dimisso, ut id actum videretur, expeditio adversus Mandonium Indibilemque edicitur exercitui, qui Karthagine erat, et cibaria dierum aliquot parare jubentur: tribunis septem, qui et antea Sucronem ad leniendam seditionem ierant, obviam exercitui missis, quina nomina principum seditionis edita sunt; ut eos, per idoneos homines benigno vultu ac sermone in hospitium invitatos sopitosque vino, vincirent. Haud procul jam Karthagine aberant, quum ex obviis auditum, postero die omnem exercitum cum M. Silano in Lacetanos proficisci, non metu modo omni, qui tacitus insidebat animis, liberavit eos, sed lætitiâ ingentem fecit: quod magis habituri solum imperatorem, quam ipsi futuri in potestate ejus essent. Sub occasum solis urbem ingressi sunt, exercitumque alterum parantem omnia ad iter viderunt. Excepti sermonibus de industria compositis,

lætum opportunumque adventum eorum imperatori esse, quod sub ipsam profectionem alterius exercitus venissent, corpora curant. A tribunis sine ullo tumultu auctores seditionis, per idoneos homines perducti in hospitia, comprehensi ac vincti sunt. Vigilia quarta impedimenta exercitus, cujus simulabatur iter, proficisci cœpere; sub lucem signa mota, et ad portam retentum agmen, custodesque circa omnes portas missi, ne quis urbe egrederetur. Vocati deinde ad concionem, qui pridie venerant, ferociter in forum ad tribunal imperatoris, ut ultro terriburi subclamationibus, concurrunt. Simul et imperator in tribunal escendit, et reducti armati a portis inermi se concioni ab tergo circumfuderunt: tum omnis ferocia concidit, et, ut postea fatebatur, nihil æque eos terruit, quam præter spem robur et color imperatoris, quem adfectum visuros crederant, vultusque, qualem ne in acie quidem aiebant meminisse. Sedit tacitus paullisper, donec nunciatum est, deductos in forum auctores seditionis, et parata jam omnia esse.

XXVII. Tum, silentio per præconem facto, ita cœpit: *Numquam mihi defuturam orationem, qua exercitum meum adloquerer, credidi: non quo verba unquam potius, quam res, exercuerim; sed quia prope a pueritia in castris habitus, adsueram militaribus ingeniis. Ad vos quemadmodum loquar, nec consilium, nec oratio suppeditat: quos ne quo nomine quidem adpellare debeam, scio. Cives? qui a patria vestra descistis: an milites? qui imperium auspiciumque abnuistis, sacramenti religionem rupistis: hostes? corpora, ora, vestitum, habitum civium agnosco: facta, dicta, consilia, animos hostium video. Quid enim vos, nisi quod*

Oratio Scipionis ad seditiosos.

U. C. 546. *Hergetes et Lacetani, aut optastis aliud, aut sperastis ?*

A. C. 206. *Et illi tamen Mandonium atque Indibilem, regiae nobilitatis viros, duces furoris secuti sunt: vos auspiciam et imperium ad Umbrum Atrium et Calenum Albium detulistis. Negate, vos id omnes fecisse, aut factum voluisse, milites; paucorum cum furorem atque amentiam esse: libenter credam negantibus: nec enim ea sunt commissa, quae vulgata in omnem exercitum sine piaculis ingentibus expiari possint. Inritus ea, tamquam vulnere, adtingo: sed nisi tacta tractataque sanari non possunt. Equidem, pulsus Hispania Karthaginiensibus, nullum locum tota provincia, nullos homines credebam esse, ubi vita invisa esset mea: sic me non solum adversus socios gesseram, sed etiam adversus hostes. In castris enim meis (quantum me opinio fefellit?) fama mortis meae non accepta solum, sed etiam exspectata est. Non quod ego vulgari facinus per omnes relin, (equidem si totum exercitum meum mortem mihi optasse crederem, hic statim ante oculos vestros morerer; nec me vita juraret, invisa civibus et militibus meis) sed multitudo omnis, sicut natura maris, per se immobilis est, venti et aurae cicut; ita aut tranquillum, aut procellae in vobis sunt: et causa atque origo omnis furoris penes auctores est; vos contagione insanistis. Qui mihi ne hodie quidem scire videmini, quo amentiae progressi sitis; quid facinoris in me, quid in patriam parentesque ac liberos vestros, quid in Deos, sacramenti testes, quid adversus auspicia, sub quibus militatis, quid adversus morem militiae disciplinamque majorum, quid adversus summi imperii majestatem ausi sitis. De me ipso taceo: temere potius, quam aride, credideritis: denique ego sim, cujus imperii tædere exercitum minime mirandum sit: patria quid de vobis*

meruerat, quam cum Mandonio et Indibili consociando U. C. 546
 consilia prodebatis? Quid populus Romanus, quum A. C. 206.
 imperium, ablatum ab tribunis suffragio populi creatis,
 ad homines privatos detulistis? quum, eo ipso non
 contenti, si pro tribunis illos haberetis, fasces impera-
 toris vestri ad eos, quibus servus, cui imperarent, num-
 quam fuerat, Romanus exercitus detulistis. In præto-
 rio tetenderunt Albius et Atrius: classicum apud eos
 cecinit: signum ab iis petatum est: sederunt in tribu-
 nali P. Scipionis: lictor adparuit: submoto incesse-
 runt: fasces cum securibus prælati sunt. Lapides
 pluere, et fulmina jaci de celo, et insuetos factus ani-
 malia edere, vos portenta esse putatis: hoc est porten-
 tum, quod nullis hostiis, nullis supplicationibus, sine
 sanguine eorum, qui tantum facinus ausi sunt, expiari
 possit.

XXVIII. Atque ego (quamquam nullum scelus ra-
 tionem habet) tamen, ut in re neforia, quæ mens, quod
 consilium vestrum fuerit, scire velim. Rhegium quon-
 dam in præsidium missa legio, interfectis per scelus
 principibus civitatis, urbem opulentam per decem annos
 tenuit: propter quod facinus tota legio, millia homi-
 num quatuor, in foro Romæ securi percussi sunt. Sed
 illi primum, non Atrium Umbrum semiliram, nominis
 etiam abominandi ducem, sed Decium Jubellium tri-
 bunum militum secuti sunt: nec cum Pyrrho, nec cum
 Samnitibus aut Lucanis, hostibus populi Romani, se
 conjunxerunt: vos cum Mandonio et Indibili consilia
 communicastis, et arma consociaturi fuistis. Illi, sicut
 Campani Capuam, Tuscis veteribus cultoribus adem-
 tam, Mariertini in Sicilia Messanam, sic Rhegium ha-
 bituri perpetuam sedem erant; nec populum Roma-
 num, nec socios populi Romani ultro lucessituri bello.
 Sacronemne vos domicilium habituri eratis? ubi si vos

U. C. 546. *decedens confecta provincia imperator relinquerem,*
 A. C. 206. *Deum hominumque fidem implorare debebatis, quod non rediretis ad conjuges liberosque vestros. Sed horum quoque memoriam, sicut patriæ meique, ejeceritis ex animis vestris. Fiam consiliis celerati, sed non ad ultimum demeritis, exsequi volo. Mene viro, et cetero incolumi exercitu, cum quo ego die uno Karthaginem cepi, cum quo quatuor imperatores, quatuor exercitus Karthaginensium fudi, fugavi, Hispania expuli, vos octo millia hominum, minoris certe omnes pretii, quam Albius et Atrius sunt, quibus vos subjecistis, Hispaniam provinciam populo Romano erepturi eratis? Amolior et amoveo nomen meum: nihil ultra facile creditam mortem meam a vobis violatus sim. Quid? si ego morerer, mecum expiratura respublica, mecum casurum imperium populi Romani erat? ne istuc Jupiter optimus maximus sirit, urbem, auspiciato Diis auctoribus in æternum conditam, fragili huic et mortali corpori æqualem esse. Flaminio, Paulo, Graccho, Postumio Albino, M. Marcello, T. Quinctio Crispino, Cn. Fulvio, Scipionibus meis, tot tam præclaris imperatoribus uno bello absumentis, superstes est populus Romanus, eritque, mille aliis nunc ferro, nunc morbo morientibus, meo unius funere elata populi Romani esset respublica? Vos ipsi hic in Hispania, patre et patruo meo, duobus imperatoribus, interfectis, Septimum Marcium ducem vobis adversus exsultantes recenti victoria Penos delegistis: et sic loquor, tamquam sine duce Hispaniæ futuræ fuerint. M. Silanus, eodem jure, eodem imperio mecum in provinciam missus, L. Scipio frater meus, et C. Lælius, legati, vindices majestatis imperii deessent? Utrum exercitus exercitui, an duces ducibus, an dignitas, an causa comparari poterat? quibus si omnibus superiores essetis, arma cum Pænis contra patriam,*

contra cives vestros ferretis? Africam Italiae, Karth- U. C. 546.
ginem urbi Romanae imperare velletis? Quam ob A. C. 206.
noxam patriae?

XXIX. *Coriolanum quondam damnatio injusta, miserum et indignum exsilium, ut iret ad obpugnandam patriam, inpulit: revocavit tamen a publico paricidio privata pietas. Vos qui dolor, quae ira incitavit? Stipendiumne diebus paucis imperatore agro serius numeratum satis digna causa fuit, cur patriae indiceretis bellum? cur ad Illygetes descisceretis a populo Romano? cur nihil divinarum humanarumque rerum inviolatum vobis esset? Insanistis profecto, milites: nec major in corpus meum vis morbi, quam in vestras mentes, invasit. Horret animus referre, quid crediderint homines, quid speraverint, quid optaverint. Auferat omnia irrita oblivio, si potest: si non, utcumque silentium tegat. Non negaverim, tristem atrocemque vobis visam orationem meam; quanto creditis facta vestra atrociora esse, quam dicta mea? et me ea, quae fecistis, pati aequum censetis: vos ne dici quidem omnia aequo animo ferretis? Sed ne ea quidem ipsa ultra exprobrabuntur: utinam tam facile vos obliviscamini eorum, quam ego obliviscar. Itaque, quod ad vos universos adinet, si erroris paenitet, satis superque paenarum habeo. Albius Calenus, et Atrius Ueber, et ceteri nefariae seditionis auctores, sanguine ludent, quod admiserunt. Vobis supplicii eorum spectaculum non modo non acerbum, sed latum etiam, si sana mens rediit, debet esse: de nullis enim, quam de vobis, infestius aut inimicius consuluerunt. Vix finem dicendi fecerat, quum ex praeparato simul omnium rerum terror oculis auribusque est obfusis. Exercitus, qui corona concionem circumdederat, gladiis*

U. C. 546. ad scuta concrepuit : præconis audita vox citantis
 A. C. 206. nomina damnatorum in consilio. Nudi in medium
 Duces se- protrahebantur : et simul omnis adparatus supplicii
 ditionis pœ- expromebatur : deligati ad palum, virisque cæsi,
 nas dant. et securi percussi, adeo torpentibus metu, qui ad-
 erant, ut non modo ferocior vox adversus atrocita-
 tem pœnæ, sed ne gemitus quidem, exaudiretur.
 Tracti inde de medio omnes, purgatoque loco citati
 milites nominatim apud tribunos militum in verba
 P. Scipionis jurarunt, stipendiumque ad nomen sin-
 gulis persolutum est. Hunc finem exitumque se-
 ditio militum cœpta apud Sucronem habuit.

XXX. Per idem tempus ad Bætium fluvium Hanno, præfectus Magonis, missus a Gadibus, cum parva manu Afrorum, mercede Hispanos sollicitando ad quatuor millia juvenum armavit: castris deinde exutus ab L. Marcio, maxima parte militum inter tumultum captorum castrorum, quibusdam etiam in fuga amissis, palatos persequente equite, cum paucis ipse effugit. Dum hæc ad Bætium fluvium geruntur, Lælius interim, fretum in oceanum evectus, ad Carteiam classe accessit. Urbs ea in ora oceani sita est, ubi primum e faucibus angustis panditur mare. Gades, sine certamine, proditione recipiendi, ultro qui eam rem pollicerentur, in castra Romana venientibus, spes, sicut ante dictum est, fuerat: patefacta immatura proditio est, comprehensosque omnes Mago Adherbali prætori Karthaginem devehendos tradit. Adherbal, conjuratis in quinqueremem inpositis, præmissaque ea, quia tardior, quam triremis, erat, ipse cum octo triremibus modico intervallo sequitur. Jam fretum intrabat quinqueremis, quum Lælius, et ipse in quinque-

remi e portu Carteiæ, sequentibus septem triremibus, evectus, in Adherbalem ac triremes invehitur, quinqueremem satis credens deprensam rapido in freto, in adversum æstum reciprocari non posse. Pænus in re subita parumper incertus trepidavit, utrum quinqueremem sequeretur, an in hostes rostra converteret. Ipsa cunctatio facultatem detractandæ pugnæ ademit: jam enim sub ictu teli erant, et undique instabant hostes: æstus quoque arbitrium moderandi naves ademerat: neque erat navali pugna similis: quippe ubi nihil voluntarium, nihil artis aut consilii esset. Una natura freti, æstusque totius certaminis potens, suis, alienis navibus nequidquam remigio in contrarium tendentes invehebat, ut fugientem navem videres retro vortice intortam victoribus inlatam; et sequentem, si in contrarium tractum incidisset maris, fugientis modo sese avertentem. Jam in ipsa pugna hæc, quum infesto rostro peteret hostium navem, obliqua ipsa ictum alterius rostri accipiebat: illa, quum transversa objiceretur hosti, repente intorta in proram circumagebatur. Quum inter triremes, fortuna regente, anceps prælium misceretur, quinquere mis Romana, seu pondere tenacior, seu pluribus remorum ordinibus scindentibus vortices, quum facilius regeretur, duas triremes subpressit, unius prælata inpetu lateris alterius remos detersit: ceterasque, quas indepta esset, mulcasset, ni cum reliquis quinque navibus Adherbal velis in Africam transmisisset.

U. C. 546.
A. C. 206.
Adherbalis
et Lælii
pugna in
ipso freto.

XXXI. Lælius, victor Carteiam revectus, auditis, quæ acta Gadibus erant, patefactam proditio-
nem, conjuratosque missos Karthaginem, spem ad
irritum redactam, qua veissent, nunciis ad L. Mar-

B. C. 546. cium inmissis, nisi si terere frustra tempus sedendo ad
 A. C. 206. Gades vellent, redeundum ad imperatorem esse, ad-
 sentiente Marcio, paucos post dies ambo Karthagi-
 nem rediere. Ad quorum discessum non respiravit
 modo Mago, quum terra marique ancipiti metu ur-
 geretur; sed etiam, audita rebellionem Ilergetum,
 spem recuperandæ Hispaniæ nactus, nuncios Kar-
 thaginem ad senatum mittit; qui, simul seditionem
 civilem in castris Romanis, simul defectionem so-
 ciorum in majus verbis extollentes, hortarentur, ut
 auxilia mitterent, quibus traditum a patribus impe-
 rium Hispaniæ repeti posset. Mandonius et Indi-
 bilis, in fines regressi, paullisper, dum, quidnam de
 seditione statueretur, scirent, suspensi quieverunt;
 si civium errori ignosceretur, non diffidentes sibi
 quoque ignosci posse: postquam vulgata est atrocitas
 supplicii, suam quoque noxam pari pœna æsti-
 matam rati, vocatis rursus ad arma popularibus,
 contractisque, quæ ante habuerant, auxiliis, in Se-
 detanum agrum, ubi principio defectionis stativa
 habuerant, cum viginti millibus peditum, duobus
 millibus equitum et quingentis transcenderunt.

Mando-
 nius et
 Indibilis
 copias
 contra-
 hunt.

Oratio Sci-
 pionis ad
 milites.

XXXII. Scipio, quum fide solvendi pariter om-
 nibus noxiis innoxisque stipendii, tum vultu ac ser-
 mone in omnes placato, facile reconciliatis militum
 animis, priusquam castra ab Karthagine moveret,
 concione advocata, multis verbis in perfidiam rebel-
 lantium regulorum invecutus, *nequaquam eodem animo
 se ire professus est ad vindicandum id scelus, quo ci-
 vilem errorem nuper sanaverit. Tum se, haud secus
 quam viscera secantem sua, cum gemitu et lacrimis
 triginta hominum capitibus expiasset octo millium seu
 imprudentiam, seu noxam: nunc lato et erecto animo*

ad eadem Ilergetum ire. Non enim eos, neque natos ^{U. C. 546.}
 in eadem terra, nec ulla secum societate junctos esse: ^{A. C. 206.}
 eam, quæ sola fuerit, fidei atque amicitiae ipsos per
 scelus rupisse. In exercitu suo se, præterquam quod
 omnes cives, aut socios Latinique nominis videat, etiam
 eo moveri, quod nemo fere sit miles, qui non aut a
 patruo suo Cn. Scipione, qui primus Romani nominis
 in eam provinciam venerit, aut a patre consule, aut a
 se sit ex Italia advectus. Scipionum nomini auspiciis-
 que omnes aduetos, quos secum in patriam ad meritum
 triumphum deducere velit: quos consulatum petenti,
 velut si omnium communis agatur honos, adfuturos
 speret. Quod ad expeditionem adlineat, quæ instet,
 inmemorem esse rerum suarum gestarum, qui id bellum
 ducat. Magonis, Hercule, sibi, qui extra orbem ter-
 rarum in circumfusam oceano insulam cum paucis per-
 fugerit navibus, majorem curam esse, quam Ilergetum:
 quippe illic et ducem Karthaginiensem, et quan-
 tumcumque Punicum præsidium esse; hic latrones, la-
 tronumque duces: quibus ut ad populandos finitimorum
 agros, tectaque urenda, et rapienda pecora aliqua vis
 sit, ita in acie ac signis conlatis nullam esse: magis
 velocitate ad fugam, quam armis fretos, pugnaturos
 esse. Itaque non, quod ullum inde periculum, aut
 semen majoris belli videat, ideo se, priusquam provin-
 cia decedat, obprimendos Ilergetes durisse: sed pri-
 mum, ne impunita tam scelerata defectio esset: deinde,
 ne quis in provincia, simul virtute tanta et felicitate
 perdomita, relictus hostis dici posset. Proinde Deis
 bene jurantibus sequerentur, non tam ad bellum geren-
 dum, (neque enim cum pari hoste certamen esse) quam
 ad expetendas ab hominibus scelestis penas.

XXXIII. Ab hac oratione dimissos ad iter se

U. C. 546. comparare in diem posterum jubet, profectusque
 A. C. 206. decimis castris pervenit ad Iberum flumen. Inde, superato amni, die quarto in conspectu hostium posuit castra. Campus ante montibus circa septus erat: in eam vallem Scipio quum pecora, rapta pleraque ex hostium agris, propelli ad irritandam feritatem barbarorum jussisset, velites subsidio misit: a quibus ubi per procurationem commissa pugna esset, Lælium cum equitatu inpetum ex occulto facere jubet. Mons opportune prominens equitum insidias texit: nec ulla mora pugnae facta est. Hispani in conspecta procul pecora, velites in Hispanos præda occupatos incurrere. Primo missilibus territare: deinde, emissis levibus telis, quæ irritare magis, quam decernere, pugnam poterant, gladios nudant, et conlato pede res cœpta geri est: ancepsque pedestre certamen erat, nisi equites supervenissent: neque ex adverso tantum inlati obvios obtrivere, sed circumvecti etiam quidam per infima clivi ab tergo se, ut plerosque intercluderent, objecerunt: majorque cædes fuit, quam quantam edere levia per excursiones prælia solent. Ira magis accensa adverso prælio barbaris est, quam in minuti animi: itaque, ne percussi viderentur, prima luce postero die in aciem processere. Non capiebat omnes copias angusta, sicut ante dictum est, vallis: duæ ferme peditum partes, omnis equitatus in aciem descendit: quod reliquum peditum erat, obliquo constituerunt colle. Scipio, pro se esse loci angustias ratus, et quod in arto pugna Romano aptior, quam Hispano militi, futura videbatur, et quod in eum locum detracta hostium acies esset, qui non omnem multitudinem eorum caperet, novo etiam

consilio adjecit animum : equitem nec se posse circumdare cornibus in tam angusto spatio ; et hosti, quem cum peditibus eduxisset, inutilem fore. Itaque imperat Lælio, ut per colles quam occultissimo itinere circumducatur equites, segregetque, quantum possit, equestrem a pedestri pugnam. Ipse omnia signa peditum in hostes vertit : quatuor cohortes in fronte statuit, quia latius pandere aciem non poterat. Moram pugnandi nullam fecit, ut ipso certamine averteret ab conspectu transeuntium per colles equitum : neque ante circumductos sentire, quam tumultum equestris pugnae ab tergo acceperet. Ita duo praelia erant : duae peditum acies, duo equitatus per longitudinem campi (quia misceri ex genere utroque praelium angustiae non patiebantur) pugnabant. Hispanorum quum neque pedes equiti, nec eques pediti auxilio esset, pedes fiducia equitis temere commissus campo caederetur, eques circumventus nec peditem a fronte, (jam enim stratae pedestres copiae erant) nec ab tergo equitem sustineret, et ipsi, quum diu in orbem sese stantibus equis defendissent, ad unum omnes caesi sunt : nec quisquam peditum equitumque superfuit, qui in valle pugnauerunt. Tertia pars, quae in colle ad spectaculum magis tutum, quam ad partem pugnae capesendam, steterat, et locum et tempus ad fugiendum habuit : inter eos et reguli ipsi fugerunt ; priusquam tota circumveniretur acies, inter tumultum elapsi.

XXXIV. Castra eodem die Hispanorum, praeter reliquam praedam, cum tribus ferme millibus hominum capiuntur. Romani sociique ad mille ducenti eo praelio ceciderunt : vulnerata amplius tria millia

U. C. 546. hominum : minus cruenta victoria fuisset, si paten-
 A. C. 206. tiore campo, et ad fugam capessendam facili foret
 pugnatum. Indibilis, abjectis belli consiliis, nihil
 tutius in afflictis rebus experta fide et clementia
 Scipionis ratus, Mandonium fratrem ad eum mittit :
 qui, advolutus genibus, *fatalem rabiem temporis ejus*
 accusat, *quum velut contagione quadam pestifera, non*
Hergetes modo et Lacetani, sed castra quoque Romana
insanierint. Suam quidem et fratris et reliquorum
popularium eam conditionem esse, ut aut, si ita videatur,
reddant spiritum P. Scipioni, ab eodem illo ac-
ceptum : aut servati bis uni debitam vitam pro eo in
perpetuum devoveant. Antea in causa sua fiduciam
sibi fuisse, nondum experta clementia ejus : nunc con-
tra, nullam in causa, omnem in misericordia victoris
spem positam habere. Mos vetustus erat Romanis,
 cum quo nec fœdere, nec æquis legibus jungeretur
 amicitia, non prius imperio in eum tamquam pacatum
 uti, quam omnia divina humanaque dedidisset,
 obsides accepti, arma adempta, præsidia urbibus in-
 posita forent. Scipio, multis invecus in præsentem
 Mandonium absentemque Indibilem verbis, *illos qui-*
dem merito perisse ipsorum maleficio, ait : victuros suo
atque populi Romani beneficio. Ceterum, se neque
arma iis adempturum, (quippe ea pignora timentium
rebellionem esse, se libera arma relinquere, solutosque
metu animos) neque se in obsides innoxios ; sed in ip-
sos, si defecerint, saviturum : nec ab inermi, sed ab
armato hoste, pœnas expetiturum. Utramque fortu-
nam expertis permittere sese, utrum propitios, an ira-
tos, habere Romanos mallent. Ita dimissus Mando-
 nius ; pecunia tantummodo imperata, ex qua sti-
 pendium militi præstari posset : ipse, Marcio in ul-

Mando-
 nius ad
 Scipio-
 nem sup-
 plex ve-
 nit.

Ignoscit
 ei et fratri
 Scipio.

feriorem Hispaniam præmisso, Silano Tarraconem U. C. 546.
 renisso, paucos moratus dies, dum imperatam pe- A. C. 206.
 cuniam Ilergetes pernumerarent, cum expeditis Mar-
 cium jam adpropinquantem oceano adsequitur.

XXXV. Inchoata res jam ante de Masinissa aliis
 atque aliis de causis dilata erat, quod Numida cum
 ipso utique congredi Scipione volebat, atque ejus
 dextra fidem sancire: ea tum itineris tam longi ac
 tam devii causa Scipioni fuit. Masinissa quum Masinissæ
 et Scipio-
 nis conlo-
 quium.
 Gadibus esset, certior adventare eum a Marcio fac-
 tus, caussando conrumpi equos inclusos in insula,
 penuriamque omnium rerum et facere ceteris, et
 ipsos sentire, ad hoc equitem marcescere desidia,
 Magonem perpulit, ut se trajicere in continentem
 ad depopulandos proximos Hispaniæ agros patere-
 tur. Transgressus tres principes Numidarum præ-
 mittit, ad tempus locumque conloquio statuendum;
 duos pro obsidibus retineri a Scipione jubet: re-
 misso tertio, qui, quo jussus erat, adduceret Masi-
 nissam, cum paucis in conloquium venerunt. Ce-
 perat jam ante Numidam ex fama rerum gestarum
 admiratio viri: substitueratque animo speciem quo-
 que corporis amplam ac magnificam: ceterum ma-
 jor præsentis veneratio cepit; et, præterquam quod
 suapte natura multa majestas inerat, adornabat pro-
 missa cæsaries, habitusque corporis non cultus mun-
 ditiis, sed virilis vere ac militaris, et ætas in medio
 virium robore; quod plenius nitidiusque ex morbo
 velut renovatus flos juventæ faciebat. Prope adto-
 nitus ipso congressu Numida, *gratias de fratris filio
 remisso agit. Ex eo tempore, adfirmat, eam se quæ-
 sisse occasionem, quam tandem oblatam Deum immor-
 talium beneficio non omiserit. Cupere se illi populo-*

U. C. 546. *que Romano operam navare, ita ut nemo unus exter-*
 A. C. 206. *nus magis enise adjuverit rem Romanam. Id se, etiamsi*
jam pridem vellet, minus præstare in Hispania, aliena
atque ignota terra, potuisse: in qua autem genitus
educatusque in spem paterni regni esset, facile præsta-
turum. Siquidem eundem Scipionem ducem in Afri-
cam mittant Romani, satis sperare perbrevis ævi Kar-
thaginem esse. Lætus eum Scipio vidit audivitque;
quum caput rerum in omni hostium equitatu Masi-
nissam fuisse sciret, et ipse juvenis specimen animi
præ se ferret. Fide data acceptaque, profectus retro
Tarraconem est. Masinissa permissu Romanorum,
ne sine caussa trajecisse in continentem videretur,
populatus proximos agros Gades rediit.

Mago ju-
 bctur in
 Italiam
 ire.

XXXVI. Magoni, desperatis in Hispania rebus,
 in quarum spem seditio primum militaris, deinde
 defectio Indibilis animos ejus sustulerant, paranti
 trajicere in Africam, nunciatum ab Karthagine est,
 jubere senatum, ut classem, quam Gadibus haberet,
 in Italiam trajiceret: conducta ibi Gallorum ac
 Ligurum quanta maxima posset juventute, conjun-
 geret se Hannibali: neu senescere bellum, maximo
 inpetu, majore fortuna cœptum, sineret. Ad eam
 rem et a Karthagine pecunia Magoni advecta est:
 et ipse, quantam potuit, a Gaditanis exegit, non
 ærario modo eorum, sed etiam templis spoliatis, et
 privatim omnibus coactis aurum argentumque in
 publicum conferre. Quum præterveheretur Hispa-
 niæ oram, haud procul Karthagine Nova expositis
 in terram militibus, proximos depopulatus agros,
 inde ad urbem classem adpulit: ibi quum interdiu
 milites in navibus tenuisset, nocte in litus expositos
 ad partem eam muri, qua capta Karthago ab Ro-

Carthagi-
 nem No-
 vam frus-
 tra tentat.

manis fuerat, ducit: nec præsidio satis valido urbem teneri ratus, et aliquos oppidanorum ad spem novandi res aliquid moturos. Ceterum nuncii ex agris trepidi simul populationem agrestiumque fugam et hostium adventum adtulerant: et visa interdiu classis erat, nec sine causa electam ante urbem stationem adparebat: itaque instructi armatique intra portam, ad stagnum ac mare versam, continebantur. Ubi effusi hostes, mixta inter milites navalis turba, ad muros tumultu majore, quam vi, subierunt, patefacta repente porta, Romani cum clamore erumpunt: turbatosque hostes, et ad primum incursum conjectumque telorum aversos, usque ad litus cum multa cæde persequuntur: nec, nisi naves litori adpulsæ trepidos accepissent, superfuisset pugnae aut fugae quisquam. In ipsis quoque trepidatum navibus est, dum, ne hostes cum suis simul inrumperent, trahunt scalas, orasque et ancoras, ne in moliendo mora esset, præcidunt: multique adnantes navibus, incerto præ tenebris, quid aut peterent aut vitarent, fœde interierunt. Postero die quum classis inde retro ad oceanum, unde venerat, fugisset, ad octingenti homines cæsi inter murum litusque, et ad duo millia armorum inventa.

XXXVII. Mago, quum Gades repetisset, exclusus inde, ad Cimbim (haud procul a Gadibus is locus abest) classe adpulsa, mittendis legatis, querendoque, quod portæ sibi socio atque amico clausæ forent, purgantibus iis, multitudinis concursu factum, infestæ ob direpta quædam abs conscendentibus naves militibus, ad conloquium suffetes eorum, qui summus Pœnis est magistratus, cum quæstore elicit, laceratosque verberibus cruci adâgi jussit:

U. C. 546.

A. C. 206.

U. C. 546. inde navibus ad Pityusam insulam, centum millia
 A. C. 206. ferme a continenti, (Pœni tum eam incolebant) tra-
 jecit: itaque classis bona cum pace accepta est,
 nec commeatus modo benigne præbiti, sed in sup-
 plementum classis juvenus armaque data: quorum
 fiducia Pœnus in Baliares insulas (quingenta
 inde millia absunt) transmisit. Duæ sunt Baliares
 insulæ, major altera atque opulentior armis viris-
 que: et portum habet, ubi commode hibernaturum
 se (et jam extremum autumnus erat) credebat: cete-
 rum, haud secus quam si Romani eam insulam in-
 colerent, hostiliter classi obcursum est. Fundis ut
 nunc plurimum, ita tunc solo eo telo utebantur:
 nec quisquam alterius gentis unus tantum ea arte,
 quantum inter alios omnes Baliares excellunt: ita-
 que tanta vis lapidum creberrimæ grandinis modo
 in propinquantem jam terræ classem effusa est, ut,
 intrare portum non ausi, averterent in altum naves.
 In minorem inde Baliarium insulam trajecerunt,
 fertilem agro; viris, armis haud æque validam.
 Itaque egressi navibus supra portum loco munito
 castra locant: ac, sine certamine urbe agroque po-
 titi, duobus millibus auxiliarium inde conscriptis,
 missisque Karthaginem, ad hibernandum naves sub-
 duxerunt. Post Magonis ab oceani ora discessum,
 Gaditani Romanis deduntur.

Transmit-
 tit in Ba-
 liares in-
 sulas.

Minore
 potitur.

Scipio Ro-
 mam re-
 dit.

XXXVIII. Hæc in Hispania P. Scipionis ductu
 auspicioque gesta. Ipse, L. Lentulo et L. Manlio
 Acidino provincia tradita, decem navibus Romam
 rediit: et, senatu extra urbem dato in æde Bellonæ,
 quas res in Hispania gessisset, disseruit: quoties
 signis conlatis dimicasset, quot oppida ex hostibus
 vi cepisset, quas gentes in ditionem populi Romani

redegisset: *adversus quatuor se imperatores, quatuor* U. C. 546.
victores exercitus in Hispaniam isse: neminem Kar- A. C. 206.
thaginiensem in iis terris reliquisse. Ob has res
gestas magis tentata est triumphi spes, quam petita
pertinaciter; quia neminem ad eam diem trium-
phasse, qui sine magistratu res gessisset, constabat.
Senatu misso, urbem est ingressus, argentique præ
se in ærarium tulit quatuordecim millia pondo tre-
centa quadraginta duo, et signati argenti magnum
numerum. Comitia inde creandis consulibus habuit
L. Veturius Philo: centuriæque omnes ingenti fa-
vore P. Scipionem consulem dixerunt: collega ad-
ditur ei P. Licinius Crassus pontifex maximus. Ce-
terum, comitia majore, quam ulla per id bellum,
celebrata frequentia, proditum memoriæ est. Con-
venerant undique non suffragandi modo, sed etiam
spectandi caussa P. Scipionis: concurrebantque et
domum frequentes, et in Capitolium ad inmolantem
eum, quum centum bubus votis in Hispania Jovi
sacrificaret: spondebantque animis, sicut C. Luta-
tius superius bellum Punicum finisset, ita id, quod
instaret, P. Cornelium finiturum; atque, ut Hispania
omni Pœnos expulisset, sic Italia pulsurum
esse: Africamque ei, perinde ac debellatum in Ita-
lia foret, provinciam destinabant. Prætoria inde
comitia habita: creati duo, qui tum ædiles plebis
erant, Sp. Lucretius et Cn. Octavius, et ex privatis
Cn. Servilius Cæpio et L. Æmilius Pappus. Quar- U. C. 547.
todecimo anno Punici belli P. Cornelius Scipio et A. C. 205.
P. Licinius Crassus ut consulatum inierunt, nomi-
natae consulibus provinciæ sunt, Sicilia Scipioni ex-
tra sortem, concedente collega, quia sacrorum cura
pontificem maximum in Italia retinebat; Bruttia

U. C. 547. Crasso. Tum prætoris provinciæ in sortem con-
 A. C. 205. jectæ: urbana Cn. Servilio obtigit, Ariminum (ita Galliam adpellabant) Sp. Lucretio, Sicilia L. Æmilio, Cn. Octavio Sardinia. Senatus in Capitolio habitus: ibi, referente P. Scipione, senatusconsultum factum est, ut, quos ludos inter seditionem militarem in Hispania vovisset, ex ea pecunia, quam ipse in ærarium detulisset, faceret.

Legatorum Saguntinorum in senatu oratio.

XXXIX. Tum Saguntinorum legatos in senatum introduxit. Ex eis maximus natu: *Etsi nihil ultra malorum est, Patres conscripti, quam quod passimus, ut ad ultimum fidem vobis præstaremus; tamen ea vestra merita, imperatorumque vestrorum erga nos fuerunt, ut nos cladum nostrarum non pœniteat. Bellum propter nos suscepistis: susceptum quartumdecimum annum tam pertinaciter geritis, ut sæpe ad ultimum discrimen et ipsi veneritis, et populum Karthaginensem adduxeritis. Quum in Italia tam atrox bellum et Hannibalem hostem haberetis, consulem cum exercitu in Hispaniam, velut ad conligendas reliquias naufragii nostri, misistis. P. et Cn. Cornelii, ex quo in provinciam venerunt, nullo tempore destiterunt, quæ nobis secunda, quæque adversa hostibus nostris essent, facere. Jam omnium primum oppidum nobis restituerunt: per omnem Hispaniam cives nostros venundatos, dimissis, qui conquirerent, ex servitute in libertatem restituerunt. Quum jam prope esset, ut optabilem ex miserrima fortunam haberemus; P. et Cn. Cornelii imperatores vestri luctuosius nobis quoque, quam vobis, perierunt. Tum vero ad hoc retracti ex distantibus locis in sedem antiquam videbamur, ut iterum periremus, et alterum excidium patriæ videremus: nec ad perniciem nostram Karthaginensi utique aut*

duce aut exercitu opus esse; ab Turdulis nos veterrimis U. C. 547.
hostibus, qui prioris quoque excidii caussa nobis fue- A. C. 205.
rant, extinguere posse: quum ex insperato repente mi-
sistis nobis P. hunc Scipionem: quem, fortunatissimi
omnium Saguntinorum videmur, quia consulem decla-
ratum videmus, ac vidisse nos civibus nostris renuncia-
turi sumus, spem omnem salutemque nostram: qui,
quum plurimas hostium vestrorum cepisset in Hispania
urbes, ubique ex captorum numero excretos Saguntinos
in patriam remisit; postremo Turdetaniam, adeo in-
festam nobis, ut illa gente incolumi stare Saguntum
non posset, ita bello adflixit, ut non modo nobis, (absit
verbo invidia) ne posteris quidem timenda nostris esset.
Deletam urbem cernimus eorum, quorum in gratiam
Saguntum deleverat Hannibal: vectigal ex agro eorum
capimus, quod nobis non fructu jucundius est, quam
ultione. Ob hæc, quibus majora neque sperare, neque
optare ab Diis immortalibus poteramus, gratias actum
nos decem legatos Saguntinus senatus populusque ad
vos misit: simul gratulatum, quod ita res hos annos in
Hispania atque Italia gessistis, ut Hispaniam non
Ibero amne tenus, sed qua terrarum ultimas finit ocea-
nus, domitam armis habeatis: Italiæ, nisi quatenus
vallum castrorum cingit, nihil reliqueritis Pæno. Jovi
optimo maximo, præsidi Capitoliæ arcis, non grates
tantum ob hæc agere jussi sumus, sed donum hoc
etiam, si vos permetteretis, coronam auream in Capito-
lium victoriæ ergo ferre. Id uti permittatis, quæsumus:
utique, si vobis ita videtur, quæ nobis imperato-
res vestri commoda tribuerunt, ea rata atque perpetua
auctoritate vestra faciatis. Senatus legatis Sagunti-
nis respondit, Et dirutum et restitutum Saguntum
fidei socialis utrimque servatæ documentum omnibus

U. C. 547. *gentibus fore. Suos imperatores recte, et ordine, et ex*
 A. C. 205. *voluntate senatus fecisse, quod Saguntum restituerint,*
civesque Saguntinos servitio exemerint: quæque alia
eis benigne fecerint, ea senatum ita voluisse fieri: do-
num permittere, ut in Capitolio ponerent. Locus
inde lautiaque legatis præberi jussa, et muneris ergo
in singulos dari ne minus dena millia æris. Lega-
tiones deinde ceteræ in senatum introductæ, audi-
tæque. Et petentibus Saguntinis, ut, quatenus tuto
possent, Italiam spectatum irent, duces dati, literæ-
que per oppida missæ, ut Hispanos comiter accipe-
rent. Tum de republica, de exercitibus scribendis,
de provinciis relatum.

Scipio A-
 fricam
 provin-
 ciam des-
 tinat sibi.

XL. Quum Africam novam provinciam extra
 sortem P. Scipioni destinari homines fama ferrent,
 et ipse, nulla jam modica gloria contentus, non ad
 gerendum modo bellum, sed ad finiendum, diceret se
 consulem declaratum esse: neque aliter id fieri posse,
 quam si ipse in Africam exercitum transportaret,
 et, acturum se id per populum, aperte ferret, si se-
 natus adversaretur, id consilium haudquaquam pri-
 moribus Patrum cum placeret, ceterique per metum
 aut ambitionem mussarent; Q. Fabius Maximus ro-
 gatus sententiam, Scio, inquit, *multis vestrum vide-*
ri, Patres conscripti, rem actam hodierno die agi, et
frustra habiturum orationem, qui, tamquam de integra
re, de Africa provincia sententiam dixerit. Ego au-
tem primum illud ignoro, quemadmodum jam certa
provincia Africa consulis viri fortis ac strenui sit,
quam nec senatus censuit in hunc annum provinciam
esse, nec populus jussit: deinde, si est, consulem pec-
care arbitror, qui, de re transacta simulando se referre,
senatum ludibrio habet, non senatorem modo, qui, de

Adversa-
 tur ei Fa-
 bius.

quo consulitur, suo loco dicit sententiam. Atque ego ^{U. C. 547.}
certum habeo, dissentienti mihi ab ista festinatione in ^{A. C. 205.}
Africam trajiciendi, duarum rerum subeundum opinio-
nem esse; unius, insitæ ingenio meo cunctationis; quam
metum pigritiamque homines adolescentes sane adpel-
lent, dum ne pœniteat, adhuc aliorum speciosiora primo
adspectu consilia semper visa, mea usu meliora: alte-
rius, obtreccionis atque invidiæ adversus crescentem in
dies gloriam fortissimi consulis. A qua suspicione si
me neque vita acta et mores mei, neque dictatura cum
quinque consulatibus, tantumque gloriæ belli domique
partæ vindicat, ut propius fastidium ejus sim, quam
desiderium; ætas saltem liberet: quæ enim mihi æmu-
latio cum eo esse potest, qui ne filio quidem meo æqua-
lis sit? Me dictatorem, quum vigerem adhuc viribus, et
in cursu maximarum rerum essem, recusantem nemo
aut in senatu, aut ad populum audivit, quo minus in-
sectanti me magistro equitum, quod fando numquam
ante auditum erat, imperium mecum æquaretur. Re-
bus, quam verbis, adsequi malui, ut, qui aliorum judicio
mihi comparatus erat, sua mox confessione me sibi præ-
ferret: nedum ego, perfunctus honoribus, certamina
mihi atque æmulationes cum adolescente florentissimo
proponam: videlicet ut mihi jam vivendo, non solum
rei gerendis fesso, si huic negata fuerit, Africa pro-
vincia decernatur. Cum ea gloria, quæ parta est, vi-
vendum atque moriendum est. Vincere ego prohibui
Hannibalem, ut a vobis, quorum vigent nunc vires,
etiam vinci posset.

XLI. Illud te mihi ignoscere, P. Corneli, æquum
erit, si, quum in me ipso numquam pluris famam ho-
minum, quam rempublicam, fecerim, ne tuam quidem
gloriam bono publico præponam: quamquam, si aut

U. C. 547. bellum nullum in Italia, aut is hostis esset, ex quo victo
 A. C. 205. nihil gloriae quæreretur, qui te in Italia retineret, etsi
 id bono publico faceret, simul cum bello materiam
 gloriae tuæ isse ereptum videri posset. Quum vero
 Hannibal hostis incolumi exercitu quartumdecimum an-
 num Italiam obsideat, pænitebit te, P. Corneli, gloriae
 tuæ, si hostem eum, qui tot funerum, tot cladum nobis
 caussa fuit, tu consul Italia expuleris, et, sicut penes
 C. Lutatium prioris Punici perpetrati belli titulus fuit,
 ita penes te hujus fuerit? Nisi aut Hamilcar Hanni-
 bali dux est præferendus, aut illud bellum huic, aut
 victoria illa major clariorque, quam hæc, (modo con-
 tingat, ut te consule vincamus) futura est. Ab Drepani-
 nis atque Eryce detraxisse Hamilcarem, quam Italia
 expulisse Pænos atque Hannibalem, malis? Ne tu qui-
 dem, etsi magis partam, quam speratam, gloriam am-
 plecteris, Hispania potius, quam Italia, bello liberata
 gloriatus fueris. Nondum is est Hannibal, quem non
 magis timuisse videatur, quam contempsisse, qui aliud
 bellum maluerit. Quin igitur ad hoc adcingeris, nec
 per istos circuitus, ut, quum in Africam trajeceris, se-
 cuturum te illuc Hannibalem speres potius, quam recto
 hinc itinere, ubi Hannibal est, eo bellum intendis?
 Egregiam istam palmam belli Punici patrati petis?
 Hoc et natura prius est, tua quum defenderis, aliena
 ire obpugnatum. Pax ante in Italia, quam bellum in
 Africa sit: et nobis prius decedat timor, quam ultro
 aliis inferatur. Si utrumque tuo ductu auspicioque
 fieri potest, Hannibale hic victo, illic Karthaginem ex-
 pugna: si altera utra victoria novis consulibus relinquen-
 da est; prior quum major clariorque, tum caussa etiam
 insequentis fuerit. Nam nunc quidem præterquam quod
 et in Italia et in Africa duos diversos exercitus alere

ararium non potest: præterquam quod, unde classes tueamur, unde com meatibus præbendis subficiamus, nihil reliqui est; quid? periculi tandem, quantum aedeatur, quem fallit? P. Licinius in Italia, P. Scipio bellum in Africa geret. Quid? si (quod omnes Dii omen avertant, et dicere etiam reformidat animus, sed, quæ acciderunt, accidere possunt) et victor Hannibal ire ad urbem pergat; tum demum te consulcm ex Africa, sicut Q. Fulvium a Capua, arcessemus? Quid? quod in Africa quoque Mars communis belli erit? Domus tibi tua, pater patruusque, intra triginta dies cum exercitibus cæsi, documento sint; ubi per aliquot annos, maximis rebus terra marique gerendis, amplissimum nomen apud exteras gentes populi Romani vestraque familiæ fecerant. Dies me deficiat, si reges imperatoresque, temere in hostium terras transgressos cum maximis cladibus suis exercituumque suorum, numerare velim. Athenienses, prudentissima civitas, bello domi relicto, auctore æque inpigro ac nobili juvene, magna classe in Siciliam transmissa, una navali pugna florentem rempublicam suam in perpetuum adfixerunt.

XLII. *Externa et nimis antiqua repeto. Africa eadem ista et M. Atilius, insigne utriusque fortunæ exemplum, nobis documento sint. Næ tibi, P. Corneli, quum ex alto Africam conspexeris, ludus et jocus fuisse Hispaniæ tuæ videbuntur. Quid enim simile? pacato mari præter oram Italiæ Galliæque rectus Emporias, in urbem sociorum, classem adpulisti: expositos milites, per tutissima omnia, ad socios et amicos populi Romani Tarraconem duxisti: ab Tarracone deinde iter per præsidia Romana: circa Iberum exercitus patris patruisque tui, post amissos imperatores ferociores et calamitate ipsa: dux tumultuarius quidem ille L.*

U. C. 547.

A. C. 205.

U. C. 547. *Marcins, et militari suffragio ad tempus lectus, ceterum, si nobilitas ac justî honores adornarent, claris imperatoribus qualibet arte belli par: obpugnata per summum otium Karthago, nullo trium Punicorum exercituum socios defendente. Cetera, neque ea elevo, nullo tamen modo Africo bello comparanda; ubi non portus ullus classi nostræ apertus, non ager pacatus, non civitas sociâ, non rex amicus, non consistendi usquam locus, non procedendi. Quocumque circumspexeris, hostilia omnia atque infesta. An Syphaci Numidisque credis? satis sit semel creditum. Non semper temeritas est felix: et fraus fidem in parvis sibi præstruit, ut, quum operæ pretium sit, cum mercede magna fullat. Non hostes patrem patruumque tuum armis prius, quam Celtiberi socii fraude, circumvenerunt: nec tibi ipsi a Magone et Hasdrubale, hostium ducibus, quantum ab Indibili et Mandonio in fidem acceptis, periculi fuit. Numidis tu credere potes, defectionem militum tuorum expertus? Et Syphax et Masinissa se, quam Karthaginienses, malunt potentes in Africa esse: Karthaginienses, quam quemquam alium. Nunc illos æmulatio inter sese et omnes causæ certaminum acunt, quia procul externus metus est. Ostende Romana arma, exercitum alienigenam; velut ad commune restinguendum incendium concurrent. Aliter videm illi Karthaginienses Hispaniam defenderunt: aliter mœnia patriæ, templâ Deûm, aras et focos, defendent; quum euntes in prælium parida prosequetur conjux, et parvi liberi obscursabunt. Quid porro? Si satis confisi Karthaginienses consensu Africæ, fide sociorum regum, mœnibus suis, quum tuo exercitusque tui præsidio nudatam Italiam viderint, ipsi ultro novum exercitum in Italiam aut ex Africa miserint; aut Magonem, quem, a Ba-*

liaribus classe transmissa, jam præter oram Ligurum U. C. 547.
 Alpinorum vectari constat, Hannibali se conjungere A. C. 205.
 jusserint? Nempe in eodem terrore erimus, in quo nuper fuimus, quum Hasdrubal in Italiam transcendit: quem tu, qui non solum Karthaginem, sed omnem Africam, exercitu tuo es clausurus, e manibus tuis in Italiam emisisti. Victam a te diccs: eo quidem minus vellem, et id tua, non reipublicæ solum, causa, iter datum victo in Italiam esse. Patere, nos omnia, quæ prospera tibi ac populi Romani imperio evenere, tuo consilio adsignare; adversa casibus incertis belli et fortunæ delegare. Quo melior fortiorque es, eo magis talem præsidem sibi patria atque universa Italia retinet. Non potes ne ipse quidem dissimulare, ubi Hannibal sit, ibi caput atque arcem hujus belli esse: quippe qui præ te feras, eam tibi causam trajiciendi in Africam esse, ut Hannibalem eo traheris. Sive igitur hic, sive illic, cum Hannibale est tibi futura res. Utrum ergo tandem firmior eris in Africa solus, an hic, tuo collegæque tui exercitu conjuncto? ne Claudius quidem et Lælius consules tam recentis exemplo, quantum id intersit, documento sunt? Quid? Hannibalem utrum tandem extremus angulus agri Bruttii, frustra jam diu poscentem ab domo auxilia, an propinqua Karthago et tota socia Africa potentiolem armis virisque faciet? Quod istud consilium est, ibi malle decernere, ubi tuæ dimidio minores copię sint, hostium multo majores, quam ubi duobus exercitibus adversus unum, tot præliis et tam diuturna et gravi militia fessum, paguandum sit? Quam compar consilium tuum parentis tui consilio sit, reputa. Ille, consul profectus in Hispaniam, ut Hannibali ab Alpibus descendenti obcurreret, in Italiam ex provincia rediit: tu, quum Hannibal in Italia sit, relinquere Ita-

U. C. 547.
A. C. 205. *liam paras ; non quia reipublicæ id utile, sed quia tibi amplum et gloriosum censes esse : sicut quum, provincia et exercitu relicto, sine lege, sine senatusconsulto, duabus navibus populi Romani imperator fortunam publicam et majestatem imperii, quæ tum in tuo capite periclitabantur, commisisti. Ego P. Cornelium, Patres conscripti, reipublicæ nobisque, non sibi ipsi privatim creatum consulem existimo : exercitusque ad custodiam urbis atque Italiæ scriptos esse, non quos regio more per superbiam consules, quo terrarum velint, trahant.*

XLIII. Quum oratione ad tempus parata Fabius, tum auctoritate et inveterata prudentiæ fama, magnam partem senatus, et seniores maxime, movisset, pluresque consilium senis, quam animum adolescentis ferocem, laudarent ; Scipio ita locutus fertur : *Et ipse Q. Fabius principio orationis, Patres conscripti, commemoravit, in sententia sua posse obtrectationem suspectam esse. Cujus ego rei non tam ipse ausim tantum virum insimulare, quam ea suspicio, vitio orationis, an rei, haud sane purgata est. Sic enim honores suos et famam rerum gestarum extulit verbis, ad extinguendum invidiæ crimen, tamquam mihi ab infimo quoque periculum sit, ne mecum æmuletur : et non ab eo, qui, quia super ceteros excellat, quo me quoque niti non dissimulo, me sibi æquari nolit : sic senem se perfunctum honoribus, et me infra ætatem filii etiam sui posuit ; tamquam non longius, quam quantum vitæ humanæ spatium est, cupiditas gloriæ extendatur, maximaque pars ejus in memoriam ac posteritatem promineat. Maximo cuique id accidere animo certum habeo, ut se non cum præsentibus modo, sed cum omnis ævi claris viris, comparent. Equidem haud dissimulo,*

Fabio respondet Scipio.

me tuas, Q. Fabi, laudes non adsequi solum velle, sed, U. C. 547.
 (bona venia tua dixerim) si possim, etiam exsuperare. Il- A. C. 205.
 lud nec tibi in me, neu mihi in minoribus natu animi sit,
 ut nolimus, quemquam nostri similem evadere civem : id
 enim non eorum modo, quibus inviderimus, sed reipub-
 licæ, et pene omnis generis humani, detrimentum sit.
 Commemoravit, quantum essem periculi aditurus, si in
 Africam trajicerem : ut meam quoque, non solum rei-
 publicæ et exercitus, vicem videretur sollicitus. Unde
 hæc repente cura de me exorta ? quum pater patruus-
 que meus interfecti, quum duo exercitus eorum prope
 occidione occisi essent, quum amissæ Hispaniæ, quum
 quatuor exercitus Pænorum, quatuorque duces omnia
 metu armisque tenerent, quum quæsitus ad id bellum
 imperator nemo se ostenderet, præter me, nemo profi-
 teri nomen ausus esset, quum mihi quatuor et viginti
 annos nato detulisset imperium populus Romanus ; quid
 ita tum nemo ætatem meam, vim hostium, difficultatem
 belli, patris patruique recentem cladem commemora-
 bat ? Utrum major aliqua nunc in Africa calamitas
 accepta est, quam tunc in Hispania erat ? An majores
 nunc sunt exercitus in Africa, duces plures meliores-
 que, quam tunc in Hispania fuerunt ? An ætas mea
 tunc maturior bello gerendo fuit, quam nunc est ? An
 cum Karthaginensi hoste in Hispania, quam in Africa,
 bellum geri aptius est ? Facile est, post fusos fugatos-
 que quatuor exercitus Punicos, post tot urbes vi captas,
 aut metu subactas in ditionem, post perdomita omnia
 usque ad oceanum, tot regulos, tot savas gentes, post
 receptam totam Hispaniam, ita ut vestigium nullum
 belli reliquum sit, elevare meas res gestas : tam, Her-
 cule, quam, si victor ex Africa redierim, ea ipsa ele-
 vare, quæ nunc, retinendi mei causa, ut terribilia ez-

U C. 547. *dem videantur, verbis extolluntur. Negat aditum esse*
 A. C. 205. *in Africam, negat ullos patere portus. M. Atilium*
captum in Africa commemorat; tamquam M. Atilius
primo accessu ad Africam obsederit: neque re-
cordatur, illi ipsi tam infelici imperatori patuisse ta-
men portus Africae, et res egregias primo anno gessisse,
et, quantum ad Karthaginienses duces adtinet, invic-
tum ad ultimum permansisse. Nihil igitur me isto tu
exemplo terrueris: si hoc bello, non priore, si nuper,
et non annis ante quadraginta, ista clades accepta foret,
qui ego minus in Africam, Regulo capto, quam, Sci-
pionibus occisis, in Hispaniam trajicerem? Nec feli-
cious Xanthippum Lacedaemonium Karthagini, quam
me patriae meae sinerem natum esse: cresceretque mihi
ex eo ipso fiducia, quod possit in hominis unius virtute
tantum momenti esse. At etiam Athenienses audiendi
sunt, temere in Siciliam, omisso domi bello, transgressi.
Cur ergo, quoniam Graecas fabulas enarrare vacat, non
Agathoclem potius, Syracusanum regem, quum diu
Sicilia Punico bello ureretur, transgressum in hanc
eandem Africam, advertisse eo bellum, unde venerat,
refers?

XLIV. *Sed quid, ultro metum inferre hosti, et ab*
se remoto periculo alium in discrimen adducere, quale
sit, veteribus externisque exemplis admonere opus est?
Majus praesentiusve ullum exemplum esse, quam Han-
nibal, potest? Multum interest, alienos populere fines,
an tuos uri, excindi, videas: plus animi est inferenti
periculum, quam propulsanti. Ad hoc major ignota-
rum rerum est terror: bona malaque hostium ex pro-
pinqno ingressus fines adspicias. Non speraverat Han-
nibal fore, ut tot in Italia populi ad se deficerent, quot
defecerunt post Cannensem cladem; quanto minus quid-

quam in Africa Karthaginiensibus firmum ac stabile U. C. 547.
 sit, infidis sociis, gravibus ac superbis dominis? Ad A. C. 205.
 hoc nos, etiam deserti ab sociis, viribus nostris, milite
 Romano, stetimus. Karthaginensi nihil civilis roboris
 est: mercede paratos milites habent, Afros Numidas-
 que, levissima fidei mutandæ ingenia. Hic modo nihil
 moræ sit, una et trajecisse me audietis, et ardere bello
 Africam, et molientem hinc Hannibalem, et obsideri
 Karthaginem: lætiores et frequentiores ex Africa ex-
 spectate nuncios, quam ex Hispania accipiebatis. Has
 mihi spes subjicit fortuna populi Romani, Dii fæderis
 ab hoste violati testes, Syphax et Masinissa reges: quo-
 rum ego fidei ita innitar, ut bene tutus a perfidia sim.
 Multa, quæ nunc ex intervallo non adparent, bellum
 aperiet: et id est viri et ducis, non deesse fortunæ præ-
 benti se, et oblata casu flectere ad consilium. Habebo,
 Q. Fabi, parem, quem das, Hannibalem; sed illum
 potius ego traham, quam ille me retineat. In sua
 terra cogam pugnare eum, et Karthago præmium vic-
 toriæ erit, quam semirutæ Bruttiorum castella. Ne
 quid interim, dum trajicio, dum expono exercitum in
 Africa, dum castra ad Karthaginem promoveo, res-
 publica hic detrimenti capiat, quod tu, Q. Fabi, quum
 victor tota Italia volitaret Hannibal, potuisti præstare,
 hoc vide ne contumeliosum sit, concusso jam et pene
 fracto Hannibale, negare, posse P. Licinium consulem
 virum fortissimum præstare: qui, ne a sacris absit pon-
 tifex maximus, ideo in sortem tam longinquæ provinciæ
 non venit. Si, Hercule, nihilo maturius hoc, quo ego
 censeo, modo perficeretur bellum; tamen ad dignitatem
 populi Romani, famamque apud reges gentesque exter-
 nas pertinebat, non ad defendendam modo Italiam, sed
 ad inferenda etiam Africæ arma, videri nobis animam

U. C. 547. esse; nec hoc credi vulgarique, quod Hannibal ausus
 A. C. 205. sit, neminem ducem Romanorum audere; et priore
 Punico bello, tum quum de Sicilia certaretur, toties
 Africam ab nostris exercitibusque et classibus obpugna-
 tum; nunc, quum de Italia certetur, Africam pacatam
 esse. Requiescat aliquando vexata tam diu Italia:
 uratur evasteturque in vicem Africa. Castra Romana
 potius Karthaginis portis iumineant, quam nos iterum
 vallum hostium ex mœnibus nostris videamus. Africa
 sit reliqui belli sedes: illuc terror fugaque, populatio
 agrorum, defectio sociorum, ceteræ belli clades, quæ in
 nos per quatuordecim annos ingruerunt, vertantur.
 Quæ ad rempublicam pertinent, et bellum, quod instat,
 et provincias, de quibus agitur, dixisse satis est. Illa
 longa oratio, nec ad vos pertinens sit, si, quemadmodum
 Q. Fabius meas res gestas in Hispania elevavit, sic et
 ego contra gloriam ejus eludere, et meam verbis extol-
 lere velim. Neutrum faciam, Patres conscripti: et, si
 ulla alia re, modestia certe et temperando linguæ ado-
 lescentis senem vicero. Ita et vixi, et res gessi, ut taci-
 tus ea opinione, quam vestra sponte conceptam animis
 haberetis, facile contentus essem.

XLV. Minus æquis animis auditus est Scipio,
 quia vulgatum erat, si apud senatum non obtinuis-
 set, ut provincia Africa sibi decerneretur, ad po-
 pulum extemplo laturum: itaque Q. Fulvius, qui
 consul quater et censor fuerat, postulavit a consule,
 ut palam in senatu diceret, *permitteretne Patribus, ut
 de provinciis decernerent? staturusque eo esset, quod
 censuissent, an ad populum laturus?* Quum Scipio
 respondisset, se, quod e republica esset, facturum;
 tum Fulvius, *Non ego ignarus, quid responsurus fac-
 turusve esses, quæsiri, quippe quum præ te feras, ten-*

ture magis, quam consulere senatum, et, ni provinciam U. C. 547.
tibi, quam volueris, extemplo decernamus, paratam ro- A. C. 205.
gationem habeas. Itaque a vobis, tribuni plebis, pos-
tulo, inquit, ut sententiam mihi ideo non dicenti, quod,
etsi in meam sententiam discedatur, non sit ratum ha-
biturus consul, auxilio sitis. Inde altercatio orta,
quum consul negaret, æquum esse tribunos interce-
dere, quo minus suo quisque loco senator rogatus
sententiam diceret. Tribuni ita decreverunt, Si
consul senatui de provinciis permittit, stari eo, quod
senatus censuerit, placet; nec de ea re ferri ad popu-
lum patiemur: si non permittit, qui de ea re senten-
tiam recusabit dicere, auxilio erimus. Consul diem
ad conloquendum cum collega petiit. Postero die
permissum senatui est. Provinciæ ita decretæ: al- S. C. de
teri consuli Sicilia et triginta rostratæ naves, quas provinciis.
C. Servilius superiore anno habuisset: permissum-
que, ut in Africam, si id e republica esse censeret,
trajiceret: alteri Bruttii et bellum cum Hannibale,
cum eo exercitu, quem L. Veturius, aut Q. Cæci-
lius: hi et sortirentur inter se, compararentve, uter
in Brutiis duabus legionibus, quas consuli reliquis-
set, rem gereret: imperiumque in annum proroga-
retur, cui ea provincia evenisset: et ceteris, præter
consules prætoresque, qui exercitibus provinciisque
præfuturi erant, prorogata imperia. Q. Cæcilio
sorte evenit, ut cum consule in Brutiis adversus
Hannibalem bellum gereret. Ludi deinde Scipionis
magna frequentia et favore spectantium celebrati.
Legati, Delphos ad donum ex præda Hasdrubalis
portandum missi, M. Pomponius Matho et Q. Ca-
tius, tulerunt coronam auream ducentûm pondo, et
simulacra spoliorum, ex mille pondo argenti facta.

U. C. 547. Scipio, quum, ut delectum haberet, neque inpetras-
 A. C. 205. set, neque magnopere tetendisset, ut voluntarios
 ducere sibi milites liceret, tenuit: et, quia inpensæ
 negaverat reipublicæ futuram classem, ut, quæ ab
 sociis darentur ad novas fabricandas naves, accipe-
 ret. Etruriæ primum populi, pro suis quisque facul-
 tatibus, consulem adjuturos polliciti. Cærites fru-
 mentum sociis navalibus com meatumque omnis ge-
 neris; Populonienses ferrum; Tarquinienses lintea
 in vela; Volaterrani interamenta navium et frumen-
 tum; Arretini triginta millia scutorum, galeas toti-
 dem, pila, gæsa, hastas longas, millium quinquaginta
 summam pari ejusque generis numero exple-
 turos, secures, rutra, falces, alveolos, molas, quan-
 tum in quadraginta longas naves opus esset, tritici
 centum et viginti millia modiûm, et in viaticum de-
 curionibus remigibusque conlaturos: Perusini, Clu-
 sini, Rusellani abietem in fabricandas naves, et fru-
 menti magnum numerum: abiete ex publicis silvis
 est usus. Umbriæ populi, et præter hos Nursini, et
 Reatini, et Amiternini, Sabinusque ager omnis, mi-
 lites polliciti. Marsi, Peligni, Marrucinique, multi
 voluntarii nomina in classem dederunt. Camertes,
 quum æquo fœdere cum Romanis essent, cohortem
 armatarum sexcentorum hominum miserunt. Triginta
 navium carinæ, viginti quinqueres, decem quadri-
 res, quum essent positæ, ipse ita institit operi, ut
 die quadragesimo quinto, quam ex silvis detracta
 materia erat, naves instructæ armatæque in aquam
 deductæ sint.

Etruriæ
 populi Scipionem in
 ornanda
 classe ju-
 vant.

XLVI. Profectus in Siciliam est triginta navibus
 longis, voluntariorum septem ferme nullibus in na-
 ves inpositis. Et P. Licinius in Bruttios ad duos

exercitus consulares venit: ex eis eum sibi sumsit, quem L. Veturius consul habuerat. Metello, ut, quibus præfuisset legionibus, iis præesset, (facilius cum adsuetis imperio rem gesturum ratus) permisit. Et prætores diversi in provincias profecti. Et, quia pecunia ad bellum deerat, agri Campani regionem, a fossa Græca ad mare versam, vendere quæstores jussi; indicio quoque permissio, qui ager civis Campani fuisset, ut is publicus populi Romani esset: indici præmium constitutum, quantæ pecuniæ ager indicatus esset, pars decima. Et Cn. Servilio prætori urbis negotium datum, ut Campani cives, ubi cuique ex senatusconsulto liceret habitare, ibi habitarent; animadverteretque in eos, qui alibi habitarent. Eadem æstate Mago, Hamilcaris filius, ex minore Baliarium insula, ubi hibernarat, juventute lecta in classem inposita, in Italiam triginta ferme rostratis navibus et multis onerariis, duodecim millia pedum, duo ferme equitum trajecit: Genuamque, nullis præsidiis maritimam oram tutantibus, repentino adventu cepit: inde ad oram Ligurum Alpinorum, si quos ibi motus facere posset, classem adpulsit. Ingauni (Ligurum ea gens est) bellum ea tempestate gerebant cum Epanteriis montanis. Igitur Pænus, Savone oppido Alpino præda deposita, et decem longis navibus in statione ad præsidium relictis, ceteris Karthaginem missis ad tuendam maritimam oram, quia fama erat Scipionem trajecturum esse, ipse, societate cum Ingaunis, quorum gratiam malebat, composita, montanos instituit obpugnare. Et crescebat exercitus in dies, ad famam nominis ejus Gallis undique confluentibus. Ea literis cognita Sp. Læretii, ne frustra, Hasdrubale cum exercitu deleto

U. C. 547.
A. C. 205.

Mago in
Liguriam
adpellit.

U. C. 547. biennio ante, forent lætati, si par aliud inde bellum,
 A. C. 205. duce tantum mutato, oriretur, curam ingentem accenderunt Patribus. Itaque et M. Livium proconsulem ex Etruria volonum exercitum admovere Ariminum jusserunt, et Cn. Servilio prætori negotium datum, ut, si e republica censeret esse, urbanas legiones, cui imperio videretur dato, ex urbe duci juberet. M. Valerius Lævinus Arretium eas legiones duxit. Eisdem diebus naves onerarias Pœnorum ad octoginta circa Sardiniam ab Cn. Octavio, qui provinciæ præerat, captas, Cœlius frumento misso ad Hannibalem comœatuque onustas, Valerius prædam Etruscam Ligurumque montanorum captivos Karthaginem perportantes, tradit. In Brutiis nihil ferme anno eo memorabile gestum. Pestilentia incesserat pari clade in Romanos Pœnosque: nisi quod Punicum exercitum super morbum etiam fames adfœcit. Propter Junonis Laciniæ templum æstatem Hannibal egit; ibique aram condidit dedicavitque, cum ingenti rerum ab se gestarum titulo, Punicis Græcisque literis insculpto.

EPITOME LIBRI XXIX.

EX Sicilia C. Lælius in Africam a Scipione missus ingentem prædam reportavit, et mandata Masinissæ Scipioni exposuit, conquerentis, quod nondum exercitum in Africam trajecisset. Bellum in Hispania finitum, victore Romano, quod Indibilis excitaverat; ipse in acie occisus, Mandonius exposcentibus Romanis a suis deditus est. Magoni, qui in Gallia et Liguribus erat, ex Africa et militum ampla manus missa, et pecuniæ, quibus auxilia conduceret: præceptumque, ut se Hannibali jungeret. Scipio a Syracusis in Bruttios trajecit, et Locros, pulso Punico præsidio, fugatoque Hannibale, recepit. Pax cum Philippo facta est. Idæa mater deportata est Romam a Pessinuunte oppido Phrygiæ, carmine in libris Sityllinis invento, pelli Italia alienigenam hostem posse, si mater Idæa deportata Romam esset: tradita autem est Romanis per Attalum regem Asiæ. Lapis erat, quem matrem Deum incolæ dicebant. Excepit P. Scipio Nasica Cn. filius, ejus, qui in Hispania perierat, vir optimus a senatu judicatus, adolescens nondum quæstorius, quoniam ita responsum jubebat: ut numen id ab optimo viro reciperetur consecrareturque. Locrenses legatos Romam miserunt, qui de inpotentia Q. Pleminii legati quærentur, quod pecuniam Proserpinæ abstulerat, et liberos eorum ac conjuges stupraverat. Pleminius, in catenis Romam perductus, in carcere mortuus est. Quum falsus rumor de P. Scipione proconsule, qui in Sicilia

erat, in urbem perlatus esset, tamquam is luxuriaretur; missis ob hoc legatis a senatu, qui explorarent, an ea vera essent, purgatus infamia Scipio in Africam trajecit, senatus permisso. Syphax, accepta in matrimonium filia Hasdrubalis Gisgonis, amicitiae, quam cum Scipione ipse junxerat, renunciavit. Masinissa, rex Massylorum, dum pro Karthaginiensibus in Hispania militat, amisso patre Gala, de regno exciderat: quo per bellum saepe repetito, aliquot praeliis a Syphace rege Numidarum victus, in totum privatus est: et cum ducentis equitibus exsul Scipioni se junxit: et cum eo primo statim bello Hannonem Hamilcaris filium cum ampla manu interemit. Scipio, adventu Hasdrubalis et Syphacis, qui prope cum centum millibus armatorum venerant, ab obsidione Uticae depulsus, hiberna communit. Sempronius consul in agro Crotoniensi prospere adversus Hannibalem pugnavit. Lustrum a censoribus conditum est: censa sunt civium capita ducenta quatuordecim millia. Inter censores, M. Livium et Claudium Neronem, notabilis discordia fuit: nam et Claudius Livio collegae equum ademit, quod a populo damnatus actusque in exsilium fuerat; et Livius Claudio, quod falsum in se testimonium dixisset, et quod non bona fide secum in gratiam redisset. Idem omnes tribus, extra unam, ararias reliquit, quod et innocentem se damnasset, et postea consulem censoremque fecissent.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XXIX.

SCIPIO, postquam in Siciliam venit, voluntarios U. C. 547.
milites ordinavit centuriavitque: ex iis trecen- A. C. 203.
tos juvenes, florentes ætate et virium robore, inermes
circa se habebat, ignorantes, quem ad usum, neque
centuriati, neque armati, servarentur. Tum ex to-
tius Siciliæ juniorum numero principes genere et
fortuna trecentos equites, qui secum in Africam tra-
jicerent, legit: diemque iis, qua equis armisque in-
structi atque ornati adessent, edixit. Gravis ea mi-
litia, procul domo, terra marique multos labores,
magna pericula adlatura videbatur; neque ipsos
modo, sed parentes cognatosque eorum ea cura an-
gebat. Ubi dies, quæ dicta erat, advenit, arma
equosque ostenderunt: tum Scipio, *renunciari sibi,*
dixit, quosdam equites Siculorum, tanquam gravem et
duram, horrere eam militiam. Si qui ita animati essent,
malle eos sibi jam tum fateri, quam postmodo querentes,
segnes atque inutiles milites reipublicæ esse. Exprom-
rent, quid sentirent: cum bonu venia se auditurum.
Ubi ex his unus ausus est dicere, *se prorsus, si sibi,*
utrum velit, liberum esset, nolle militare; tunc Scipio
ei, *Quoniam igitur, adolescens, quid sentiret, non dis-*
simulasti, vicariam tibi expediam, cui tu arma equum-
que et cetera instrumenta militiæ tradas, et tecum hinc

U. C. 547. *extemplo domum ducas, exerceas, docendum cures equo*
 A. C. 205. *armisque.* Læto conditionem accipienti unum ex

trecentis, quos inermes habebat, tradit. Ubi hoc modo exauctoratum equitem cum gratia imperatoris ceteri viderunt, se quisque excusare, et vicarium accipere. Ita trecentis Siculis Romani equites substituti, sine publica impensa. Docendorum atque exercendorum curam Siculi habuerunt: quia edictum imperatoris erat, ipsum militaturum, qui ita non fecisset. Egregiam hanc alam equitum evasisse ferunt, multisque præliis rempublicam adjuvisse. Legionem inde quam inspiceret, plurimorum stipendiorum ex iis milites delegit; maxime qui sub duce Marcello militaverant: quos quam optima disciplina institutos credebat, tum etiam ab longa Syracusarum obsidione peritissimos esse urbium obpugnandarum: nihil enim parvum, sed Karthaginis jam excidia agitabat animo. Inde exercitum per oppida dispersit: frumentum Siculorum civitatibus imperat; ex Italia advecto parcat: veteres naves reficit, et cum iis C. Lælium in Africam prædatum mittit; novas Panormi subducit, quia ex viridi materia raptim factæ erant, ut in sicco hibernarent. Præparatis omnibus ad bellum, Syracusas, nondum ex magnis belli motibus satis tranquillas, venit. Græci res a quibusdam Italici generis, eadem vi, qua per bellum ceperant, retinentibus, concessas sibi ab senatu, repetebant. Omnium primum ratus tueri publicam fidem, partim edicto, partim judiciis etiam in pertinaces ad obtinendam injuriam redditis, suas res Syracusanis restituit. Non ipsis tantum ea res, sed omnibus Siciliæ populis, grata fuit; eoque enisius ad bellum adjuverunt. Eadem æstate in Hispania coortum

Scipio res
 Siciliæ
 componit.

Bellum in
 Hispania.

ingens bellum, conciente Ilergete Indibili, nulla alia U. C. 347.
 de caussa, quam per admirationem Scipionis con- A. C. 205.
 temtu imperatorum aliorum orto. *Eum superesse
 unum duces Romanis, ceteris ab Hannibale interfectis,
 rebatur: eo nec in Hispania cæsis Scipionibus alium,
 quem mitterent, habuisse: et, postquam in Italia gra-
 vius bellum urgeret, adversus Hannibalem eum accessi-
 tum: præterquam quod nomina tantum ducum in His-
 pania Romani haberent, exercitum quoque inde veterem
 deductum. Trepida omnia, ut inconditam turbam ti-
 ronum, esse: numquam talem occasionem liberandæ
 Hispaniæ fore. Servitum ad eam diem aut Kartha-
 giniensibus, aut Romanis: nec in vicem his aut illis,
 sed interdum utrisque simul. Pulsos ab Romanis Kar-
 thaginienses; ab Hispanis, si consentirent, pelli Ro-
 manos posse: ut ab omni externo imperio soluta in
 perpetuum Hispania in patrios rediret mores ritusque.*
 Hæc aliaque dicendo non populares modo, sed Au-
 setanos quoque, vicinam gentem, concitat, et alios
 finitimos sibi atque illis populos: itaque intra pau-
 cos dies triginta millia peditum, quatuor ferme equi-
 tum in Sedetanum agrum, quo edictum erat, conve-
 nerunt.

II. Romani quoque imperatores, L. Lentulus et
 L. Manlius Acidinus, ne glisceret prima negligendo
 bellum, junctis et ipsi exercitibus, per agrum Ause-
 tanum, hostico, tanquam pacato, clementer ductis
 militibus, ad sedem hostium pervenere: trium mil-
 lium spatio procul a castris eorum posuerunt castra.
 Primo per legatos nequidquam tentatum, ut dis-
 cederetur ab armis: dein, quum in pabulatores Ro-
 manos inpetus repente ab equitibus Hispanis factus
 esset, submisso ab statione Romana equitatu, præ-

U. C. 547. lium equestre fuit, haud sane memorando in partem
 A. C. 205. nullam eventum. Sole oriente, postero die armati in-
 Prælio structique omnes mille ferme passus procul a castris
 victi His- Romanis aciem ostendere. Medii Ansetani erant :
 pani. cornua dextrum Ilgeretes, lævum ignobiles tenebant
 Hispani populi. Inter cornua et mediam aciem in-
 tervalla patentia satis late fecerant ; qua equitatum,
 ubi tempus esset, emitterent. Et Romani, more suo
 exercitum quem instruxissent, id modo hostium imi-
 tati sunt, ut inter legiones et ipsi patentem equiti re-
 linquerent vias. Ceterum Lentulus, ei parti usum
 equitis fore ratus, quæ prior in dehiscentem inter-
 vallis hostium aciem equites emisisset, Ser. Cornelio
 tribuno militum imperat, equites per patentem in ho-
 stium acie vias permittere equos jubeat : ipse, cæpta
 parum prospere pedestri pugna, tantum moratus,
 dum cedenti duodecimæ legioni, quæ in lævo cornu
 adversus Ilgeretes locata erat, tertiam decimam le-
 gionem ex subsidiis in primam aciem firmamentum
 ducit ; postquam æquata ibi pugna est, ad L. Man-
 lium, inter prima signa hortantem, ac subsidia, qui-
 bus res postulabat locis, inducentem, venit : indicat
 tuta ab lævo cornu esse : jam missum ab se Corne-
 lium Servium procella equestri hostes circumfusu-
 rum. Vix hæc dicta dederat, quum Romani equites,
 in medios invecti hostes, simul pedestres acies tur-
 barunt, simul equitibus Hispanorum viam inmit-
 tendi equos clauserunt. Itaque, ommissa pugna eque-
 stri, ad pedestrem Hispani descenderunt. Romani
 imperatores, ut turbatos hostium ordines, et trepi-
 dationem pavoremque, et fluctuantia viderunt signa,
 hortantur, orant milites, *ut percussos invadant, neu
 restitui aciem patiantur* : non sustinuisent tam in-

festum inpetum barbari, ni regulus ipse Indibilis U. C. 547.
 eum equitibus ad pedes degressis ante prima signa A. C. 205.
 peditum se objecisset. Ibi aliquamdiu atrox pugna
 stetit: tandem postquam ii, qui circa regem, semi- Indibilis
 necem restantem, deinde pilo terræ adfixum, pugna- occisus.
 bant, obruti telis obcubuerunt, tum fuga passim
 cœpta, pluresque cæsi, quia equos conscendendi
 equitibus spatium non fuerat, et quia percussis acri-
 ter institerunt Romani: nec ante abcessum est,
 quam castris quoque exuerunt hostem. Tredecim
 millia Hispanorum cæsa eo die, octingenti ferme
 capti. Romanorum sociorumque paullo amplius
 ducenti, maxime in lævo cornu, ceciderunt. Pulsi
 castris Hispani, aut qui ex prælio effugerant, sparsi
 primo per agros, deinde in suas quisque civitates re-
 dierunt.

III. Tum a Mandonio evocati in concilium, con- Dedunt se
 questique ibi clades suas, increpitis auctoribus belli, Hispani.
 legatos mittendos ad arma tradenda deditioemque
 faciendam censuerunt. Quibus, culpam in aucto-
 rem belli Indibilem, ceterosque principes, quorum
 plerique in acie cecidissent, conferentibus, tradenti-
 busque arma, et dedentibus sese, responsum est: *In*
deditioem ita accipi eos, si Mandonium ceterosque belli
concitores tradidissent vivos: sin minus, exercitus se in
agrum Ilergetum Ausetanorumque, et deinceps aliorum
populorum ducturos. Hæc dicta legatis, renunciata-
 que in concilium. Ibi Mandonius ceterique princi- Mandonius
 pes comprehensi et traditi ad supplicium. Hispaniæ traditus ad
 populis reddita pax: stipendium ejus anni duplex et suppli-
 frumentum sex mensium imperatum, sagaque et togæ cium.
 exercitui, et obsides ab triginta ferme populis ac-
 cepti. Ita Hispaniæ rebellantis tumultu, haud mag-

U. C. 547. no motu, intra paucos dies concito et compresso, in
 A. C. 205. Africam omnis terror versus. C. Lælius nocte ad
 Lælius Hipponem Regium cum accessisset, luce prima ad
 classe populandum agrum sub signis milites sociosque na-
 Africam vales duxit. Omnibus, pacis modo incuriose agen-
 populatur. tibus, magna clades inlata: nunciique trepidi Kar-
 thaginensium terrore ingenti complevere, classem Ro-
 manam Scipionemque imperatorem (et fama fuerat
 jam in Siciliam transgressum) advenisse. Nec quot
 naves vidissent, nec quanta manus agros populare-
 tur, satis guarari, omnia in majus, metu augente, ac-
 cipiebant: itaque primo terror pavorque, dein mœ-
 stitia animos incessit: *tantum fortunam mutasse, ut,*
qui modo ipsi exercitum ante mœnia Romana habuissent
victores, stratisque tot hostium exercitibus, omnes Italiæ
populos aut vi aut voluntate in deditionem accepissent;
ii, verso Marte, Africæ populationes et obsidionem Kar-
thaginis visuri forent, nequaquam pari ad patienda ea
robore, ac Romani fuissent. Illis Romanam plebem,
illis Latium juventutem præbuisse; majorem semper
frequentioreque pro tot cæsis exercitibus subolescen-
tem. Suam plebem inbellem in urbe, inbellem in agris
esse: mercede parari auxilia ex Afris, gente ad omnem
auram spei mobili atque infida. Jam reges, Syphacem
post colloquium cum Scipione alienatum; Masinissam
aperta defectione infestissimum hostem: nihil usquam
spei, nihil auxilii esse. Nec Magonem ex Gallia mo-
vere tumultus quidquam, nec conjungere sese Hannibali:
et Hannibalem ipsum jam et fama senescere, et viribus.

IV. In hæc deflenda prolapsos ab recenti nuncio
 animos rursus terror instans revocavit ad consultan-
 dum, quoniam modo obviam præsentibus periculis
 iretur. Delectus raptim in urbe agrisque haberi

placet, mittere ad conducenda Afrorum auxilia, munire urbem, frumentum convehere, tela, arma parare, instruere naves ac mittere ad Hipponem adversus Romanam classem. Jam hæc agentibus nuncius tandem venit, Lælium, non Scipionem, copiasque, quantæ ad incursiones agrorum, satis sint, transvectas; summæ belli molem adhuc in Sicilia esse. Ita respiratum, mittique ad Syphacem legationes, aliosque regulos, firmandæ societatis causa, cœptæ. Ad Philippum quoque missi, qui ducenta argenti talenta pollicerentur, ut in Siciliam aut in Italiam trajiceret. Missi et ad duos imperatores in Italiam, ut omni terrore Scipionem retinerent: ad Magonem non legati modo, sed viginti quinque naves longæ, sex millia peditum, octingenti equites, septem elephantum, ad hoc magna pecunia ad conducenda auxilia, quibus fretus propius urbem Romanam exercitum admoveret, conjungeretque se Hannibali. Hæc Karthagine parabant agitabantque. Ad Lælium prædas ingentes ex agro inermi ac nudo præsidii agentem Masinissa, fama Romanæ classis exitus, cum equitibus paucis venit. *Is sequitur rem Masinissa ad Lælium venit.* *agi ab Scipione questus, quod tum non jam exercitum in Africam trajecisset, percussis Karthaginiensibus, Syphace impedito finitimis bellis, quem incertum hæere; si spatium ad sua, ut velit, componenda detur, nihil sincera fide cum Romanis acturum. Hortaretur, ac stimularet Scipionem, ne cessaret. Se, quamquam regno pulsus esset, cum haud contemnendis copiis adfuturum peditum equitumque. Nec ipsi Lælio morandum in Africa esse: classem credere profectam a Karthagine, cum qua, absente Scipione, non satis tutum esse contrahi certamen.*

U. C. 547.
A. C. 205.

U. C. 547.
A. C. 205.

Magonis
cum Ligu-
ribus Gal-
lisque
consilia.

V. Ab hoc sermone dimisso Masinissa, Lælius postero die naues præda onustas ab Hippone solvit, reiectusque in Siciliam mandata Masinissæ Scipioni exposuit. Eisdem ferme diebus naues, quæ ab Carthagine ad Magonem missæ erant, inter Albingaunos Ligures Genuamque accesserunt. In iis locis tum forte Mago tenebat classem: qui, legatorum auditis verbis, iubentium exercitus quam maximos comparare, extemplo Gallorum et Ligurum (namque utriusque gentis ingens ibi multitudo erat) concilium habuit: *et, missum se ad eos vindicandos in libertatem, ait, et, ut ipsi cernant, mitti sibi ab domo præsidia: sed, quantis viribus, quanto exercitu id bellum geratur, in eorum potestate esse. Duos exercitus Romanos, unum in Gallia, alterum in Etruria esse: satis scire, Sp. Lucretium se cum M. Livio juncturum: multa millia ipsis etiam armanda esse, ut duobus ducibus, duobus exercitibus Romanis resistatur. Galli, summam ad id suam voluntatem esse, dicere: sed, quum una castra Romana intra fines, altera in finitima terra Etruria prope in conspectu habeant, si palam fiat auxiliis adjutum ab sese Pænum, extemplo infestos utrimque exercitus in agrum suum incursuros. Ea ab Gallis desideraret, quibus occulte adjuvari posset. Liguribus, quod procul agro urbibusque eorum castra Romana sint, libera consilia esse: illos armare juventutem, et capessere pro parte bellum, æquum esse. Ligures haud abnuere: tempus modo duorum mensium petere ad delectus habendos. Interim Mago milites, Gallis dimissis, clam per agros eorum mercede conducere: comneatus quoque omnis generis occulte ad eum a Gallis populis mittebantur. M. Livius exercitum volonum ex Etruria in Galliam traducit: junctusque*

Lucretio, si se Mago ex Liguribus propius urbem U. C. 547.
 moveat, obviam ire parat: si Pœnus sub angulo A. C. 205.
 Alpium quietus se contineat, et ipse in eadem re-
 gione circa Ariminum Italiæ præsidio futurus.

VI. Post reditum ex Africa C. Lælii, et Scipione
 stimulado Masinissæ adhortationibus, et militibus,
 prædam ex hostium terra cernentibus tota classe
 efferrî, accensis, ad trajiciendum quam primum, in-
 tervenit majori minor cogitatio, Locros urbem reci- Locri re-
 piendi, quæ sub defectionem Italiæ desciverat et ipsa cepti.
 ad Pœnos. Spes autem adfectandæ ejus rei ex mi-
 nima re adfulsit. Latrociniis magis, quam justo
 bello, in Bruttis gerebantur res; principio ab Nu-
 midis facto, et Bruttis, non societate magis Punica,
 quam suoapte ingenio, congruentibus in eum morem.
 Postremo Romani quoque, jam contagione quadam
 raptò gaudentes, quantum per duces licebat, excur-
 siones in hostium agros facere. Ab iis egressi qui-
 dam urbem Locrenses circumventi, Rhegiumque
 abstracti fuerant: in eo captivorum numero fabri
 quidam fuere, adsueti forte apud Pœnos mercede
 opus in arce Locrorum facere. Ii, cogniti ab Lo-
 crensium principibus, qui pulsî ab adversa factione,
 quæ Hannibali Locros tradiderat, Rhegium se con-
 tulerant, quum cetera percunctantibus, (ut mos est,
 qui diu absunt) quæ domi agerentur, exposuissent,
 spem fecerunt, si redempti ac remissi forent, arcem
 se iis tradituros: ibi se habitare, fidemque sibi rerum
 omnium inter Karthaginienses esse. Itaque, ut qui
 simul desiderio patriæ angerentur, simul cupiditate
 inimicos ulciscendi arderent, redemptis extemplo iis
 remissisque, quum ordinem agendæ rei composuis-

U. C. 547. sent, signaque, quæ procul edita observarent, ipsi
 A. C. 205. ad Scipionem Syracusas profecti, apud quem pars
 exsulum erat, referentes ibi promissa captivorum,
 quum spem ab effectu haud abhorrentem consuli fe-
 cissent; tribuni militum cum iis M. Sergius et P.
 Matienus missi, jussique ab Rhegio tria millia mili-
 tum Locros ducere: et Q. Pleminio proprætori
 scriptum, ut rei agendæ adesset. Profecti ab Rhe-
 gio, scalas ad editam altitudinem arcis fabricatas
 portantes, media ferme nocte ex eo loco, unde con-
 venerat, signum dedere proditoribus arcis: qui pa-
 rati intentique, et ipsi scalas ad id ipsum factas
 quum demisissent, pluribusque simul locis scanden-
 tes accepissent, priusquam clamor oriretur, in vigiles
 Pœnorum, ut in nullo tali metu, sopitos inpetus est
 factus: quorum gemitus primo morientium exaudi-
 tus; deinde subita consternatio ex somno et tumul-
 tus quum causa ignoraretur; postremo certior res,
 aliis excitantibus alios; jamque *ad arma* pro se quis-
 que vocabat: *hostes in arce esse, et cædi vigiles*: ob-
 pressique forent Romani, nequaquam numero pares,
 ni clamor, ab iis, qui extra arcem erant, sublatus,
 incertum, unde accidisset, (omnia vana augente noc-
 turno tumultu) fecisset. Itaque velut plena jam
 hostium arce territi Pœni, omisso certamine, in alte-
 ram arcem (duæ sunt haud multum inter se distantes)
 confugiant. Oppidani urbem habebant, victoribus
 præmium in medio positam. Ex arcibus duabus
 præliis quotidie levibus certabatur. Q. Pleminius
 Romano, Hamilear Punico præsidio præerat: arces-
 santes ex propinquis locis subsidia copias augebant.
 Ipse postremo veniebat Hannibal: nec sustinuisent

Romani, nisi Locrensium multitudo, exacerbata su- U. C. 547.
perbia atque avaritia Pœnorum, ad Romanos incli- A. C. 205.
nasset.

VII. Scipioni ut nunciatum est, in majore discrimine Locris rem verti, ipsumque Hannibalem adventare; ne præsidium etiam periclitaretur, haud facili inde receptu, et ipse a Messana, L. Scipione fratre in præsidio ibi relicto, quum primum æstu fretum inclinatum est, naves mari secundo misit. Et Hannibal, a Butroto amni (haud procul is ab urbe Locris abest) nuncio præmisso, ut sui luce prima summa vi prælium cum Romanis ac Locrensibus consererent, dum ipse, aversis omnibus in eum tumultum, ab tergo urbem incautam adgrederetur, ubi luce cœptam invenit pugnam, ipse nec in arcem se includere, turba locum artum impediturus, voluit; neque scalas, quibus scanderet muros, adtulerat: sarcinis in acervum coniectis, quum haud procul muris ad terrorem hostium aciem ostendisset, cum equitibus Numidis circumequitabat urbem, dum scallæ, quæque alia ad obpugnandum opus erant, parantur, ad visendum qua maxime parte adgrederetur: progressus ad murum, scorpione icto, qui proximus eum forte steterat, territus inde tam periculoso casu, receptui canere quum jussisset, castra procul ab ictu teli communiit. Classis Romana a Messana Locros, aliquot horis die superante, accessit: expositi omnes e navibus, et ante occasum solis urbem ingressi sunt. Postero die cœpta ex arce a Pœnis pugna; et Hannibal, jam scalis aliisque omnibus ad obpugnationem paratis, subibat muros: quum repente in eum, nihil minus quam tale quidquam timentem, patefacta porta crumpunt Romani:

U. C. 547. ad ducentos improvidos, quum invasissent, occidunt:
 A. C. 205. ceteros Hannibal, ut consulem adesse sensit, in castra recipit; nuncioque misso ad eos, qui in arce erant, ut sibimet ipsi consulerent, nocte motis castris abiit. Et qui in arce erant, igni injecto tectis, quæ tenebant, ut is tumultus hostem moraretur, agmen suorum fugæ simili cursu ante noctem adsecuti sunt.

VIII. Scipio, ut et arcem relictam ab hostibus et vacua vidit castra, vocatos ad concionem Locrenses graviter ob defectionem incusavit: de auctoribus supplicium sumpsit, bonaque eorum alterius factionis principibus, ob egregiam fidem adversus Romanos, concessit. *Publice nec dare, nec eripere se quidquam Locrensibus, dixit, Roman mitterent legatos: quam senatus æquum censuisset, eam fortunam habituros. Illud satis scire, etsi male de populo Romano meriti essent, in meliore statu sub iratis Romanis futuros, quam sub amicis Karthaginiensibus fuerint.* Ipse, Q. Pleminio legato præsidioque, quod arcem ceperat, ad tuendam urbem relicto, cum quibus venerat copiis, Messanam trajecit. Ita superbe et crudeliter habiti Locrenses ab Karthaginiensibus post defectionem ab Romanis fuerant, ut modicas injurias non æquo modo animo pati, sed prope lubenti possent: verum enimvero tantum Pleminius Hamilcarem præsidii præfectum, tantum præsidarii milites Romani Pœnos scelere atque avaritia superaverunt, ut non armis, sed vitiis videretur certari: nihil omnium, quæ inopi invisas opes potentioris faciunt, prætermissum in oppidanos est ab duce, aut a militibus: in corpora ipsorum, in liberos, in conjuges infandæ contumeliæ editæ. Nam avaritia ne sacrorum quidem spolia-

Pleminius præf. Locris crudeliter se gerit.

Ejus avaritia.

tionē abstinuit: nec alia modo templa violata, sed U. C. 547.
 Proserpinæ etiam, intacti omni ætate, thesauri; præ- A. C. 205.
 terquam quod a Pyrrho, qui cum magno piaculo sac-
 crilegii sui manubias retulit, spoliati dicebantur.
 Ergo sicut ante regiæ naves, laceratæ naufragiis,
 nihil in terram integri, præter sacram pecuniam
 Deæ, quam asportabant, extulerant; tum quoque
 alio genere cladis eadem illa pecunia omnibus con-
 tactis ea violatione templi furorem objecit, atque
 inter se ducem in ducem, militem in militem rabie
 hostili vertit.

IX. Summæ rei Pleminius præerat: militum pars Pugna inter
 sub eo, quam ipse ab Rhegio abduxerat, pars sub militēs
 tribunis erat. Raptō poculo argenteo ex oppidani Romanos.
 domo Pleminii miles fugiens, sequentibus quorum
 erat, obuius forte Sergio et Matieno tribunis mili-
 tum fuit: cui quum jussu tribunorum adentum
 poculum esset, jurgium inde et clamor, pugna pos-
 tremo orta inter Pleminii milites, tribunorumque;
 ut suis quisque opportunus advenerat, multitudine
 simul ac tumultu crescente. Victi Pleminii milites
 quum ad Pleminium, cruorem ac vulnera ostentan-
 tes, non sine vociferatione atque indignatione con-
 currissent, probra in eum ipsum jactata in jurgiis
 referentes; accensus ira domo sese proripuit, voca-
 tosque tribunos nudari, ac virgas expediri jubet.
 Dum spoliandis iis (repugnabant enim, militemque
 inplorabant) tempus teritur, repente milites, fero-
 ces recenti victoria, ex omnibus locis, velut adversus
 hostes ad arma conclamatum esset, concurrerunt:
 et, quum violata jam virgis corpora tribunorum vi-
 dissent, tum vero in multo inpotentiozem subito ra-
 biam accensi, sine respectu, non majestatis modo,

U. C. 547. sed etiam humanitatis, in legatum inpetum, lictoribus prius indignum in modum mulcatis, faciunt: tum ipsum, ab suis interceptum et seclusum, hostiliter lacerant, et prope exsanguem, naso auribusque mutilatis, relinquunt. His Messanam nunciatis, Scipio, post paucos dies Locros hexeri advectus, quum causam Pleminii et tribunorum audisset, Pleminio noxa liberato, relictoque in ejusdem loci præsidio, tribunis sontibus judicatis, et in vincula coniectis, ut Romam ad senatum mitterentur, Messanam atque inde Syracusas rediit. Pleminius inpotens iræ, neglectam ab Scipione et nimis leviter latam suam injuriam ratus, nec quemquam æstimare alium eam litem posse, nisi qui atrocitatem ejus patiendo sensisset, tribunos adtrahi ad se jussit; laceratosque omnibus, quæ pati corpus ullum potest, suppliciis interfecit: nec satiatus vivorum pœna, insepultos projecit. Simili crudelitate et in Locrensiump principes est usus, quos ad conquerendas injurias ad P. Scipionem profectos audivit: et, quæ antea per libidinem atque avaritiam fœda exempla in socios ediderat, tunc ab ira multiplicia edere: infamiæ atque invidiæ non sibi modo, sed etiam imperatori, esse.

Licinii exercitus morbo adfectus.

X. Jam comitorum adpetebat tempus, quum P. Licinii consulis literæ Romam adlatæ, *se exercitumque suum gravi morbo adfectari: nec sisti potuisse, ni eadem vis mali, aut gravior etiam, in hostes ingruisset. Itaque, quoniam ipse venire ad comitia non posset, si ita Patribus videretur, se Q. Cæcilium Metellum dictatorem comitorum causa dicturum: exercitum Q. Cæciliû dimitti, e republica esse. Nam neque usum ejus ullum in præsentia esse, quum Hannibal jam in hiberna suos receperit; et tanta incesserit in ea castra vis mor-*

bi, ut, nisi mature dimittantur, nemo omnium superfu-^{U. C. 547.}
 turus videatur: ea consuli a Patribus facienda, ut e^{A. C. 205.}
 republica fideque sua duceret, permissa. Civitatem
 eo tempore repens religio invaserat, invento carmine
 in libris Sibyllinis, propter crebrius eo anno de cælo
 lapidatum inspectis. Quandoque hostis alienigena ter-
 ræ Italiæ bellum intulisset, eum pelli Italia vincique
 posse, si mater Idæa a Pessinaunte Romam advecta fo-
 ret. Id carmen ab decemviris inventum eo magis
 Patres movit, quod et legati, qui donum Delphos
 portaverant, referebant: et sacrificantes ipsos Py-
 thio Apollini litavisse, et responsum oraculo editum,
 majorem multo victoriam, quam cujus ex spoliis
 dona portarent, adesse populo Romano. In ejus-
 dem spei summam conferebant P. Scipionis velut
 præsagientem animum de fine belli, quod depopos-
 cisset provinciam Africam. Itaque quo maturius
 fati, ominibus, oraculisque portendentis sese victo-
 riæ compotes fierent, id cogitare, quæ ratio trans-
 portandæ Romam Deæ esset.

XI. Nullas dum in Asia civitates socias habebat Mater Idæa
 populus Romanus: tamen memores, Æsculapium ex Asia pe-
 titur.
 quoque ex Græcia quondam, haud dum ullo foedere
 sociata, valetudinis populi causa accessit, et jam
 cum Attalo rege, propter commune adversus Philip-
 pum bellum, cœptam amicitiam esse, facturum eum,
 quæ possit, populi Romani causa, legatos ad eum
 decernunt, M. Valerium Lævinum, qui bis consul
 fuerat, ac res in Græcia gesserat, M. Cæcilium Me-
 tellum prætorium, Ser. Sulpicium Galbam ædilitium,
 duos quæstorios, Cn. Tremellium Flaccum, et M. Va-
 lerium Faltonem. His quinque naves quinqueremes.

U. C. 547. ut ex dignitate populi Romani adirent eas terras, ad
 A. C. 205. quas concilianda majestas nomini Romano esset, decernunt. Legati Asiam petentes protinus Delphos quum escendissent, oraculum adierunt, consulentes, ad quod negotium domo missi essent, perficiendi ejus, quam sibi spem populoque Romano portenderet. Responsum esse ferunt, *Per Attalum regem compotes ejus fore, quod peterent: quum Romam Deam devexissent, tum curarent, ut eam, qui vir optimus Romæ esset, hospitio exciperet.* Pergamum ad regem venerunt. Is legatos comiter acceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit: sacrumque iis lapidem, quam matrem Deum esse incolæ dicebant, tradidit, ac deportare Romam jussit. Præmissus ab legatis M. Valerius Falto nunciavit, Deam adportari: quærendum virum optimum in civitate esse, qui eam rite hospitio exciperet. Q. Cæcilius Metellus dictator ab consule in Brutiis comitiorum causa dictus, exercitusque ejus dimissus: magister equitum L. Veturius Philo. Comitia per dictatorem habita. Consules facti M. Cornelius Cethegus, P. Sempromnius Tuditanus absens, quum provinciam Græciam haberet. Prætores inde creati, Ti. Claudius Nero, M. Marcius Ralla, L. Scribonius Libo, M. Pomponius Matho. Comitii peractis, dictator sese magistratu abdicavit. Ludi Romani ter, plebei septies instaurati. Curules erant ædiles Cn. et L. Cornelii Lentuli. Lucius Hispaniam provinciam habebat: absens creatus, absens cum honorem gessit. Ti. Claudius Asellus et M. Junius Pennus plebei ædiles fuerunt. Ædem Virtutis eo anno ad portam Capenam M. Marcellus dedicavit, septimodecimo anno

postquam a patre ejus primo consulatu vota in Gal- U. C. 547.
lia ad Clastidium fuerat. Et flamen Martialis eo A. C. 209.
anno est mortuus M. Æmilius Regillus.

XII. Neglectæ eo biennio res in Græcia erant :
itaque Philippus Ætolos, desertos ab Romanis, cui Ætoli pa-
uni fidebant auxilio, quibus voluit conditionibus, ad cem cum
petendam et paciscendam subegit pacem : quod nisi Philippo fa-
omni vi perficere maturasset, bellantem eum cum ciunt.
Ætolis P. Sempronius proconsul, successor imperii
missus Sulpicio, cum decem millibus peditum, et
mille equitibus, et triginta quinque rostratis navibus
(haud parvum momentum ad opem ferendam sociis)
obpressisset. Vixdum pace facta, nuncius regi ve-
nit, Romanos Dyrrachium venisse : Parthinosque et
propinquas alias gentes motas esse ad spem novandi
res : Dimallumque obpugnari. Eo se verterant Ro-
mani ab Ætolorum, quo missi erant, auxilio, irati,
quod sine auctoritate sua adversus fœdus cum rege
pacem fecissent. Ea quum audisset Philippus, ne
qui motus major in finitimis gentibus populisque
oriretur, magnis itineribus Apolloniam contendit ;
quo Sempronius se receperat, misso Lætorio legato
cum parte copiarum et quindecim navibus in Æto-
liam, et ad visendas res, pacemque, si posset, tur-
bandam. Philippus agros Apolloniatium vastavit,
et, ad urbem admotis copiis, potestatem pugnæ Ro-
mano fecit : quem postquam quietum muros tan-
tummodo tueri vidit, nec satis fidens viribus, ut ur-
bem obpugnaret, et cum Romanis quoque, sicut
cum Ætolis, cupiens pacem, si posset, sin minus,
inducias facere, nihil ultra irritatis novo certamine
odiis, in regnum se recepit. Per idem tempus, tæ-
dio diutini belli, Epirotæ, tentata prius Romanorum Itemque
Romani.

U. C. 547. voluntate, legatos de pace communi ad Philippum
 A. C. 205. misere; satis confidere, conventuram eam, adfir-
 mantes, si ad conloquium cum P. Sempronio impe-
 ratore Romano venisset. Facile inpetratum, (ne-
 que enim ne ipsius quidem regis abhorrebat animus)
 ut in Epirum transiret. Phœnice urbs est Epiri :
 ibi prius conlocutus rex cum Aëropo, et Darda, et
 Philippo Epirotarum prætoribus, postea cum P.
 Sempronio congregitur. Aduit conloquio et Amy-
 nander Athamanum rex, et magistratus alii Epirota-
 rum et Acarnanum. Primus Philippus prætor verba
 fecit, et petiit simul ab rege et ab imperatore Ro-
 mano, ut finem belli facerent, darentque eam Epi-
 rotis veniam. P. Sempronius condiciones pacis
 dixit, ut Parthini, et Dimallum, et Bargulum, et
 Eugenum Romanorum essent. Atintania, si, mis-
 sis Romam legatis, ab senatu inpetrasset, Macedoni
 accederet. In eas condiciones quum pax conveni-
 ret, ab rege fœderi adscripti, Prusia Bithyniæ rex,
 Achæi, Bœoti, Thessali, Acarnanes, Epirotæ: ab
 Romanis, Ilienses, Attalus rex, Pleuratus, Nabis
 Lacedæmoniorum tyrannus, Elei, Messenii, Athe-
 nienses. Hæc conscripta consignataque sunt, et in
 duos menses induciæ factæ, donec Romam mitteren-
 tur legati, ut populus in has condiciones pacem ju-
 beret: jusseruntque omnes tribus: quia, verso in
 Africam bello, omnibus aliis in præsentia levare vo-
 lebant bellis. P. Sempronius, pace facta, ad consu-
 latum Romam decessit.

U. C. 548. XIII. P. Sempronio, M. Cornelio consulibus
 A. C. 204. (quintusdecimus is annus Punici belli erat) provin-
 ciæ, Cornelio Etruria cum vetere exercitu, Sempro-
 nio Bruttii, ut novas scriberet legiones, decretæ.

Prætoribus, M. Marcio urbana, L. Scribonio Liboni peregrina, et eidem Gallia, M. Pomponio Mathoni Sicilia, Ti. Claudio Neroni Sardinia evenit. P. Scipioni cum eo exercitu, cum ea classe, quam habebat, prorogatum in annum imperium est: item P. Licinio, ut Bruttios cum duabus legionibus obtineret, quoad eum in provincia cum imperio morari consuli e republica visum esset. Et M. Livio, et Sp. Lucretio, cum binis legionibus, quibus adversus Magonem Galliæ præsidio fuissent, prorogatum imperium est. Et Cn. Octavio, ut, cum Sardiniam legionemque Ti. Claudio tradidisset, ipse navibus longis quadraginta maritimam oram, quibus finibus senatus censuisset, tutaretur. M. Pomponio prætori in Sicilia Cannensis exercitus duæ legiones decretæ. T. Quinctius Tarentum, C. Hostilius Tubulus Capuam, proprætores, sicut priore anno, cum vetere uterque præsidio, obtinerent. De Hispaniæ imperio, quos in eam provinciam duos proconsules mitti placeret, latum ad populum est. Omnes tribus eosdem, L. Cornelium Lentulum et L. Manlium Acidinum, proconsules, sicut priore anno tenuissent, obtinere eas provincias jusserunt. Consules delectum habere instituerunt, et ad novas scribendas in Bruttios legiones, et in ceterorum (ita enim jussi ab senatu erant) exercituum supplementum.

XIV. Quamquam nondum aperte Africa provincia decreta erat, (occultantibus id, credo, Patribus, ne præsciscerent Karthaginenses) tamen in eam spem erecta civitas erat, in Africa eo anno debellatum iri, finemque bello Punico adesse. Inpleverat ea res superstitionum animos, pronique et ad nuncianda, et ad credenda prodigia erant: eo plura vul-

U. C. 548. gabantur. *Duos soles visos : et nocte interluxisse : et
A. C. 204. faciem Setiæ ab ortu solis ad occidentem porrigi visam.*

Tarracinæ portam, Auagniæ et portam et multis locis murum de celo tactum. In æde Junonis Sospitiæ Lanurii cum horrendo fragore strepitum editum. Eorum procurandorum causa diem unum supplicatio fuit : et novendiale sacrum, quod de cælo lapidatum esset, factum. Eo accessit consultatio de matre Idæa accipienda, quam præterquam quod M. Valerius, unus ex legatis prægressus, actutum in Italia fore nunciaverat, recens nuncius aderat, Tarracinæ jam esse. Haud parvæ rei iudiciam senatum tenebat, qui vir optimus in civitate esset. Veram certe victoriam ejus rei sibi quisque mallet, quam ulla imperia honoresve, suffragio seu Patrum, seu plebis delatos.

P. Scipio
judicatus
vir opti-
mus.

P. Scipionem, Cn. filium, ejus qui in Hispania ceciderat, adolescentem nondum quæstorium, judicaverunt in tota civitate virum bonorum optimum esse : id quibus virtutibus inducti ita judicarint, sicut proditum a proximis memoriæ temporum illorum scriptoribus libens posteris traderem ; ita meas opiniones, conjectando rem vetustate obrutam, non interponam. P. Cornelius cum omnibus matronis Ostiam ire jussus obviam Deæ, isque eam de nave accipere, et in terram elatam tradere ferendam matronis. Postquam navis ad ostium annis Tiberini accessit, sicut erat jussus, in salum nave evectus, ab sacerdotibus Deam accepit, extulitque in terram. Matronæ primores civitatis, inter quas unius Claudiæ Quintæ insigne est nomen, accepere: cui dubia (ut traditur) antea fama clariorem ad posteros tam religioso ministerio pudicitiam fecit. Eæ per manus, succedentes deinceps aliæ aliis, omni effusa civitate obviam,

Obviam
it matri
deum,
cum ma-
tronis.

thuribus ante januas positis, qua præferebatur, atque accenso thure, precantibus, ut volens propitiâque urbem Romanam iniret, in ædem Victoriæ, quæ est in Palatio, pertulere Deam pridie Idus Aprilis;isque dies festus fuit: populus frequens dona Deæ in Palatium tulit, lectisterniumque et ludi fuere, Megalesia adpellata.

U. C. 543.
A. C. 204.

Megalesia.

XV. Quum de supplemento legionum, quæ in provinciis erant, ageretur; *tempus esse*, a quibusdam senatoribus subjectum est, *quæ dubiis in rebus utcumque tolerata essent, ea, demto jam tandem Deum benignitate metu, non ultra pati.* Erectis expectatione Patribus, subjecerunt: *colonias Latinas duodecim, quæ Q. Fabio et Q. Fulvio consulibus abnuissent milites dare, eas annum jam ferme sextum vacationem militiæ, quasi honoris et beneficii causa, habere: quum interim boni obedientesque socii, pro fide atque obsequio in populum Romanum, continuis omnium annorum delectibus exhausti essent.* Sub hanc vocem non memoria magis Patribus renovata rei prope jam oblitteratæ, quam ira irritata est: itaque, nihil prius referre consules passi, decreverunt, *ut consules magistratus*

S. C. de coloniis quæ milites non dederant.

denosque principes Nepete, Sutrio, Ardea, Calibus, Alba, Carseolis, Sora, Suessa, Setia, Circæis, Narnia, Interamna, (cæ namque coloniæ in ea causa erant) Romam excirent: iis imperarent, quantum quæque earum coloniarum militum plurimum dedisset populo Romano, ex quo hostes in Italia essent, duplicatum ejus summæ numerum peditum daret, et equites centenos vicenos: si qua eum numerum equitum exple re non posset, pro equite uno tres pedites liceret dare: pedites equitesque quam locupletissimi legerentur, mitterenturque, ubicumque extra Italiam supplemento opus esset.

U. C. 548. *Si qui ex iis recusarent, retineri ejus coloniæ magistratus legatosque placere: neque, si postularent, senatum dari, priusquam imperata fecissent: stipendium præterea iis coloniis in millia æris asses singulos imperari exigique quotannis: censumque in iis coloniis agi ex formula ab Romanis censoribus data: dari autem placere eandem, quam populo Romano: deferrique Romam ab juratis censoribus coloniarum, priusquam magistratu abirent. Ex hoc senatusconsulto, aditis Romam magistratibus primoribusque earum coloniarum, consules quum militem stipendiumque imperassent, alii aliis magis recusare ac reclamare: negare tantum militem effici posse: vix, si simplum ex formula imperetur, enisuros. Orare atque obsecrare, ut sibi, senatum adire ac deprecari liceret: nihil se, quare perire merito deberent, admisisse: sed, si pereundum etiam foret, neque suum delictum, neque iram populi Romani, ut plus militum darent, quam haberent, posse efficere. Consules obstinati manere legatos Romæ jubent; magistratus ire domos ad delectus habendos: nisi summa militum, quæ imperata esset, Romam adducta, neminem iis senatum daturum. Ita præcisa spe senatum adeundi deprecandique, delectus in iis duodecim coloniis, per longam vacationem numero juniorum aucto, haud difficulter est perfectus.*

Privatis
jubetur
reddi con-
lata pecu-
nia.

XVI. Altera item res, prope æque longo neglecta silentio, relata a M. Valerio Lævino est: qui, *privatis conlatas pecunias, se ac M. Claudio consulibus, reddi tandem, æquum esse dixit: nec mirari quemquam debere, in publica obligata fide suam præcipuam curam esse. Nam, præterquam quod aliquid proprie ad conulem ejus anni, quo conlatæ pecuniæ essent, pertineret,*

etiam se auctorem ita conferendi fuisse, inopi ærario, nec plebe ad tributum subficiente. Grata ea Patribus admonitio fuit: jussisque referre consulibus, decreverunt, ut tribus pensionibus ea pecunia solveretur: primam præsentem ii, qui tum essent, duas tertii et quinti consules numerarent. Omnes deinde alias curas una occupavit, postquam Locrensi-um clades, quæ ignoratæ ad eam diem fuerant, legatorum adventu vulgatæ sunt: nec tam Q. Pleminii scelus, quam Scipionis in eo aut ambitio aut negligentia iras hominum irritavit. Decem legati Locrensi-um, obsiti squalore et sordibus, in comitio sedentibus consulibus velamenta supplicum, ramos oleæ, (ut Græcis mos est) porrigentes, ante tribunal cum flebili vociferatione humi procubuerunt. Quærentibus consulibus Locrenses se dixerunt esse, ea passos a Q. Pleminio legato Romanisque militibus, quæ pati ne Karthaginenses quidem velit populus Romanus. Rogare, uti sibi patres adeundi, deplorandique ærumnas suas potestatem facerent.

XVII. Senatu dato, maximus natu ex iis: Scio, quanti æstimentur nostræ apud vos querelæ, Patres conscripti, plurimum in eo momenti esse, si probe sciat, et quomodo procliti Locri Hannibali sint, et quomodo, pulso Hannibalis præsidio, restituti in ditionem vestram: quippe si et culpa defectio- nis procul a publico consilio absit, et reditum in vestram ditionem adpareat, non voluntate solum, sed ope etiam ac virtute nostra; magis indignemini, bonis ac fidelibus sociis tam atroces atque indignas injurias ab legato vestro militibusque fieri. Sed ego causam utriusque defectionis nostræ in aliud tempus differendam arbitror esse, duarum rerum gratia: unius, ut coram P. Scipione, qui Locros rece-

U. C. 548.

A. C. 204.

Locrensi-
um legati
deplorant
fortunas
suas.

U. C. 548. *pit, omnium nobis recte perperamque factorum testis,*
 A. C. 204. *agatur; alterius, quod, qualescumque sumus, tamen*
hæc, quæ passi sumus, pati non debuimus. Non possu-
mus dissimulare, Patres conscripti, nos, quum præsi-
dium Punicum in arce nostra haberemus, multa fœda
et indigna, et a præfecto præsidii Hamilcare, et ab
Numidis Afrisque passos esse. Sed quid illa sunt, con-
luta cum iis, quæ hodie patimur? Cum bona venia,
quæso, audiatis, Patres conscripti, id, quod invitus di-
cam. In discrimine est nunc humanum omne genus,
utrum vos, an Karthaginienses principes terrarum vi-
deat: si ex iis, quæ Locrenses aut ab illis passi sumus,
aut a vestro præsidio nunc quum maxime patimur,
astimundum Romanura ac Punicum imperium sit;
nemo non illis sibi, quam vos, dominos præoptet. Et
tamen videte, quemadmodum Locrenses in vos animati
sint. Quum a Karthaginiensibus injurias tanto mino-
res acciperemus, ad vestrum imperatorem confugimus:
quum a vestro præsidio plusquam hostilia patiamur,
nusquam alio, quam ad vos, querelas detulimus. Aut
vos respicietis perditas res nostras, Patres conscripti,
aut ne ab Diis quidem immortalibus quod precemur,
quidquam superest. Q. Pleniinus legatus missus est
cum præsidio ad recipiendos a Karthaginiensibus Lo-
cro, et cum eodem ibi relictus est præsidio. In hoc
legato vestro (dant enim animum ad loquendum libere
ultimæ miseræ) nec hominis quidquam est, Patres con-
scripti, præter figuram et speciem; neque Romani ci-
vis, præter habitum, vestitumque, et sonum Latinæ lin-
guæ. Pestis ac bellua inmanis, quales fretum quon-
dam, quo ab Sicilia dividimur, ad perniciem navigan-
tium circumsedisse fabulæ ferunt. At si scelus, libidi-
nemque, et avaritiam solus ipse exercere in socios res-

tros satis haberet, unam profundam quidem voraginem U. C. 548.
 tamen patientia nostra expleremus: nunc omnes centu- A. C. 204.
 riones militesque vestros (adeo in promiscuo licentiam
 atque improbitatem esse voluit) Pleminios fecit: omnes
 rapiunt, spoliant, verberant, vulnerant, occidunt: con-
 stuprant matronas, virgines, ingenuos, raptos ex com-
 plexu parentum. Quotidie capitur urbs nostra, quoti-
 die diripitur; dies noctesque omnia passim mulierum
 puerorumque, qui rapiuntur atque asportantur, plora-
 tibus sonant. Miretur, qui sciat, quomodo aut nos ad
 patiendum subficiamus, aut illos, qui faciunt, nondum
 tantarum injuriarum satietas ceperit. Neque ego exe-
 qui possum, nec vobis operæ est audire singula, quæ
 passi sumus: communiter omnia amplectar. Nego
 domum ullam Locris; nego quemquam hominem ex-
 pertem injuriæ esse; nego ullum genus sceleris, libidi-
 nis, avaritiæ superesse, quod in ullo, qui pati potuerit,
 prætermisum sit. Vix ratio iniri potest, uter casus
 civitatis sit detestabilior, quum hostes bello urbem ce-
 pere, an quum exitiabilis tyrannus vi atque armis ob-
 pressit. Omnia, quæ captæ urbes patiuntur, passi su-
 mus, et quum maxime patimur, Patres conscripti; om-
 nia, quæ crudelissimi atque inportunissimi tyranni sce-
 lera in obpressos cives edunt, Pleminius in nos, liberos-
 que nostros, et conjuges, edidit.

XVIII. Urum est, de quo nominatim et nos queri
 religio infixæ animis cogat, et vos audire, et exsolvere
 rempublicam vestram religione, si ita vobis videbitur,
 velimus, Patres conscripti. Vidimus enim, cum quanta
 ceremonia non vestros solum colatis Deos, sed etiam
 externos accipiatis. Fanum est apud nos Proserpinæ,
 de cujus sanctitate templi credo aliquam famam ad vos
 pervenisse Pyrrhi bello: qui quum, ex Sicilia rediens,

U. C. 548. *Locros classe præterveheretur, inter alia fœda, quæ*
 A. C. 204. *propter fidem erga vos in civitatem nostram facinora*
edidit, thesauros quoque Proserpinæ, intactos ad eam
diem, spoliavit: atque ita, pecunia in naves inposita,
ipse terra est profectus. Quid ergo evenit, Patres con-
scripti? Classis postero die fœdissima tempestate lace-
rata, omnesque naves, quæ sacram pecuniam habuerunt,
in litora nostra ejectæ sunt. Qua tanta clade edoctus
tandem Deos esse superbissimus rex, pecuniam omnem
conquisitam in thesauros Proserpinæ referri jussit: nec
tamen illi umquam postea prosperi quidquam evenit:
pulsusque Italia, ignobili atque inhonesta morte, temere
nocte ingressus Argos, obcubuit. Hæc quum audisset
legatus vester, tribuni que militum, et mille alia, quæ
non augendæ religionis causa, sed præsentis Deæ nu-
mine sæpe comperta nobis majoribusque nostris, refere-
bantur; ausi sunt nihilominus sacrilegas admovere ma-
nus intactis illis thesauris, et nefunda præda se ipsos
ac domos contaminare suas et milites vestros: quibus,
per, vos, fidem vestram, Patres conscripti, priusquam
eorum scelus expietis, neque in Italia, neque in Africa
quidquam rei gesseritis; ne, quod piaculum commise-
runt, non suo solum sanguine, sed etiam publica clade
luant. Quamquam ne nunc quidem, Patres conscripti,
aut in ducibus, aut in militibus vestris cessat ira Deæ.
Aliquoties jam inter se signis conlatis concucurrerunt:
dux alterius partis Pleminius, alterius duo tribuni mili-
tum erant: non acrius cum Karthaginiensibus, quam
inter se ipsi, ferro dimicaverunt: præbuisentque occa-
sionem furore suo Locros recipiendi Hannibali, ni ad-
citus ab nobis Scipio intervenisset. At, Hercule, mili-
tes contactos sacrilegio furor agitat: in ducibus ipsis
puniendis nullum Deæ numen adparuit? Immo ibi

præsens maxime fuit. Virgis cæsi tribuni ab legato sunt. Legatus deinde insidiis tribunorum interceptus, præterquam quod toto corpore laceratus, naso quoque auribusque decisis, exsanguis est relictus: recreatus deinde legatus ex vulneribus, tribunos militum in vincula coniectos, dein verberatos, servilibusque omnibus suppliciis cruciatus trucidando occidit; mortuos deinde prohibuit sepeliri. Has Dea pœnas a templi sui spoliatoribus habet: nec ante desinet omnibus eos agitare furis, quam reposita sacra pecunia in thesauris fuerit. Majores quondam nostri, gravi Crotoniensium bello, quia extra urbem templum est, transferre in urbem eam pecuniam voluerunt: noctu audita ex delubro vox est, abstinerent manus: Deam sua templa defensuram. Quia movendi inde thesauros incussa erat religio, muro circumdare templum voluerunt: ad aliquantum jam altitudinis excitata erant mœnia, quum subito conlapsa ruina sunt. Sed et nunc, et sæpe alias Dea suam sedem, suumque templum aut tutata est, aut a violatoribus gravia piacula exegit: nostras injurias nec potest, nec possit alius ulcisci, quam vos, Patres conscripti. Ad vos vestramque fidem supplices confugimus: nihil nostra interest, utrum sub illo legato, sub illo præsidio Locros esse sinatis, an irato Hannibali et Pœnis ad supplicium dedatis. Non postulamus, ut extemplo nobis, ut de absente, ut indicta causa credatis. Veniat, coram ipse audiat, ipse diluat. Si quidquam sceleris, quod homo in homines edere potest, in nos prætermisit; non recusamus, quin et nos omnia eadem iterum, si pati possumus, patiamur; et ille omni divino humanoque liberetur scelere.

XIX. Hæc quum ab legatis dicta essent, quæsissetque ab iis Q. Fabius, detulissentne eas querelas

U. C. 548.

A. C. 204.

U. C. 548. ad P. Scipionem; responderunt, *missos legatos esse;*
 A. C. 204. *sed eum belli adparatu occupatum esse: et in Africam*
 Fabii sententia a- *aut jam trajecisse, aut intra paucos dies trajecturum.*
 trox in Sci- *Et, legati gratia quanta esset apud imperatorem, ex-*
 pionem. *pertos esse: quum, inter eum et tribunos cognita causa,*
tribunos in vincula conjecerit; legatum æque sontem,
aut magis etiam, in ea potestate reliquerit. Jussis ex-
cedere e templo legatis, non Pleminius modo, sed
etiam Scipio, principum orationibus lacerari: ante
omnes Q. Fabius, natum eum ad conrumpendam
disciplinam militarem, arguere. Sic et in Hispania
plus prope per seditionem militum, quam bello, amis-
sum: externo et regio more et indulgere licentiæ mili-
tum, et sævire in eos. Sententiam deinde æque trucem
orationi adjecit. Pleminium legatum vinctum Ro-
mam deportari placere, et ex vinculis caussum dicere:
æc, si vera forent, quæ Locrenses quererentur, in car-
cere necari, bonaque ejus publicari. P. Scipionem, quod
de provincia decessisset injussu senatus, revocari: agi-
que cum tribunis plebis, ut de imperio ejus abrogando
ferrent ad populum. Locrensibus coram senatum re-
spondere, Quas injurius sibi factas quererentur, eas
neque senatum, neque populum Romanum factas velle.
Viros bonos, sociosque, et amicos eos adpellari: liberos,
conjuges, quæque aliu erepta essent, restitui: pecuniam,
quanta ex thesauris Proserpinæ sublata esset, conquiri,
duplamque pecuniam in thesauros reponi: et sacrum-
piaculare fieri, ita ut prius ad collegium pontificum-
referretur, quod sacri thesauri moti, violati essent, quæ
piacula, quibus Diis, quibus hostiis, fieri placeret. Mi-
lites, qui Locris essent, omnes in Siciliam transportari:
quatuor cohortes sociorum Latini nominis in præsidium
Locros adduci. Perrogari eo die sententiæ, accensis

studiis pro Scipione et adversus Scipionem, non potuerunt. Præter Pleminii facinus Locrensiūque eadem, ipsius etiam imperatoris non Romanus modo, sed ne militaris quidem cultus jactabatur: *cum pallio crepidisque inambulare in gymnasio, libellis eum palæstræque operam dare: æque segniter molliterque cohortem totam Syracusarum amœnitate frui: Karthaginem atque Hannibalem excidisse de memoria: exercitum omnem licentia corruptum, qualis Sucrone in Hispania fuerit, qualis nunc Locris, sociis magis, quam hosti, metuendum.*

XX. Hæc quamquam partim vera, partim mixta, eoque similia veris jactabantur, vicit tamen Q. Metelli sententia: qui, de ceteris Maximo adsensus, de Scipionis causa dissensit. *Qui enim convenire, quem modo civitas juvenem admodum recuperandæ Hispaniæ delegerit ducem, quem, recepta ab hostibus Hispania, ad inponendum Punico bello finem creaverit consulem, spe destinaverit Hannibalem ex Italia detracturum, Africam subacturum, eum repente, tamquam Q. Pleminium, indicta causa prope damnatum, ex provincia revocari? quum ea, quæ in se nefarie facta Locrenses quererentur, ne præsentem quidem Scipione facta dicerent, neque aliud quam patientia, aut pudor, quod legato pepercisset, insimulari possit? Sibi placere, M. Pomponium prætorem, cui Sicilia provincia sorte evenisset, triduo proximo in provinciam proficisci: consules decem legatos, quos iis videretur, ex senatu legere, quos cum prætore mitterent, et duos tribunos plebei, atque ædilem: cum eo consilio prætorem cognoscere: si ea, quæ Locrenses facta quererentur, jussu aut voluntate P. Scipionis facta essent, ut eum de provincia decedere juberent. Si P. Scipio jam in Africam tra-*

U. C. 548.
A. C. 204.
Objectus
Scipioni
cultus li-
centior.

Metelli sen-
tentia de
Scipione.

U. C. 548. *jecisset, tribuni plebis atque ædilis cum duobus legatis,*
 A. C. 204. *quos maxime prætor idoneos censuisset, in Africam proficiscerentur: tribuni atque ædilis, qui reducerent inde Scipionem: legati, qui exercitui præessent, donec novus imperator ad eum exercitum venisset. Sin M. Pomponius et decem legati comperissent, neque jussu, neque voluntate P. Scipionis ea facta esse, ut ad exercitum Scipio maneret, bellumque, ut proposuisset, gereret. Hoc facto senatusconsulto, cum tribunis plebis actum est, ut compararent inter se, aut sorte legerent, qui duo cum prætore ac legatis irent. Ad collegium pontificum relatum de expiandis, quæ Locris in templo Proserpinæ tacta, violata, elataque inde essent. Tribuni plebis cum prætore et decem legatis profecti M. Claudius Marcellus et M. Cincius Alimentus: iis ædilis plebis datus, quem, si aut in Sicilia prætori dicto audiens non esset Scipio, aut jam in Africam trajecisset, prendere tribuni juberent, ac jure sacrosanctæ potestatis reducerent. Prius Locros ire, quam Messanam, consilium erat.*

XXI. Ceterum duplex fama est, quod ad Pleminium adinet: alii, auditis, quæ Romæ acta essent, in exsilium Neapolim euntem forte in Q. Metellum, unum ex legatis, incidisse, et ab eo Rhegium vi retractum tradunt: alii, ab ipso Scipione legatum cum triginta nobilissimis equitum missum, qui Q. Pleminium in catenas, et cum eo seditionis principes, conjicerent. Ii omnes, seu ante Scipionis, seu tum prætoris jussu, traditi in custodiam Rheginis. Prætor legatique Locros profecti primam, sicuti mandatum erat, religionis curam habuere: omnem enim sacram pecuniam, quæque apud Pleminium, quæque apud milites erat, conquistam, cum.

Pleminius in vincula conjectus.

Sacra pecunia in thesauris Proserpinæ reponitur

ea quam ipsi secum adtulerant, in thesauris reposituerunt, ac piaculare sacrum fecerunt: tum vocatos ad concionem milites prætor signa extra urbem efferre jubet, castraque in campo locat, cum gravi edicto, *Si quis miles aut in urbe restitisset, aut secum extulisset, quod suum non esset. Locrensibus se permittere, ut, quod sui quisque cognosset, prehenderet: si quid non compareret, repeteret. Ante omnia, libera corpora placere sine mora Locrensibus restitui: non levi defuncturum pœna, qui non restituisset. Locrensi-um deinde concionem habuit, atque, iis libertatem legesque suas populum Romanum senatumque restituere, dixit. Si qui Pleminium aliumve quem accusare vellet, Rhegium se sequeretur. Si de P. Scipione publice queri vellent, ea, quæ Locris nefarie in Deos hominesque facta essent, jussu aut voluntate P. Scipionis facta esse, legatos mitterent Messanam; ibi se cum consilio cogniturum. Locrenses prætori legatisque, et senatui ac populo Romano gratias egere: se ad Pleminium accusandum ituros. Scipionem, quamquam parum injuriis civitatis suæ doluerit, eum esse virum, quem amicum sibi, quam inimicum, malint esse: pro certo se habere, neque jussu, neque voluntate P. Scipionis tot tam nefanda commissa: aut Pleminio nimium, aut sibi parum creditum. Natura insitum quibusdam esse, ut magis peccari nolint, quam satis animi ad vindicanda peccata habeant. Et prætori et consilio haud mediocre onus dentum erat de Scipione cognoscendi. Pleminium, et ad duo et triginta homines cum eo damnaverunt, atque in catenis Romam miserunt: ipsi ad Scipionem profecti sunt, ut ea quoque, quæ vulgata sermonibus erant de cultu ac desidia*

U. C. 548:
A. C. 204.

U. C. 548. imperatoris solutaque militiæ disciplina, comperta
 A. C. 204. oculis perferrent Romam.

Scipio res, non verba, ad purgandum se paravit: exercitum omnem eo convenire, classem expediri jussit, tamquam dimicandum eo die terra marique cum Karthaginensibus esset. Quo die venerunt, hospitio comiter acceptis postero die terrestrem navalemque exercitus, non instructos modo, sed hos decurrentes, classem in portu, simulacrum et ipsam edentem navalis pugnae, ostendit: tum circa armamentaria et horrea aliumque belli adparatum visendum prætor legatique ducti. Tantaque admiratio singularum universarumque rerum incussa, ut satis crederent, aut illo duce atque exercitu vinci Karthaginiensem populum, aut nullo alio posse: juberentque, quod Dii bene verterent, trajicere, et spei conceptæ, quo die illum omnes centuriæ priorem consulem dixissent, primo quoque tempore compotem populum Romanum facere: adeoque lætis inde animis profecti sunt, tamquam victoriam, non belli magnificum adparatum, nunciaturi Romam essent. Pleminius, qui in eadem causa erant, postquam Romam est ventum, extemplo in carcerem conditi: ac primo producti ad populum ab tribunis, apud præoccupatos Locrensi clade animos, nullum misericordiæ locum habuerunt: postea, quum sæpius producerentur, jam senescente invidia, molliabantur iræ: et ipsa deformitas Pleminii memoriaque absentis Scipionis favorem ad vulgum conciliabat. Mortuus tamen prius in vinculis est, quam judicium de eo populi perficeretur. Hunc Pleminium Clodius Lici-

Pleminius
 in vinculis
 moritur.

nus in libro tertio rerum Romanarum refert, ludis votivis, quos Romæ Africanus iterum consul faciebat, conatum per quosdam, quos pretio conruperat, aliquot locis urbem incendere, ut frangendi carceris fugiendique haberet occasionem : patefacto dein scelere, delegatum in Tullianum ex senatusconsulto. De Scipione nusquam, nisi in senatu, actum : ubi omnes legati et tribuni, classem eam, exercitum, duceque verbis extollentes, effecerunt, ut senatus censeret, primo quoque tempore in Africam trajiciendum ; Scipionique permetteretur, ut ex iis exercitibus, qui in Sicilia essent, ipse legeret, quos in Africam secum trajiceret, quos provinciæ relinqueret præsidio.

XXIII. Dum hæc apud Romanos geruntur, Karthaginienses quoque, quum, speculis per promontoria omnia positis, percunctantes paventesque ad singulos nuncios sollicitam hiemem egissent, haud parvum et ipsi tuendæ Africæ momentum adjecerunt societatem Syphacis regis, cujus maxime fiducia trajecturum in Africam Romanum crediderunt. Erat Hasdrubali Gisgonis filio non hospitium modo cum rege, de quo ante dictum est, quum ex Hispania forte in idem tempus Scipio atque Hasdrubal convenerunt : sed mentio quoque inchoata adfinitatis, ut rex duceret filiam Hasdrubalis. Ad eam rem con-

Hasdrubalis filiam ducit Syphax.

summandam tempusque nuptiis statuendum (jam enim et nubilis erat virgo) profectus Hasdrubal, ut accensum cupiditate (et sunt ante omnes Numidæ barbaros effusi in Venerem) sensit, virginem ab Karthagine arcessit, maturatque nuptias : et inter aliam gratulationem, ut publicum quoque fædus privato adjiceretur, societas inter populum Karthagi-

U. C. 548.

A. C. 204.

U. C. 548. niensem regemque, data ultro citroque fide, eosdem
 A. C. 204. amicos inimicosque habituros, jurejurando adfirmatur. Ceterum Hasdrubal, memor et cum Scipione in itæ regi societatis, et quam vana et mutabilia barbarorum ingenia essent, veritus, ne, si trajiceret in Africam Scipio, parvum vinculum eæ nuptiæ essent, dum accensum recenti amore Numidam habet, perpellit, blanditiis quoque puellæ adhibitis, ut legatos in Siciliam ad Scipionem mittat, per quos moneat eum, *Ne prioribus suis promissis fretus in Africam trajiciat. Se et nuptiis civis Karthaginiensis, filiæ Hasdrubalis, quem viderit apud se in hospitio, et publico etiam fœdere cum populo Karthaginiensi junctum. Optare primum, ut procul ab Africa, sicut adhuc fecerint, bellum Romani cum Karthaginiensibus gerant, ne sibi interesse certaminibus eorum, armaque aut hæc, aut illa, abnuentem alteram societatem, sequi necesse sit. Si non abstineat Africa Scipio, et Karthagini exercitum admoveat, sibi necessarium fore, et pro terra Africa, in qua et ipse sit genitus, et pro patria conjugis suæ, proque parente ac penatibus dimicare.*

Scipioni
amicitiam
renunciat.

XXIV. Cum his mandatis ab rege legati ad Scipionem missi, Syracusis eum convenerunt. Scipio, quamquam magno momento rerum in Africa gerendarum magnaque spe destitutus erat, legatis prope, priusquam res vulgaretur, remissis in Africam, literas dat ad regem, quibus etiam atque etiam monet eum, *Ne jura hospitii secum, neu cum populo Romano in itæ societatis, neu fas, fidem, dextras, Deos testes atque arbitros conventorum, fallat.* Ceterum, quando neque celari adventus Numidarum poterat, (vagati enim in urbe, obversatique prætorio erant) et, si sileretur, quid petentes venissent, periculum

Quam
rem sedu-
lo dissi-
mulat
apud mili-
tes Scipio.

erat, ne vera eo ipso, quod celarentur, sua sponte magis emanarent, timorque in exercitum incideret, ne simul cum rege et Karthaginiensibus foret bel-
landum, avertit a vero falsis præoccupando mentes hominum. Et, vocatis ad concionem militibus, *Non ultra esse cunctandum*, ait. *Instare, ut in Africam quamprimum trajiciat, socios reges. Masinissam prius ipsum ad Lælium venisse, querentem, quod cunctando tempus tereretur: nunc Syphacem mittere legatos, idem admirantem, quæ tam diuturnæ moræ sit caussa: postulantemque, ut aut trajiciatur tandem in Africam exercitus, aut, si mutata consilia sint, certior fiat, ut et ipse sibi ac regno suo possit consulere. Itaque, paratis jam omnibus instructisque, et re jam non ultra recipiente cunctationem, in animo sibi esse, Lilybæum classe traducta, eodemque omnibus peditum equitumque copiis contractis, quæ prima dies cursum navibus daret, Deis bene juvantibus, in Africam trajicere. Literas ad M. Pomponium mittit, ut, si ei videretur, Lilybæum veniret: ut communiter consulerent, quas potissimum legiones, et quantum militum numerum in Africam trajiceret: item circum oram omnem maritimam misit, ut naves onerariæ comprehensæ Lilybæum omnes contraherentur. Quidquid militum naviumque in Sicilia erat, quum Lilybæum convenissent, et nec urbs multitudinem hominum, nec portus naves caperet, tantus omnibus ardor erat in Africam trajiciendi, ut non ad bellum duci viderentur, sed ad certa victoriæ præmia: præcipue, qui superabant ex Cannensi exercitu, milites, illo, non alio duce, credebant, navata reipublicæ opera, finire se militiam ignominiosam posse. Et Scipio minime*

U. C. 548.

A. C. 204.

It Lilybæum.

U. C. 543. id genus militum adspernabatur: ut qui neque ad
 A. C. 204. Cannas ignavia eorum cladem acceptam sciret, ne-
 que ullos æque veteres milites in exercitu Romano
 esse, expertosque non variis præliis modo, sed urbi-
 bus etiam obpugnandis. Quinta et sexta Cannenses
 erant legiones: eas se trajecturum in Africam quum
 dixisset, singulos milites inspexit: relictisque, quos
 non idoneos credebat, in locum eorum subiecit, quos
 secum ex Italia adduxerat; supplevitque ita eas le-
 giones, ut singulæ sena millia et ducenos pedites,
 trecenos haberent equites: sociorum item Latini
 nominis pedites equitesque de exercitu Cannensi
 legit.

XXV. Quantum militum in Africam transporta-
 tum sit, non parvo numero inter auctores discrepat.
 Alibi decem millia peditum, duo millia et ducentos
 equites, alibi sedecim millia peditum, mille et sex-
 centos equites; alibi parte plus dimidia rem auctam,
 quinque et triginta millia peditum equitumque in
 naves inposita invenio: quidam non adjecere nume-
 rum: inter quos me ipse in re dubia poni malim.
 Cælius, ut abstinet numero, ita ad immensum mul-
 titudinis speciem auget. Volucres ad terram delapsas
 clamore militum ait, tantamque multitudinem conscendisse naves, ut nemo mortalium, aut in Italia, aut
 in Sicilia, relinqui videretur. Milites ut in naves or-
 dine ac sine tumultu conscenderent, ipse eam sibi
 curam sumpsit: nauticos C. Lælius, qui classis præfec-
 tus erat, in navibus, ante conscendere coactos, con-
 tinuit. Commeatus inponendi M. Pomponio præ-
 tori cura data: quinque et quadraginta dierum ciba-
 ria, e quibus quindecim dierum cocta, inposita. Ut

Copiæ na-
 ves con-
 scendunt.

omnes jam in navibus erant, scaphas circummisit, U. C. 548.
A. C. 204. ut ex navibus gubernatoresque et magistri navium et bini milites in forum convenirent ad imperia accipienda. Postquam convenerunt, primum ab iis quæsit, si aquam hominibus jumentisque in totidem dies, quot frumentum, inposuissent. Ubi responderunt, aquam dierum quinque et quadraginta in navibus esse; tum edixit militibus, ut silentium quieti nautis sine certamine ad ministeria exsequenda bene obediens præstarent: cum viginti rostratis se ac L. Scipionem ab dextro cornu, lævum, totidem rostratas, et C. Lælium præfectum classis cum M. Porcio Catone (quæstor is tum erat) onerariis futurum præsidio. Lumina in navibus singula rostratæ, bina onerariæ haberent: in prætoria nave insigne nocturnum trium luminum fore. Emporia ut peterent, gubernatoribus edixit. Fertilissimus ager, eoque abundans omnium copia rerum est regio, et inbelles (quod plerumque in uberi agro evenit) barbari sunt: priusque, quam Karthagine subveniretur, obprimi videbantur posse. Iis editis imperiis, redire ad naves jussi: et postero die, Deis bene juvantibus, signo dato solvere naves.

XXVI. Multæ classes Romanæ e Sicilia atque ipso illo portu profectæ erant. Ceterum non eo bello solum, (nec id mirum, prædatum enim tantummodo pleræque classes ierant) sed ne priore quidem, ulla profectio tanti spectaculi fuit: quamquam si magnitudine classis æstimaretur, et bini consules cum binis exercitibus ante trajecerant; et prope totidem rostratæ in illis classibus fuerant, quot onerariis Scipio tum trajiciebat: nam, præter quadraginta longas naves, quadringentis ferme onerariis ex-

U. C. 548. ereitum transvexit. Sed et bellum bello, secundum
 A. C. 201. priore, ut atrocius Romanis videretur, quum quod
 in Italia bellabatur, tum ingentes strages tot exer-
 cituum, simul cæsis ducibus, effecerant: et Scipio
 dux, partim factis fortibus, partim suapte fortuna qua-
 dam ingentis ad incrementa gloriæ celebratus, con-
 verterat animos: simul et mens ipsa trajiciendi,
 nulli ante eo bello duci tentata, quod ad Hanniba-
 lem detrahendum ex Italia, transferendumque et
 finiendum in Africa bellum, se transire vulgaverat.
 Concurrerat ad spectaculum in portum omnis turba,
 non habitantium modo Lilybæi, sed legationum om-
 nium ex Sicilia: quæ et ad prosequendum Scipio-
 nem officii causa convenerant, et prætorem provin-
 ciæ M. Pomponium secutæ fuerant: ad hoc legio-
 nes, quæ in Sicilia relinquebantur, ad prosequendos
 commilitones processerant: nec classis modo pro-
 spectantibus e terra, sed terra etiam omnis circa re-
 ferta turba spectaculo navigantibus erat.

Scipionis
 precatio.

XXVII. Ubi iuluxit, Scipio e prætoria nave, si-
 lentio per præconem facto, *Divi Divæque*, inquit,
maria terrasque qui colitis, vos precor quæsoque, uti,
quæ in meo imperio gesta sunt, geruntur, postque ge-
rentur, ea mihi, populo plebique Romanæ, sociis nomi-
nique Latino, qui populi Romani, quique meam sectam,
imperium, auspiciumque terra, mari, amnibusque se-
quuntur, bene verruncent: eaque vos omnia bene juve-
tis: bonis auctibus auxitis: salvos incolumesque, victis
perduellibus victores, spoliis decoratos, præda onustos
triumphantesque, mecum domos reduces sistatis: inimi-
corum hostiumque ulciscendorum copiam faxitis: quæ-
que populus Karthaginiensis in civitatem nostram fa-
cere molitus est, ea ut mihi populoque Romano in civi-

tatem *Karthaginiensium exempla edendi facultatem* U. C. 548.
detis. Secundum eas preces cruda cæta victimæ, uti A. C. 204.
 mos est, in mare porricit, tubaque signum dedit proficiscendi. Vento secundo vehementi satis profecti, celeriter e conspectu terræ ablati sunt: et a meridie nebula ocepit, ita ut vix concursus navium inter se vitarent: lenior ventus in alto factus: noctem insequentem eadem caligo obtinuit: sole orto est discussa, et addita vis vento. Jam terram cernebant: haud ita multo post gubernator Scipioni ait, *non plus quinque millia passuum Africam abesse: Mercurii promontorium se cernere: si jubeat eo dirigi, jam in portu fore omnem classem.* Scipio, ut in conspectu terra fuit, precatus, uti bono reipublicæ suoque Africam viderit, dare vela, et alium infra navibus accessum petere jubet. Vento eodem ferebantur: ceterum nebula sub idem ferme tempus, quo pridie, exorta conspectum terræ ademit, et ventus premente nebula cecidit. Nox deinde incertiora omnia fecit: itaque ancoras, ne aut inter se concurrerent naves, aut terræ inferrentur, jecere. Ubi inluxit, ventus idem coortus, nebula disjecta, aperuit omnia Africæ litora. Scipio, quod esset proximum promontorium, percunctatus, quum Pulchri promontorium id vocari Ad Pulchri
 audisset, *Placet omen, inquit; huc dirigite naves.* Eo prom. ad-
 classis decurrit: copiæ omnes in terram expositæ pellit.
 sunt. Prosperam navigationem sine terrore ac tumultu fuisse, permultis Græcis Latinisque auctoribus credidi: Cælius unus præterquam quod non mersas fluctibus naves, ceteros omnes cœlestes maritimosque terrores, postremo abreptam tempestate ab Africa classem ad insulam Ægimurum, inde ægre conrectum cursum, exponit: et, prope obrutis navi-

U. C. 548. bus, injussu imperatoris, scaphis, haud secus quam
 A. C. 204. naufragos, milites sine armis cum ingenti tumultu
 in terram evasisse.

Terror in
 Atrica.

XXVIII. Expositis copiis, Romani castra in proximis tumulis metantur. Jam non in maritimos modo agros, conspectu primum classis, dein tumultu egredientium in terram, pavor terrorque pervenerat, sed in ipsas urbes: neque enim hominum modo turba, mulierum puerorumque agminibus inmixta, omnes passim compleverat vias, sed pecora quoque præ se agrestes agebant; ut relinqui subito Africam diceres. Urbibus vero ipsis majorem, quam quem secum adtulerant, terrorem inferebant: præcipue Karthaginis prope ut captæ tumultus fuit. Nam post M. Atilium Regulum et L. Manlium consules, annis prope quinquaginta, nullum Romanum exercitum viderant, præter prædatorias classes, quibus excensiones in agros maritimos factæ erant: raptisque, quæ obvia fors fecerat, prius recursum semper ad naves, quam clamor agrestes conciret, fuerat: eo major tum fuga pavorque in urbe fuit. Et, Hercule, neque exercitus domi validus, neque dux, quem obponerent, erat. Hasdrubal, Gisgonis filius, genere, fama, divitiis, regia tum etiam adfinitate, longe primus civitatis erat: sed eum ab illo ipso Scipione aliquot præliis fusum pulsumque in Hispania meminerant: nec magis ducem duci parem, quam tumultuarium exercitum suum Romano exercitui esse. Itaque, velut si urbem extemplo adgressurus Scipio foret, ita ad arma est conclamatum: portæque raptim clausæ, et armati in muris, vigiliæque et stationes dispositæ, ac nocte insequenti vigilatum est. Postero die quingenti equites, specula-

tum ad mare turbandosque egredientes ex navibus U. C. 545.
 missi, in stationes Romanorum inciderunt: jam enim A. C. 204.
 Scipio, classe Uticam missa, ipse haud ita multum
 progressus a mari, tumulos proximos ceperat;
 equites et in stationibus locis idoneis posuerat, et
 per agros miserat prædatum.

XXIX. Ii cum Karthaginiensi equitatu prælium Scipio agros
 quum commisissent, paucos in ipso certamine, ple- populatur,
 rosque fugientes persecuti (in quibus præfectum quo- victo equi-
 que Hannonem, nobilem juvenem) occiderunt. Sci- tatu Kar-
 pio non agros modo circa vastavit, sed urbem etiam thaginiensi.
 proximam Afrorum satis opulentam cepit: ubi præ-
 ter cetera, quæ extemplo in naves onerarias inpo-
 sita, missaque in Siciliam erant, octo millia libero-
 rum servorumque capitum sunt capta. Lætissimus Masinissa
 tamen Romanis in principio rerum gerendarum ad ad Roma-
 ventus fuit Masinissæ: quem quidam cum ducentis nos venit.
 haud amplius equitibus, plerique cum duûm millium
 equitatu tradunt venisse. Ceterum quum longe
 maximus omnium ætatis suæ regum hic fuerit, plu-
 rimumque rem Romanam juverit, operæ pretium
 videtur excedere paullulum ad enarrandum, quam
 varia fortuna usus sit in amittendo recuperandoque
 paterno regno. Militanti pro Karthaginiensibus in Ejus varia
 Hispania pater ei moritur: Galæ nomen erat. Reg- fortuna.
 num ad fratrem regis Œsalcem, pergrandem natu,
 (mos ita apud Numidas est) pervenit: haud multo
 post, Œsalce quoque mortuo, major ex duobus filiis
 ejus Capusa, puero admodum altero, paternum im-
 perium accepit. Ceterum quum magis jure gentis,
 quam auctoritate inter suos aut viribus, obtineret
 regnum; exstitit quidam, Mezetulus nomine, non
 alienus sanguine regibus, familiæ semper inimicæ,

U. C. 548. ac de imperio varia fortuna cum iis, qui tum ob-
 A. C. 204. tinebant, certantis. Is, concitatis popularibus, apud
 quos, invidia regum, magnæ auctoritatis erat, cas-
 tris palam positus, descendere regem in aciem, ac
 dimicare de regno coëgit: in eo prælio Capusa cum
 multis principum cecidit, gens Massylorum omnis in
 ditionem imperiumque Mezetuli concessit: regio ta-
 men nomine abstinuit: contentusque nomine modico
 tutoris, puerum Lacumacen, qui stirpis regiæ super-
 erat, regem adpellat. Karthaginiensem nobilem
 feminam, sororis filiam Hannibalis, quæ proxime
 Cæsali regi nupta fuerat, matrimonio sibi jungit,
 spe Karthaginiensium societatis; et cum Syphace
 hospitium vetustum legatis missis renovat, omnia ea
 auxilia præparans adversus Masinissam.

XXX. Et Masinissa, audita morte patruï, dein
 nece fratris patruelis, ex Hispania in Mauritaniam
 (Bocchar ea tempestate rex Maurorum erat) traji-
 cit: ab eo supplex iufimis precibus auxilium itineri,
 quoniam bello non poterat, quatuor millia Mauro-
 rum inpetravit. Cum iis, præmisso nuncio ad pa-
 ternos suosque amicos, quum ad fines regni perve-
 nisset, quingenti ferme Numidæ ad eum convene-
 runt. Igitur Mauris inde, sicut convenerat, retro
 ad regem remissis, quamquam aliquanto minor spe
 multitudo, nec enim qua tantam rem adgredi satis
 auderet, conveniret; ratus agendo ac moliendo vires
 quoque ad agendum aliquid conlecturum, proficis-
 centi ad Syphacem Lacumaci regulo ad Thapsum
 obcurrit. Trepidum agmen quum in urbem refugis-
 set, urbem Masinissa primo inpetu capit: ex regiis
 alios tradentes se recipit, alios vim parantes occidit:
 pars maxima cum ipso puero inter tumultum ad Sy-

phacem, quo primum intenderant iter, pervenerunt. U. C. 543.
A. C. 204.
Fama hujus modicæ rei, in principio rerum prospere actæ, convertit ad Masinissam Numidas: adfluebantque undique ex agris vicisque veteres milites Galæ, et invitabant juvenem ad recuperandum paternum regnum. Numero militum aliquantum Mezetulus superabat: nam et ipse eum exercitum, quo Capusam vicerat, et ex receptis post cædem regis aliquot habebat: et puer Lacumaces ab Syphace auxilia ingentia adduxerat: quindecim millia peditum Mezetulo, decem millia equitum erant. Quibuscum Masinissa, nequaquam tantum peditum equitumve habens, acie conflixit: vicit tamen et veterum militum virtus, et prudentia inter Romana et Punica arma exercitati ducis. Regulus cum tutore et exigua Masæsyolorum manu in Karthaginensium agrum perfugit. Ita recuperato regno paterno, Masinissa, quia sibi adversus Syphacem haud paullo majorem restare dimicationem cernebat, optimum ratus cum fratre patruele gratiam reconciliare, missis, qui et puero spem facerent, si in fidem Masinissæ sese permisisset, futurum in eodem honore, quo apud Galam Œsalces quondam fuisset; et qui Mezetulo, præter impunitatem, sua omnia cum fide restitui sponderent; ambo præoptantes exilio modicam domi fortunam (omnia, ne id fieret, Karthaginensibus de industria agentibus) ad sese perduxit.

XXXI. Hasdrubal tum forte, quum hæc gerebantur, apud Syphacem erat: qui Numidæ, haud sane multum ad se pertinere credenti, utrum penes Lacumacen, an Masinissam, regnum Massyolorum esset, Syphacem
Hasdrubal
in Masinissam
instigat.
falli eum magnopere, ait, si Masinissam eisdem contentum fore, quibus patrem Galam, aut patrum ejus

U. C. 548. *Æsalcem, credat : multo majorem indolem in eo animi*

A. C. 204. *ingeniūque esse, quam in ullo gentis ejus umquam fuisset. Sæpe eum in Hispania raræ inter homines virtutis specimē dedisse sociis pariter hostibusque : et Syphacem, et Karthaginienses, nisi orientem illum ignem obpressissent, ingenti mox incendio, quum jam nullam opem ferre possent, arsuros. Adhuc teneras et fragiles ejus vires esse, vixdum coulescens foventis regnum. Instando stimulandoque pervincit, ut exercitum ad fines Massylorum admoveat ; atque in agro, de quo sæpe cum Gala non verbis modo disceptatum, sed etiam armis certatum fuerat, tamquam haud dubie juris sui, castra locet. Si quis arceat, id quod maxime opus sit, acie dimicaturum : sin per metum agro cedatur, in medium regnum eundem : aut sine certamine concessuros in ditionem ejus Massylos, aut nequaquam pares futuros armis. His vocibus incitatus Syphax Masinissæ bellum infert, et primo certamine Massylos fundit fugatque. Masinissa cum paucis equitibus ex acie in montem (Balbum incolæ vocant) perfugit : familiæ aliquot cum mapalibus pecoribusque suis (ea pecunia illis est) persecuti sunt regem : cetera Massylorum multitudo in ditionem Syphacis concessit. Quem ceperant exsules montem, herbidus aquosusque est ; et, quia pecori bonus alendo erat, hominum quoque, carne ac lacte, vescentium, abunde subiciebat alimentis. Inde nocturnis primo ac furtivis incursionibus, deinde aperto latrocinio, infesta omnia circa esse : maxime uri Karthaginiensis ager, quia et plus prædæ, quam inter Numidas, et latrocinium tutius erat : jamque adeo licenter eludebant, ut ad mare devectam prædam venderent mercatoribus, adpellentibus naves ad*

Syphax
vincit Ma-
sinissam.

id ipsum; pluresque, quam justo sæpe in bello, U. C. 518.
 Karthaginiensium caderent caperenturque. Deplo- A. C. 204.
 rabant ea apud Syphacem Karthaginienses, infen-
 sumque et ipsum ad reliquias belli persequendas in-
 stigabant: sed vix regium videbatur, latronem va-
 gum in montibus consecrari.

XXXII. Bocchar, ex præfectis regiis vir acer et
 inpiger, ad id delectus: ei data quatuor millia pedi-
 tum, duo equitum: præmiorumque ingentium spe
 oneratus, si caput Masinissæ retulisset, aut vivum
 (id vero inæstimabile gaudium fore) cepisset, pala-
 tos incurioseque agentes improviso adortus, peco-
 rum hominumque ingenti multitudine a præsidio ar-
 matorum exclusa, Masinissam ipsum cum paucis in
 verticem montis compellit. Inde, prope ut jam de-
 bellato, nec præda modo pecorum hominumque cap-
 torum missa ad regem, sed copiis etiam, ut aliquan-
 to majoribus, quam pro reliquiis belli, remissis, cum
 quingentis haud amplius peditibus ducentisque equi-
 tibus, degressum jugis Masinissam persecutus, in valle
 arta, faucibus utrimque obsessis, inclusit: ibi ingens
 cædes Massylorum facta. Masinissa cum quinquaginta
 haud amplius equitibus per amfractus montis
 ignotos sequentibus se eripuit. Tenuit tamen vesti-
 gia Bocchar: adeptusque eum patentibus prope Clu-
 peam urbem campis, ita circumvenit, ut, præter qua-
 tuor equites, omnes ad unum interficeret: cum iis
 ipsum quoque Masinissam saucium prope e manibus
 inter tumultum amisit. In conspectu erant fugien-
 tes; ala equitum, dispersa toto campo, quibusdam,
 ut obcurrerent, per obliqua tendentibus, quinque
 hostes sequebatur: amnis ingens fugientes accepit,
 (neque enim cunctanter, ut quos major metus urge-

U. C. 548. ret, inniserant equos) raptique gurgite, et in obli-
 A. C. 204. quum prælati: duobus in conspectu hostium in præ-
 Insilit rapidum gurgitem haustis, ipse periisse creditus: at
 Masinissa duo reliqui equites cum eo inter virgulta ulterioris
 in flu- ripæ emerferunt. Is finis Bocchari sequendi fuit,
 vium, un- nec ingredi flumen auso, nec habere credenti se jam,
 de cum quem sequeretur. Inde vanus auctor absumti Ma-
 duobus sinissæ ad regem rediit; missique, qui Karthaginem
 emergit. gaudium ingens nunciarent: totaque Africa fama
 mortis Masinissæ repleta varie animos adfecit. Ma-
 sinissa in spelunca occulta, quum herbis curaret vul-
 nus, duorum equitum latrocinio per dies aliquot
 vixit: ubi primum ducta cicatrix, patique posse visa
 jactationem, audacia ingenti perguit ire ad regnum
 repetendum: atque, in ipso itinere haud plus qua-
 draginta equitibus conlectis, quum in Massylos, pa-
 lam jam quis esset ferens, venisset, tantum motum
 quum favore pristino, tum gaudio insperato, quod,
 quem periisse crediderant, incolumem cernebant, fe-
 cit, ut intra paucos dies sex millia peditum armato-
 rum, quatuor equitum, ad eum convenirent: jam-
 que non in possessione modo paterni regni esset,
 sed etiam socios Karthaginensium populos Masæ-
 sylorumque fines (id Syphacis regnum erat) vasta-
 ret: inde, irritato ad bellum Syphace, inter Cirtam
 Hipponemque in jugis opportunorum ad omnia moun-
 tium consedit.

Syphax
 adversus
 eum con-
 tendit.

XXXIII. Majorem igitur eam rem Syphax ratus,
 quam ut per præfectum ageret, cum filio juvene (no-
 men Verminæ erat) parte exercitus missa, imperat,
 ut, circumducto agmine, in se intentum hostem ab
 tergo invadat. Nocte profectus Vermina, qui ex
 occulto adgressurus erat: Syphax autem interdum

aperto itinere, ut qui, signis conlatis, acie dimicaturus esset, movit castra. Ubi tempus visum est, quo pervenisse jam circummissi videri poterant, et ipse leni clivo ferente ad hostem, quum multitudine fretus, tum præparatis ab tergo iusidiis, per adversum montem erectam aciem ducit. Masinissa fiducia maxime loci, quo multo æquiore pugnaturus erat, et ipse dirigit suos. Atrox prælium et diu anceps fuit; loco et virtute militum Masinissam, multitudine, quæ nimio major erat, Syphacem juvante. Ea multitudo divisa, quum pars a fronte urgeret, pars a tergo se circumfudisset, victoriam haud dubiam Syphaci dedit: et ne effugium quidem patebat hinc a fronte, hinc ab tergo inclusis. Itaque ceteri pedites equitesque cæsi aut capti: ducentos ferme equites Masinissa circa se conglobatos, divisosque turnatim in tres partes, erumpere jubet; loco prædicto, in quem ex dissipata convenirent fuga. Ipse, qua intendebat, inter media tela hostium evasit: duæ turmae hæere: altera metu dedita hosti; pertinacior in repugnando telis obruta et confixa est. Verminam prope vestigiis instantem, in alia atque alia flectendo itinera eludens, tædio et desperatione tandem fessum, absistere sequendo coëgit: ipse cum sexaginta equitibus ad minorem Syrtim pervenit. Ibi cum conscientia egregia sæpe repetiti regni paterni, inter Punica Emporia gentemque Garamantum omne tempus, usque ad C. Lælii classisque Romanæ adventum in Africam, consumsit. Hæc animum inclinant, ut cum modico potius, quam cum magno præsidio equitum, ad Scipionem quoque postea venisse Masinissam credam: quippe illa regnantis multitudo, hæc paucitas exsulis fortunæ conveniens est.

U. C. 548.

A. C. 204.

Masinissa
victus cum
paucis eva-
dit.

U. C. 545.
A. C. 204.
Karthagi-
nienses
novum
equitatum
sibi com-
parant.

XXXIV. Karthaginienses, ala equitum cum præfecto amissa, alio equitatu per novum delectum comparato, Hannonem Hamilcaris filium præficiunt. Hasdrubalem subinde ac Syphacem per literas nunciosque, postremo etiam per legatos, arcessunt: Hasdrubalem opem ferre prope circumsessæ patriæ jubent: Syphacem orant, ut Karthagini, ut universæ Africæ subveniat. Ad Uticam tum castra Scipio, ferme mille passus ab urbe, habebat, translata a mari, ubi paucos dies stativa conjuncta classi fuerant. Hanno, nequaquam satis valido, non modo ad lacessendum hostem, sed ne ad tuendos quidem a populationibus agros, equitatu accepto, id omnium primum egit, ut per conquisitionem numerum equitum augetet: nec aliarum gentium adspernatus, maxime tamen Numidas (id longe primum equitum in Africa est genus) conducit. Jam ad quatuor millia equitum habebat, quum Saleram nomine urbem occupavit; quindecim ferme millia ab Romanis castris. Quod ubi Scipioni relatum est, *Æstiva sub tectis equitatus!* (inquit) *sint vel plures; dum talem ducem habeont*: eoque minus sibi cessandum ratus, quo illi segnius rem agerent, Masinissam cum equitatu præmissum portis obequitare, atque hostem ad pugnam elicere, jubet: ubi omnis multitudo se effudisset, graviorque jam in certamine esset, quam ut facile sustineri posset, cederet paullatim; se in tempore pugnae obventurum. Tantum moratus, quantum satis temporis prægresso visum ad eliciendos hostes, cum Romano equitatu secutus, tegentibus tumulis, qui peropportune circa viæ flexus obpositi erant, occultus processit. Masinissa, ex composito, nunc terrentis, nunc timentis modo, aut ipsis ob-

Equi-
stria
prælia in-
euntur.

equitabat portis, aut cedendo, quum timoris simula- U. C. 548.
 tio audaciam hosti faceret, ad insequendum temere A. C. 204.
 eliciebat. Nondum omnes egressi erant, varieque
 dux fatigabatur, alios vino et somno graves arma
 capere, et frenare equos cogendo, aliis, ne sparsi et
 inconditi sine ordine, sine signis omnibus portis ex-
 currerent, obsistendo. Primo incaute se evhentes
 Masinissa excipiebat: mox plures simul conferti
 porta effusi æquaverant certamen: postremo, jam
 omnis equitatus prælio quum adesset, sustineri ultra
 nequiere. Non tamen effusa fuga Masinissa, sed
 cedendo sensim, inpetus eorum excipiebat: donec
 ad tumulos tegentes Romanum equitatum pertraxit.
 Inde exorti equites, et ipsi integris viribus, et recen-
 tibus equis, Hannoni Afrisque pugnando ac sequen-
 do fessis se circumfudere: et Masinissa, flexis su-
 bito equis, in pugnam rediit. Mille ferme, qui
 primi agminis fuerant, ut quibus haud facilis recep-
 tus fuit, cum ipso duce Hannone interclusi atque
 interfecti sunt: ceteros, ducis præcipue territos
 cæde, effuse fugientes per tria millia passuum vieto-
 res secuti, ad duo præterea millia equitum aut cepe-
 runt, aut occiderunt: inter eos satis constabat, non
 minus ducentos Karthaginiensium equites fuisse, et
 divitiis quosdam et genere illustres.

XXXV. Eodem forte, quo hæc gesta sunt, die
 naves, quæ prædam in Siciliam vexerant, cum com-
 meatu rediere; velut ominatæ, ad prædam alteram
 repetendam sese venisse. Duos eodem nomine Kar-
 thaginiensium duces duobus equestribus præliis in-
 terfectos, non omnes auctores sunt: veriti, credo,
 ne falleret bis relata eadem res. Cælius quidem et
 Valerius captum etiam Hannonem tradunt. Scipio

U. C. 548. præfectos equitesque, prout cujusque opera fuerat,
 A. C. 204. ante omnes Masinissam, insignibus donis donat: et,
 firmo præsidio Saleræ inposito, ipse cum cetero exercitu profectus, non agris modo, quacumque incedebat, populatis, sed urbibus etiam quibusdam vicisque expugnatis, late fuso terrore belli, septimo die, quam profectus erat, magnam vim hominum et pecoris et omnis generis prædæ trahens, in castra redit; gravesque iterum hostilibus spoliis naves dimittit. Inde, omissis expeditionibus parvis populationibusque, ad obpugnandam Uticam omnes belli vires convertit: eam deinde, si cepisset, sedem ad cetera exsequenda habiturus. Simul et a classe navales socii, qua ex parte urbs mari adluitur, simul et terrestris exercitus ab imminente prope ipsis mœnibus tumulo est admotus. Tormenta machinasque et advexerat secum, et ex Sicilia missa cum comœtibus erant: et nova in armamentario, multis talium operum artificibus de industria inclusis, fiebant. Uticensibus tanta undique mole circumsessis in Karthaginiensi populo, Karthaginiensibus in Hasdrubale ita, si is movisset Syphacem, spes omnis erat: sed desiderio indigentium auxilii tardius cuncta movebantur. Hasdrubal, intentissima conquisitione quum ad triginta millia peditum, tria equitum confecisset, non tamen ante adventum Syphacis castra propius hostem movere est ausus. Syphax cum quinquaginta millibus peditum, decem equitum advenit: confestimque motis ab Karthagine castris, haud procul Utica munitionibusque Romanis consedit. Quorum adventus hoc tamen momenti fecit, ut Scipio, quum quadraginta ferme dies nequidquam omnia experiens obsedisset Uti-

Scipio populatur
Africam.

Uticam
obpugnat.

Hasdrubalis et
Syphacis
ingentes
copiæ.

Scipio recedit ab
Utica.

cam, abscederet inde irrito incepto: et (jam enim U. C. 548.
 hiems instabat) castra hiberna in promontorio, quod A. C. 204.
 tenui jugo continenti adhærens in aliquantum maris
 spatium extenditur, communit: uno vallo et navalia
 castra amplectitur: jugo medio legionum castris in-
 positis, litus ad septentrionem versum subductæ na-
 ves navalesque socii tenebant: meridianam vallem
 ad alterum litus devexam equitatus. Hæc in Africa
 usque ad extremum autumnii gesta.

XXXVI. Præter convectum undique ex populatis
 circa agris frumentum, commeatusque ex Sicilia at-
 que Italia advectos, Cn. Octavius proprætor ex Sar-
 dinia ab Ti. Claudio prætore, cujus ea provincia
 erat, ingentem vim frumenti advexit: horreaque
 non solum, quæ jam facta erant, repleta, sed nova
 ædificata. Vestimenta exercitui deerant: id man-
 datum Octavio, ut cum prætore ageret, si quid ex
 ea provincia comparari ac mitti posset: ea quoque
 haud segniter curata res. Mille ducentæ togæ brevi
 spatio, et duodecim millia tunicarum missa. Æstate
 ea, qua hæc in Africa gesta sunt, P. Sempronius Sempro-
 consul, cui Bruttii provincia erat, in agro Crotoni- nus cos.
 ensi cum Hannibale in ipso itinere tumultuario præ- cum Han-
 lio conflictit: agminibus magis, quam acie, pugna- nibale male
 tum est. Romani pulsi, et tumultu verius, quam pugnat.
 pugna, ad mille et ducenti de exercitu consulis in-
 terfecti: in castra trepide reditum. Neque obpug-
 nare tamen ea hostes ausi: ceterum silentio proxi-
 mæ noctis profectus inde consul, præmisso nuncio
 ad P. Licinium proconsulem, ut suas legiones ad-
 moveret, copias conjunxit: ita duo duces, duo ex-
 ercitus ad Hannibalem redierunt: nec mora dimi-
 candi facta est: quum consuli duplicatæ vires, Pæno

U. C. 548. recens victoria animo esset. In primam aciem suas
 A. C. 204. legiones Sempronius induxit: in subsidiis locatæ P.
 Hanniba- Licinii legiones. Consul principio pugnae ædem For-
 lem acie- tunæ Primigeniæ vovit, si eo die hostes fudisset:
 vincit. composque ejus voti fuit. Fusi ac fugati Pœni:
 supra quatuor millia armatorum cæsa: paullo minus
 trecenti vivi capti, et equi quadraginta, et undecim
 militaria signa. Percussus adverso prælio Hannibal
 Crotonem exercitum abduxit. Eodem tempore M.
 Cornelius Consul in altera parte Italiæ non tam ar-
 Etruriam- mis, quam judiciorum terrore, Etruriam continet,
 in officio- totam ferme ad Magonem, ac per eum ad spem no-
 continet. vandi res, versam. Eas quæstiones ex senatuscon-
 sulto minime ambitiose habuit: multique nobiles
 Etrusci, qui aut ipsi ierant, aut miserant ad Mago-
 nem de populorum suorum defectione, primo præ-
 sentes erant condemnati; postea, conscientia sibi-
 met ipsi exsilium consciscentes, quum absentes dam-
 nati essent, corporibus subtractis, bona tantum, quæ
 publicari poterant, pignoranda pœnæ præbebant.

Livii et
 Claudii
 censura.

XXXVII. Dum hæc consules diversis regioni-
 bus agunt, censores interim Romæ M. Livius et C.
 Claudius senatum recitaverunt. Princeps iterum
 lectus Q. Fabius Maximus: notati septem; nemo
 tamen, qui sella curuli sedisset. Sarta tecta acriter
 et cum summa fide exegerunt: viam e foro Boario
 ad Veneris, et circa foros publicos, et ædem Matris
 Magnæ in Palatio faciendam locaverunt. Vectigal
 etiam novum ex salaria annona statuerunt: sex-
 tante sal et Romæ et per totam Italiam erat. Romæ
 pretio eodem, pluris in foris et conciliabulis, et alio
 alibi pretio præbendum locaverunt. Id vectigal
 commentum alterum ex censoribus satis credebant,

populo iratum, quod iniquo iudicio quondam dam-^{U. C. 548.}
 natus esset: et in pretio salis maxime oneratas tri-^{A. C. 204.}
 bus, quarum opera damnatus erat, credebant: inde
 Salinatori Livio inditum cognomen. Lustrum con-
 ditum serius, quia per provincias dimiserunt cen-
 sores, ut civium Romanorum in exercitibus, quan-
 tus ubique esset, referretur numerus. Censa cum
 iis ducenta decem quatuor millia hominum: condi-
 dit lustrum C. Claudius Nero. Duodecim deinde
 coloniarum, (quod numquam antea factum erat)
 deferentibus ipsarum coloniarum censoribus, cen-
 sum acceperunt: ut, quantum numero militum,
 quantum pecunia valerent, in publicis tabulis mo-
 numenta exstarent. Equitum deinde census agi
 cœptus est: et ambo forte censores equum publi-
 cum habebant. Quum ad tribum Polliam ventum
 est, in qua M. Livii nomen erat, et præco cunctare-<sup>Certamen
notarum
inter cen-
sores.</sup>
 tur citare ipsum censorem; *Cita*, inquit Nero, *M.*
Livium: et, sive ex residua et vetere simultate, sive
 intempestiva jactatione severitatis inflatus, M. Li-
 vium, quia populi iudicio esset damnatus, equum
 vendere jussit. Item M. Livius, quum ad tribum
 Arniensem et nomen collegæ ventum est, vendere
 equum C. Claudium jussit, duarum rerum causa;
 unius, quod falsum adversus se testimonium dixis-
 set; alterius, quod non sincera fide secum in gra-
 tiam redisset. Itaque ibi fœdum certamen inqui-
 nandi famam alterius, cum suæ famæ damno, fac-
 tum est. Exitu censuræ quum in leges jurasset C.
 Claudius, et in ærarium escendisset, inter no-
 minum eorum, quos ærarios relinquebat, dedit collegæ no-
 men. Deinde M. Livius in ærarium venit, et, præ-
 ter Mæciam tribum, quæ se nec condemnasset, ne-

U. C. 548. que condemnatum aut consulem aut censorem fecisset, A. C. 204. populum Romanum omnem, quatuor et triginta tribus, ærarios reliquit: quod et innocentem se condemnassent, et condemnatum consulem et censorem fecissent: neque inficiari possent, aut iudicio semel, aut comitiis bis ab se peccatum esse. Inter quatuor et triginta tribus et C. Claudium ærarium fore: quod si exemplum haberet bis eundem ærarium relinquendi, C. Claudium nominatim se inter ærarios fuisse relicturum. Prævum certamen notarum inter censores: castigatio inconstantiae populi censoria, et gravitate temporum illorum digna. In invidia censores quum essent, crescendi ex his ratus esse occasionem Cn. Bæbius tribunus plebis diem ad populum utrique dixit. Ea res consensu Patrum discussa est, ne postea obnoxia populari auræ censura esset.

XXXVIII. Eadem æstate in Brutiis Clampetia a consule vi capta, Consentia et Pandosia, et ignobiles aliæ civitates, voluntate in ditionem venerunt. Et, quum comitorum jam adpeteret tempus, Cornelium potius ex Etruria, ubi nihil belli erat, Romam adiri placuit. Is consules C. Servilium Cæpionem et C. Servilium Geminum creavit. Inde prætoria comitia habita: creati P. Cornelius Lentulus, P. Quinctilius Varus, P. Ælius Pætus, P. Villius Tapulus. Hi duo, quum ædiles plebis essent, prætores creati sunt. Consul, comitiis perfectis, ad exercitum in Etruriam rediit. Sacerdotes eo anno mortui, atque in locum eorum subfecti; Ti. Veturius Philo flamen Martialis, in locum M. Æmilii Regilli, qui priore anno mortuus erat, creatus inauguratusque: et in M. Pomponii Mathonis auguris et de-

ceniviri locum creati, decemvir M. Aurelius Cotta, U. C. 548.
augur Ti. Sempronius Gracchus admodum adoles- A. C. 204.
cens, quod tunc perrarum in mandandis sacerdotiis
erat. Quadrigæ aureæ eo anno in Capitolio positæ
ab ædilibus curulibus, C. Livio et M. Servilio Ge-
mino. Et ludi Romani biduum instaurati. Idem
per biduum plebeii ab ædilibus P. Ælio, P. Villio :
et Jovis epulum fuit ludorum causa.

EPITOME LIBRI XXX.

IN Africa Scipio Karthaginienses et eundem Syphacem Numidarum regem Hasdrubalemque pluribus praeliis vicit, adjuvante Masinissa, binaque hostium castra expugnavit: in quibus quadraginta millia hominum ferro ignique consumta sunt. Syphacem per C. Lælium et Masinissam cepit. Masinissa Sophonibam, uxorem Syphacis, filiam Hasdrubalis, captam statim adamavit, et, nuptiis factis, uxorem habuit: castigatus a Scipione venenum ei misit: quo hausto illa decessit. Effectumque est multis Scipionis victoriis, ut Karthaginienses, in desperationem acti, in auxilium publicæ salutis Hannibalem ex Italia revocarent: isque, anno decimosexto Italia decedens, in Africam trajecit, tentavitque per colloquium pacem cum Scipione componere: et, quum de conditionibus pacis non convenisset, acie victus est. Pax Karthaginiensibus data est petentibus. Hannibal Gisgonem, pacem dissuadentem, manu sua detraxit: excusata deinde temeritate facti, ipse pacem suasit. Mago, qui bello in agro Insubriūm cum Romanis conflixerat, vulneratus, dum in Africam per legatos revocatus revertitur, ex vulnere mortuus est. Masinissæ regnum restitutum est. Reversus in urbem Scipio amplissimum nobilissimumque egit triumphum, quem Q. Terentius Culleo senator pileutus secutus est. Scipio Africanus (incertum militari prius favore, an populari aura ita cognominatus) primus certe hic imperator victæ a se nomine gentis nobilitatus est.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XXX.

CN. SERVILIUS CÆPIO et C. Servilius Gemini-
nus consules, (sextus decimus is annus belli U. C. 549.
A. C. 203. Punicus erat) quum de republica belloque et provin-
ciis ad senatum retulissent, censuerunt Patres, ut
consules inter se compararent, sortirenturque, uter
Bruttios adversus Hannibalem, uter Etruriam ac
Ligures provinciam haberet: cui Bruttii evenissent,
exercitum a P. Sempronio acciperet. P. Sempro-
nius (ei quoque enim proconsuli imperium in an-
num prorogabatur) P. Licinio succederet: is Ro-
niam reverteretur, bello quoque bonus habitus ad Laus P.
Licinii.
cetera, quibus nemo ea tempestate instructor civis
habebatur, congestis omnibus humanis a natura for-
tunaque bonis. Nobilis idem ac dives erat: forma
viribusque corporis excellebat. Facundissimus ha-
bebat, seu caussa oranda, seu in senatu ad popu-
lum suadendi ac dissuadendi locus esset: juris pon-
tificii peritissimus. Super hæc, bellicæ quoque lau-
dis consulatus compotem fecerat. Quod in Bruttii
provincia, idem in Etruria ac Liguribus decretum:
M. Cornelius novo consuli tradere exercitum jussus:
ipse, prorogato imperio, Galliam provinciam obti-
nere cum legionibus iis, quas prætor L. Scribonius
priore anno habuisset. Sortiti deinde provincias:
Cæpioni Bruttii, Servilio Gemino Etruria evenit,

U. C. 549. Tum prætorum provinciæ in sortem conjectæ. Jurisdictionem urbanam Pætus Ælius, Sardiniam P. Lentulus, Siciliam P. Villius, Ariminum cum duabus legionibus (sub Lucretio Spurio eæ fuerant) Quinctilius Varus est sortitus. Et Lucretio prorogatum imperium, ut Genuam oppidum a Magone Pæno dirutum exædificaret. P. Scipioni, non temporis, sed rei gerendæ fine, donec debellatum in Africa foret, prorogatum imperium est: decretumque, ut supplicatio fieret, quod is in Africam provinciam trajecisset, ut ea res salutaris populo Romano ipsique duci atque exercitui esset.

II. In Siciliam tria millia militum sunt scripta: et, quia, quod roboris ea provincia habuerat, in Africam transvectum fuerat, ne qua classis ex Africa trajiceret, quadraginta navibus custodiri placuerat Siciliæ maritimæ oram. Tredecim novas naves Villius secum in Siciliam duxit: ceteræ in Sicilia veteres reffectæ. Huic classi M. Pomponius, prioris anni prætor, prorogato imperio præpositus, novos milites ex Italia advectos in naves inposuit. Parem navium numerum Cn. Octavio, prætori item prioris anni, cum pari jure imperii ad tuendam Sardinia oram Patres decreverunt. Lentulus prætor duo millia militum dare in naves jussus. Et Italia oram, quia incertum erat, quo missuri classem Karthaginienses forent, (videbantur autem, quidquid nudatum præsiidiis esset, petituri) M. Marcio, prætori prioris anni, cum totidem navibus tuenda data est: tria millia militum in eam classem ex decreto Patrum consules scripserunt, et duas legiones urbanas ad incerta belli. Hispaniæ cum exercitibus imperioque veteribus imperatoribus, L. Lentulo et L. Manlio Aci-

dino, decretæ. Viginti omnino legionibus, et centum U. C. 549,
 sexaginta navibus longis res Romana eo anno gesta. A. C. 203.
 Prætores in provincias ire jussi. Consulibus impe-
 ratum, priusquam ab urbe proficiscerentur, ludos
 magnos facerent, quos T. Manlius Torquatus dicta-
 tor in quintum annum vovisset, si eodem statu res-
 publica staret. Et novas religiones excitabant in
 animis hominum prodigia, ex pluribus locis nun-
 ciata. Aurum in Capitolio corvi non lacerasse tan-
 tum rostris crediti, sed etiam edisse. Mures Antii
 coronam auream adrosere. Circa Capuam omnem
 agrum locustarum vis ingens, ita ut, unde advenis-
 sent, parum constaret, complevit. Equuleus Reate
 cum quinque pedibus natus. Anagninæ sparsi pri-
 mum ignes in cœlo, dein fax ingens arsit. Frusi-
 none arcus solem tenui linea amplexus est; circu-
 lum deinde ipsum major solis orbis extrinsecus in-
 clusit. Arpini terra campestri agro in ingentem si-
 num consedit. Consulum alteri, primam hostiam
 inmolanti, caput jocinoris defuit. Ea prodigia ma-
 joribus hostiis procurata: editi a collegio pontifi-
 cum Dii, quibus sacrificaretur.

III. Iis transactis, consules prætoresque in pro-
 vincias profecti: omnibus tamen, velut eam sortitis,
 Africæ cura erat; seu quia ibi summam rerum bel-
 lique verti cernebant; seu ut Scipioni gratificaren-
 tur, in quem tum omnis versa civitas erat. Itaque
 non ex Sardinia tantum, (sicut ante dictum est) sed
 ex Sicilia quoque et Hispania vestimenta, frumen-
 tumque, et arma etiam ex Sicilia, et omne genus
 commeatus eo portabantur. Nec Scipio ullo tem-
 pore hiemis belli opera remiserat, quæ multa simul Res gestæ
in Africa.
 undique eum circumstabant. Uticam obsidebat:

U. C. 549. castra in conspectu Hasdrubalis erant. Karthaginienses deduxerant naves : classem paratam instructamque ad commeatus intercipiendos habebant. Inter hæc ne Syphacis quidem reconciliandi curam ex animo miserat ; si forte jam satias amoris in uxore ex multa copia cepisset. Ab Syphace magis pacis cum Karthaginensibus conditiones, ut Romani Africa, Pœni Italia excederent, quam, si bellaretur, spes ulla desciturum adferebatur. Hæc per nuncios magis equidem acta crediderim, (et ita pars major auctores sunt,) quam ipsum Syphacem, ut Antias Valerius prodit, in castra Romana ad colloquium venisse. Primo eas conditiones imperator Romanus vix auribus admisit : postea, ut caussa probabilis suis commeandi foret in castra hostium, mollius eadem illa abnuere, ac spem facere, sæpius ultro citroque agitantibus rem conventuram. Hibernacula Karthaginensium, congesta temere ex agris materia exædificata, lignea ferme tota erant. Numidæ præcipue arundine textis, storeaque pars maxima tectis, passim nullo ordine, quidam, ut sine imperio occupatis locis, extra fossam etiam vallumque habitabant. Hæc relata Scipioni spem fecerant castra hostium per occasionem incendendi.

Castra
Hasdrubalis
et
Syphacis.

IV. Cum legatis, quos mitteret ad Syphacem, castrorum loco primos ordines spectatæ virtutis atque prudentiæ servili habitu mittebat ; qui, dum in colloquio legati essent, vagi per castra, alius alia, aditus exitusque omnes, situm formamque et universorum castrorum, et partium, qua Pœni, qua Numidæ haberent, quantum intervalli inter Hasdrubalis ac regia castra esset, specularentur : moremque simul noscerent stationum vigiliarumque : nocte, an inter-

diu opportuniores insidianti essent. Et inter crebra
 conloquia alii atque alii de industria, quo pluribus U. C. 549.
A. C. 202.
 omnia nota essent, mittebantur. Quum sæpius agi-
 tata res certiores spes pacis in dies et Syphaci et
 Karthaginiensibus per eum faceret; legati Romani
*vetitos se reverti ad imperatorem aiunt, nisi certum
 responsum detur. Proinde, seu ipsi staret jam senten-
 tia, seu consulendus Hasdrubal et Karthaginienses es-
 sent, consuleret. Tempus esse, aut pacem componi, aut
 bellum naviter geri. Dum consulitur Hasdrubal ab
 Syphace, ab Hasdrubale Karthaginienses; et specu-
 latores omnia visendi, et Scipio ad comparanda ea,
 quæ in rem erant, tempus habuit: et ex mentione
 ac spe pacis negligentia, ut fit, apud Pœnos Numi-
 damque orta cavendi, ne quid hostile interim pate-
 rentur. Tandem relatum responsum, quibusdam
 (quia nimis cupere Romanus pacem videbatur) ini-
 quis per occasionem adjectis; quæ peropportune
 cupienti tollere inducias Scipioni causam præbuere:
 ac nuncio regis, quum relaturum se ad consilium
 dixisset, postero die respondit, *Se uno frustra ten-
 dente, nulli alii pacem placuisse. Renunciaret igitur,
 nullam aliam spem pacis, quam relictis Karthaginien-
 sibus, Syphaci cum Romanis esse. Ita tollit inducias,*
 ut libera fide incepta exsequeretur: deductisque na-
 vibus (et jam veris principium erat) machinas tor-
 mentaque, velut a mari adgressurus Uticam, inponit.
 Et duo millia militum ad capiendum, quem antea
 tenuerat, tumultum super Uticam mittit: simul ut
 ab eo, quod parabat, in alterius rei curam converte-
 ret hostium animos: simul ne qua, quum ipse ad
 Syphacem Hasdrubalemque profectus esset, eruptio
 ex urbe et inpetus in castra sua, relicta cum levi
 præsidio, fieret.*

U. C. 549. V. His præparatis, advocatoque consilio, edicere
 A. C. 203. exploratoribus jussis, quæ comperta adferrent, Ma-
 Incensa a Scipione. sinissaque, cui omnia hostium nota erant; postremo ipse, quid pararet in proximam noctem, proponit. Tribunis edicit, ut, ubi, prætorio dimisso, signa concinuissent, extemplo educerent castris legiones. Ita, ut imperaverat, signa sub occasum solis efferri sunt cœpta: ad primam ferme vigiliam agmen explicaverunt: media nocte (septem enim millia itineris erant) modico gradu ad castra hostium perventum. Ibi Scipio partem copiarum Lælio, Masinissamque ac Numidas, adtribuit: et castra Syphacis invadere, ignesque conjicere jubet. Singulos deinde separatim Lælium ac Masinissam, seductos obtestatur, ut, quantum nox providentiæ adimat, tantum diligentia expleant curaque. *Se Hasdrubalem Punicaque castra adgressurum. Ceterum non ante cœpturum, quam ignem in regiis castris conspexisset.* Neque ea res morata diu est: nam, ut proximis casis injectus ignis hæsit, extemplo proxima quæque, et deinceps continua amplexus, totis se passim dissipavit castris. Et trepidatio quidem, quanta necesse erat, in nocturno effuso tam late incendio orta est: ceterum, fortuitum, non hostilem ac bellicum, ignem rati esse, sine armis ad restinguendum incendium effusi, in armatos incidere hostes, maxime Numidas, ab Masinissa notitia regionum castrorum ad exitus itinerum idoneis locis dispositos. Multos in ipsis cubilibus semisomnos hausit flamma: multi in præcipiti fuga, ruentes super alios alii, in angustiis portarum obtriti sunt.

VI. Relucentem flammam primo vigiles Karthaginiensium, deinde excitati alii nocturno tumultu quam conspexissent, ab eodem errore credere et ipsi

sua sponte incendium ortum: et clamor inter cædem et vulnera sublatus, an ex trepidatione nocturna esset, confusus, sensum veri adimebat. Igitur pro se quisque inermes, ut quibus nihil hostile suspectum esset, omnibus portis, qua cuique proximum erat, ea modo, quæ restinguendo igni forent, portantes, in agmen Romanum ruebant. Quibus cæsis omnibus, præterquam hostili odio, etiam ne quis nuncius effugeret, extemplo Scipio neglectas, ut in tali tumultu, portas invadit: ignibusque in proxima tecta coniectis, effusa flamma primo veluti sparsa pluribus locis reluxit, dein per continua serpens, uno repente omnia incendio hausit. Ambusti homines jumenta que fœda primum fuga, dein strage, obruerant itinera portarum. Quos non obpresserat ignis, ferro absulti: binaque castra clade una deleta. Duces tamen ambo, et ex tot millibus armatorum duo millia peditum et quingenti equites semiermes, magna pars saucii, adflatique incendio, effugerunt. Cæsa aut hausta flammis quadraginta millia hominum sunt, capta supra quinque millia: multi Karthaginensium nobiles, undecim senatores, signa militaria centum septuaginta quatuor, equi Numidici supra duo millia septingenti, elephanti sex capti; octo flamma ferroque absulti, magna que vis armorum capta. Ea omnia imperator Vulcano sacrata incendit.

VII. Hasdrubal ex fuga, cum paucis, Afrorum urbem proximam petierat: eo que omnes, qui supererant, vestigia ducis sequentes, se contulerant: metu deinde, ne dederetur Scipioni, urbe excessit. Mox eodem patentibus portis Romani accepti: nec quidquam hostile, quia voluntate concesserant in

U. C. 549. ditionem, factum. Duæ subinde urbes captæ di-
 A. C. 203. reptæque: ea præda, et quæ castris ex incensis et
 igne rapta erat, militi concessa est. Syphax octo
 millium ferme inde spatio loco communito consedit.
 Hasdrubal Karthaginem contendit, ne quid per me-
 tum ex recenti clade mollius consuleretur: quo tan-
 tus primo terror est adlatus, ut, ommissa Utica, Kar-
 thaginem crederent extemplo Scipionem obsessurum.
 Senatū itaque suffetes (quod velut consulare impe-
 rium apud eos erat) vocaverunt. Ibi e tribus (una
 de pace legatos ad Scipionem decernebat: altera
 Hannibalem ad tuendam ab exitiabili bello patriam
 revocabat: tertia Romanæ in adversis rebus con-
 stantiæ erat; reparandum exercitum, Syphacemque
 hortandum, ne bello absisteret, censebat) hæc sen-
 tentia, quia Hasdrubal præsens Barcinæque omnes
 factionis bellum malebant, vicit. Inde delectus in
 urbe agrisque haberi cœptus, et ad Syphacem legati
 missi, summa ope et ipsum reparantem bellum:
 quum uxor non jam, ut ante, blanditiis, satis poten-
 tibus ad animum amantis, sed precibus et misericor-
 dia valisset, plena lacrimarum obtestans, ne patrem
 suum patriamque proderet, iisdemque flammis Kar-
 thaginem, quibus castra conflagrassent, absumi sine-
 ret. Spem quoque opportune oblatam adferebant
 legati: quatuor millia Celtiberorum circa urbem
 nomine Abban, ab conquisitoribus suis conducta in
 Hispania, egregiæ juventutis, sibi obcurrisse: et
 Hasdrubalem prope diem adfore cum manu haud-
 quaquam contemnenda. Igitur non benigne modo
 legatis respondit, sed ostendit etiam multitudinem
 agrestium Numidarum, quibus per eosdem dies arma
 equosque dedisset, et omnem juventutem adfirmat

excituum ex regno. *Scire incendio, non praelio, U. C. 549.*
cladem acceptam: eum bello inferiorem esse, qui armis A. C. 203.
vincatur. Hæc legatis responsa. Et post dies pau-
 cos rursus Hasdrubal et Syphax copias junxerunt: Karthagini-
 is omnis exercitus fuit triginta ferme millium arma- cō-
 torum. Syphace pi-
 jungunt.

VIII. Scipionem, velut jam debellato, quod ad Syphacem Karthaginiensesque adtineret, Uticæ obpugnandæ intentum, jamque machinas admoventem muris, avertit fama redintegrati belli: modicisque præsiidiis ad speciem modo obsidionis terra marique relictis, ipse cum robore exercitus ire ad hostes pergit. Primo in tumulo, quatuor ferme millia distante ab castris regiis, consedit: postero die cum equitatu in Magnos (ita vocant) campos, subjectos ei tumulo, degressus, succedendo ad stationes hostium, lacescendoque levibus præliis, diem absumsit: et per insequens biduum tumultuosis hinc atque illinc excursionibus in vicem, nihil dictu satis dignum fecerunt; quarto die utrimque in aciem descensum est. Romanus principes post hastatorum prima signa, in subsidiis triarios constituit: equitatum Italicum ab dextro cornu, ab lævo Numidas Masinissamque obposuit. Syphax Hasdrubalque, Numidicis adversus Italicum equitatum, Karthaginiensibus contra Masinissam locatis, Celtiberos in mediam aciem in adversa signa legionum acceperunt: ita instructi concurrunt. Primo inpetu simul utraque cornua, et Numidæ et Karthaginienses pulsati: nam neque Numidæ, maxima pars agrestes, Romanum equitatum, neque Karthaginienses, et ipse novus miles, Masinissam, recenti super cetera victoria terribilem, sustinuerunt. Nudata utrimque cornibus Cel-

U. C. 549. tiberûm acies stabat : quod nec in fuga salus ulla
 A. C. 203. ostendebatur locis ignotis, neque spes veniæ ab Scipione erat ; quem, bene meritum de se et gente sua, mercenariis armis in Africam obpugnatum venissent. Igitur, circumfusus undique hostibus, alii super alios cadentes, obstinati moriebantur : omnibusque in eos versis, aliquantum ad fugam temporis Syphax et Hasdrubal præceperunt. Fatigatos cæde diutius, quam pugna, victores nox obpressit.

IX. Postero die Scipio Lælium Masinissamque, cum omni Romano et Numidico equitatu expeditisque militum, ad persequendos Syphacem atque Hasdrubalem mittit : ipse, cum robore exercitus, urbes circa, quæ omnes Karthaginensium ditionis erant, partim spe, partim metu, partim vi subegit. Karthagini quidem erat ingens terror, et circumferentem arma Scipionem, omnibus finitimis raptim perdomitis, ipsam Karthaginem repente adgressurum credebant. Itaque et muri reficiebantur, propugnaculisque armabantur : et pro se quisque, quæ diutinae obsidioni tolerandæ sunt, ex agris convehit. Rara mentio est pacis, frequentior legatorum ad Hannibalem arcessendum mittendorum : pars maxima classem, quæ ad commeatus excipiendos parata erat, mittere jubent ad obprimendam stationem navium ad Uticam, incaute agentem : forsitan etiam navalia castra, relicta cum levi præsidio, obpressuros. In hoc consilium maxime inclinant : legatos tamen ad Hannibalem mittendos censent : quippe, classi ut felicissime gerantur res, parte aliqua levare Uticæ obsidionem : Karthaginem ipsam qui tueatur, neque imperatorem alium, quam Hannibalem, neque exercitum alium, quam Hannibalis, superesse. De-

Terror
 Kartha-
 gini.

ductæ ergo postero die naves, simul et legati in Italiam profecti, raptimque omnia, stimulante fortuna, agebantur: et, in quo quisque cessasset, prodi ab se salutem omnium rebatur. Scipio, gravem jam spoliis multarum urbium exercitum trahens, captivis aliaque præda in vetera castra ad Uticam missis, jam in Karthaginem intentus, occupat relictum fuga custodum Tuneta: abest ab Karthagine quindecim millia ferme passuum locus, quum operibus, tum suapte natura tutus, qui et ab Karthagine conspici, et præbere ipse prospectum, quum ad urbem, tum ad circumfusum mare urbi, posset.

X. Inde, quum maxime vallum Romani jacerent, conspecta classis hostium est, Uticam Karthagine petens. Igitur, omisso opere, pronunciatum iter, signaque raptim ferri sunt cœpta: ne naves, in terram et obsidionem versæ, ac minime navali prælio aptæ, obrimerentur. Qui enim restitissent agili et nautico instrumento aptæ et armatæ classi naves, tormenta machinasque portantes, et aut in onerariarum usum versæ, aut ita adpulsæ ad muros, ut proggerere ac pontibus præbere adscensus possent? Itaque Scipio, contra quam in navali certamine solet, rostratis, quæ præsidio aliis esse poterant, in postremam aciem receptis prope terram, onerariarum quadruplicem ordinem pro muro adversus hostem obposuit: easque ipsas, ne in tumultu pugnæ turbari ordines possent, malis antennisque de nave in navem trajectis, ac validis funibus velut uno inter se vinculo inligatis, comprehendit: tabulasque superinstravit, ut pervium ordinem faceret: et sub ipsis pontibus intervalla fecit, qua procurrere speculato-riæ naves in hostem, ac tuto recipi possent. His

U. C. 549.
A. C. 203.
Legati mis-
si ad revo-
candum
Hanniba-
lem.

Classem
Romanam
invadunt
Karthagi-
nienses.

U. C. 549. raptim pro tempore instructis, mille ferme delecti
 A. C. 203. propugnatores onerariis inponuntur: telorum maxi-
 me missilium, ut, quamvis longo certamine, subfi-
 cerent, vis ingens congeritur. Ita parati atque in-
 tenti hostium adventum obperiebantur. Karthagi-
 nienses, qui, si maturassent, omnia permixta turbā
 trepidantium primo inpetu obpressissent, perculti
 terrestribus cladibus, atque inde ne in mari quidem,
 ubi ipsi plus poterant, satis fidentes, die segni navi-
 gatione absumto, sub occasum solis in portum (Rus-
 cinona Afri vocant) classe adpulere: postero die
 sub ortum solis instruxere ab alto naves, velut ad
 justum prælium navale, et tanquam exituris contra
 Romanis. Quum deo stetissent, postquam nihil
 moveri ab hostibus viderunt, tum demum onerarias
 adgrediuntur. Erat res minime certamini navali si-
 milis, proxime speciem muros obpugnantium na-
 vium: altitudine aliquantum onerariæ superabant:
 ex rostratis Pœni vana pleraque (utpote supino
 jactu) tela in superiorem locum mittebant: gravior
 ac pondere ipso libratior superne ex onerariis ictus
 erat. Speculatoriæ naves ac levia ipsa navigia, quæ
 sub constratis pontium per intervalla excurrebant,
 primo ipso tantum inpetu ac magnitudine rostrata-
 rum obraebantur: deinde et propugnatoribus quo-
 que incommodæ erant; quod permixtæ cum hos-
 tium navibus inhibere sæpe tela cogebant; metu ne
 ambiguo ictu suis inciderent: postremo asses fer-
 reo unco præfixi (harpagones vocant) ex Punicis
 navibus injici in Romanas cœpti. Quos quum ne-
 que ipsos, neque catenas, quibus suspensi injicie-
 bantur, incidere possent; ut quæque retro inhibita
 rostrata onerariam hærentem unco traheret, scindi

videres vincula, quibus alia aliis innexa erat, seriem aliam simul plurium navium trahi. Hoc maxime modo lacerati quidem omnes pontes, et vix transsi-
 liendi in secundum ordinem navium spatium propugnatoribus datum est. Sex ferme onerariæ pup-
 pibus abstractæ Karthaginem sunt: major quam pro re lætitia, sed eo gratior, quod inter adsiduas
 clades ac lacrimas unum quantumcumque ex insperato gaudium adfulserat; cum eo, ut adpareret, haud procul exitio fuisse Romanam classem, ni cessatum a præfectis suarum navium foret, et Scipio in tempore subvenisset.

U. C. 540.
 A. C. 203.

Naves sex
 abstrahunt.

XI. Per eosdem forte dies, quum Lælius et Masinissa quintodecimo ferme die in Numidiam pervenissent, Massyli, regnum paternum Masinissæ, læti ut ad regem diu desideratum concessere. Syphax, pulsus inde præfectis præsidiisque suis, vetere se continebat regno, neutiquam quieturus. Stimulabant ægrum amore uxor socerque: et ita viris equisque abundabat, ut subjectæ oculis regni per multos florentis annos vires etiam minus barbaro atque impotenti animo spiritus possent facere. Igitur omnibus, qui bello apti erant, in unum coactis equos, arma, tela dividit: equites in turmas, pedites in cohortes, sicut quondam ab Romanis centurionibus didicerat, distribuit. Exercitu haud minore, quam quem prius habuerat, ceterum omni prope novo atque incondito, ire ad hostes pergit. Et, castris in propinquo positis, primò pauci equites ex tuto speculantes ab stationibus progredi; inde jaculis submoti recurrere ad suos: inde excursiones in vicem fieri, et, quum pulsos indignatio accenderet, plures subire: quod irritamentum certaminum equestrium

Masinissa
 regnum re-
 cuperat.

Syphax
 bellum re-
 parat.

U. C. 549. est, quum aut vincentibus spes, aut pulsus ira adgre-
 A. C. 203. gat suos. Ita tum a paucis prælio accenso, omnem
 utrimque postremo equitatum certaminis studium
 effudit: ac, dum sincerum equestre prælium erat,
 Vincitur a multitudo Masæylorum, ingentia agmina Syphace
 Lælio et emittente, sustineri vix poterat; deinde, ut pedes
 Masinissa. Romanus repentino per turmas suas viam dantes
 intercurso stabilem aciem fecit, absterruitque effuse
 invehentem sese hostem, primo barbari segnus per-
 mittere equos; deinde stare ac prope turbari novo
 genere pugnae; postremo, non pediti solum cedere,
 sed ne equitem quidem sustinere, peditis præsidio
 audentem. Jam signa quoque legionum adpropin-
 quabant: tum vero Masæyli non modo primum
 inpetum, sed ne conspectum quidem signorum atque
 armorum, tulerunt: tantum seu memoria priorum
 cladum, seu præsens terror valuit.

XII. Ibi Syphax, dum obequitat hostium turmis,
 si pudore, si periculo suo fugam sistere posset, equo
 graviter icto, effusus obprimitur capiturque, et vi-
 vivus, lætum ante omnes Masinissæ præbiturus spec-
 tulum, ad Lælium pertrahitur. Circa caput regni
 Syphacis erat: eo se ingens hominum contulit vis.
 Cædes in eo prælio minor, quam victoria, fuit, quia
 equestri tantummodo prælio certatum fuerat: non
 plus quinque millia occisa, minus dimidium ejus
 hominum captum est, inpetu in castra facto, quo
 percussa rege amisso multitudo se contulerat. Ma-
 sinissa, *Sibi quidem, dicere, nihil esse in præsentia
 pulchrius, quam victorem, recuperatum tanto post in-
 tervallo, patrium invisere regnum: sed tam secundis,
 quam adversis, rebus non dari spatium ad cessandum.
 Si se Lælius cum equitatu victoque Syphace Cirtam*

præcedere sinat, trepida omnia metu se obpressurum: U. C. 549.
Lælium cum peditibus subsequi modicis itineribus posse. A. C. 203.

Adsistente Lælio, prægressus Cirtam, evocari ad conloquium principes Cirtensium jubet: sed apud ignaros regis casus, neque quæ acta essent promendo, nec minis, nec suadendo, ante valuit, quam rex vinctus in conspectum datus est. Tum ad spectaculum tam fœdum comploratio orta: et partim pavore mœnia sunt deserta, partim repentiño consensu gratiam apud victorem quærentium patefactæ portæ. Et Masinissa, præsidio circa portas opportunaque mœnium dimisso, ne cui fugæ pateret exitus, ad regiam occupandam citato vadit equo. Intranti vestibulum in ipso limine Sophonisba, uxor Syphacis, filia Hasdrubalis Pœni, obcurrit: et, quum in medio agmine armatorum Masinissam insignem, quum armis, tum cetero habitu, conspexisset, regem esse (id quod erat) rata, genibus advoluta ejus: *Omnia qui-* Sophonisba
dem ut posses in nobis, Dii dederunt, virtusque et felici- Masinissæ
tas tua. Sed, si captivæ apud dominum vitæ necis- supplicat.
que suæ vocem supplicem mittere licet, si genua, si
victricem attingere dextram, precor quæsoque per ma-
jestatem regiam, in qua paullo ante nos quoque fuimus,
per gentis Numidarum nomen, quod tibi cum Syphace
commune fuit, per hujusce regiæ Deos, qui te meliori-
bus ominibus accipiant, quam Syphacem hinc miserunt,
hanc veniam supplici des, ut ipse, quodcumque fert
animus, de captiva statuas, neque me in cujusquam Ro-
mani superbum ac crudele arbitrium venire sinas. Si
nihil aliud, quam Syphacis uxor, fuissem, tamen Nu-
midæ, atque in eadem mecum Africa geniti, quam alie-
nigenæ et externi, fidem experiri malle. Quid Kar-
thaginiensi ab Romano, quid filiæ Hasdrubalis timen-

U. C. 549. *dum sit, vides. Si nulla alia re potes, morte me ut*
 A. C. 209. *vindices ab Romanorum arbitrio, oro obtestorque.*

Forma erat insignis et florentissima ætas: itaque quum modo, dextram amplectens, in id, ne cui Romano traderetur, fidem exposceret, propiusque blanditias oratio esset, quam preces; non in misericordiam modo prolapsus est animus victoris, sed (ut est genus Numidarum in Venerem præceps) amore captivæ victor captus, data dextera in id, quod petebatur, obligandæ fidei, in regiam concedit. Institit deinde reputare secum ipse, quemadmodum promissi fidem præstaret; quod quum expedire non posset, ab amore temerarium atque impudens mutuatur consilium. Nuptias in eum ipsum diem repente parari jubet, ne quid relinqueret integri aut Lælio, aut ipsi Scipioni, consulendi velut in captivam, quæ Masinissæ jam nupta foret. Factis nuptiis supervenit Lælius: et adeo non dissimulavit inprobare se factum, ut primo etiam cum Syphace et ceteris captivis detractam eam toro geniali mittere ad Scipionem conatus sit: victus deinde precibus Masinissæ orantis, ut arbitrium, utrius regum duorum fortunæ accessio Sophonisba esset, ad Scipionem rejiceret; misso Syphace et captivis, ceteras urbes Numidiæ, quæ præsidiis regiis tenebantur, adjuvante Masinissa, recipit.

Ducit eam uxorem Masinissa.

Συφραξ in castra Romana adducitur.

XIII. Syphacem iu castra adduci, quum esset nunciatum, omnis velut ad spectaculum triumphii multitudo effusa est. Præcedebat ipse viuctus; sequebatur grex nobilium Numidarum. Tum, quantum quisque plurimum posset, magnitudini Syphacis, famæ gentis, victoriam suam augendo, addebat: *illum esse regem, cujus tantum majestati duo potentis-*

*simi in terris tribuerint populi, Romanus Karthagini- U. C. 549.
 ensisque, ut Scipio imperator suus ad amicitiam ejus A. C. 203.
 petendam, relicta provincia Hispania exercituque, dua-
 bus quinqueremibus in Africam navigaverit: Hasdru-
 bal, Pænorum imperator, non ipse modo ad eum in
 regnum venerit, sed etiam filiam ei nuptum dederit.
 Habuisse eum uno tempore in potestate duos imperato-
 res, Pænum Romanumque. Sicut ab Diis immortali-
 bus pars utraque hostiis mactandis pacem petisset, ita
 ab eo utrimque pariter amicitiam petitam. Jam tan-
 tas habuisse opes, ut Masinissam regno pulsum eo re-
 degerit, ut vita ejus fama mortis et latebris, ferarum
 modo in silvis raptò viventis, tegetetur. His sermoni-
 bus circumstantium celebratus rex in prætorium ad
 Scipionem est perductus. Movit et Scipionem quia
 fortuna pristina viri præsentis fortunæ conlata, tum
 recordatio hospitii dextræque datæ, et fœderis pub-
 lice ac privatim juncti. Eadem hæc et Syphaci Conloqui-
 animum dederunt in adloquendo victore: nam tur cum
 quum Scipio, quid sibi voluisset, quæreret, qui non Scipione.
 societatem solum abnuisset Romanam, sed ultro bellum
 intulisset; tum ille, peccasse quidem sese utque insa-
 nisse, fatebatur; sed non tum demum, quum arma ad-
 versus populum Romanum cepisset; exitum sui furoris
 fuisse, non principium. Tunc se insanisse, tunc hospi-
 titia privata et publica fœdera omnia ex animo ejecis-
 se, quum Karthaginiensem matronam domum accepe-
 rit. Illis nuptialibus facibus regiam conflugrassè suam:
 illam furiam pestemque omnibus delinimentis animum
 suum avertisse atque alienasse: nec conquiesse, donec
 ipsa manibus suis nefaria sibi arma adversus hospitem
 atque amicum induerit. Perdito tamen atque ad-
 flicto sibi hoc in miseris solatii esse, quod in omnium.*

U. C. 549. *hominum inimicissimi sibi domum ac penates eandem*
 A. C. 203. *pestem ac furiam transisse videat: neque prudentio-*
rem, neque constantiorem Masinissam, quam Sypha-
cem, esse, etiam juventa incautiorem: certe stultius
illum atque intemperantius eam, quam se, duxisse.

XIV. Hæc non hostili modo odio, sed amoris etiam stimulis, amatam apud æmulum cernens, quum dixisset; non mediocri cura Scipionis animum pepulit: et fidem criminibus raptæ prope inter arma nuptiæ, neque consulto, neque expectato Lælio, faciebant; tamque præceps festinatio, ut, quo die captam hostem vidisset, eodem matrimonio junctam acciperet, et ad penates hostis sui nuptiale sacrum conficeret: eo fœdiora hæc videbantur Scipioni, quod ipsum in Hispania juvenem nullius forma pepulerat captivæ. Hæc secum volutanti Lælius ac Masinissa supervenerunt; quos quum pariter ambo et benigno vultu excepisset, et egregiis laudibus frequenti prætorio celebrasset; abductum in secretum Masinissam sic adloquitur; *Aliqua te existimo, Masinissa, intuentem in me bona, et principio in Hispania ad jungendam mecum amicitiam venisse, et postea in Africa te ipsum spesque omnes tuas in fidem meam commisisse. Atqui nulla earum virtus est, propter quas adpetendus tibi visus sim, qua ego æque, atque temperantia et continentia libidinum, gloriatus fuerim. Hanc te quoque ad ceteras tuas eximias virtutes, Masinissa, adjecisse velim: non est, non (mihi crede) tantum ab hostibus armatis atati nostræ periculum, quantum ab circumfuis undique voluptatibus: qui eas sua temperantia frenavit ac domuit, multo majus decus majoremque victoriam sibi peperit, quam nos Syphace victo habemus. Quæ, me absente, strenue*

Masinissam castigat Scipio.

ac fortiter fecisti, libenter et commemoravi, et memini: U. C. 549.
 cetera te ipsum reputare tecum, quam, me dicente, A. C. 203.
 erubescere malo. Syphax populi Romani auspiciis
 victus captusque est. Itaque ipse, conjux, regnum,
 ager, oppida, homines qui incolunt, quidquid denique
 Syphacis fuit, præda populi Romani est; et regem
 conjugemque ejus, etiamsi non civis Karthaginiensis es-
 set, etiamsi non patrem ejus imperatorem hostium vide-
 remus, Romam oporteret mitti, ac senatus populique
 Romani de ea judicium atque arbitrium esse, quæ re-
 gem nobis socium alienasse, atque in arma egisse præ-
 cipitem dicatur. Vince animum: cave deformes multa
 bona uno vitio, et tot meritorum gratiam majore culpa,
 quam caussa culpæ est, corrumpas.

XV. Masinissæ hæc audienti non rubor solum
 subfusus, sed lacrimæ etiam obortæ: et, quum se
 quidem in potestate futurum imperatoris dixisset, oras-
 setque eum, ut, quantum res sineret, fidei suæ temere
 obstrictæ consuleret; promississe enim, sese in nullius
 potestatem eam traditurum, ex prætorio in taberna-
 culum suum confusus concessit. Ibi, arbitris remo-
 tis, quum crebro suspiritu et gemitu, quod facile ab
 circumstantibus tabernaculum exaudiri posset, ali-
 quantum temporis consuississet; ingenti ad postre-
 mum edito gemitu, fidum e servis vocat, sub cujus
 custodia regio more ad incerta fortunæ venenum
 erat, et mixtum in poculo ferre ad Sophonisbam
 jubet, ac simul nunciare; Masinissam libenter pri-
 mam ei fidem præstaturum fuisse, quam vir uxori de-
 buerit. Quoniam arbitrium ejus, qui possint, adimant,
 secundam fidem præstare, ne viva in potestatem Roma-
 norum veniat. Memor patris imperatoris, patriæque, et
 duorum regum, quibus nupta fuisset, sibi ipsa consule-

Masinissa
 venenum
 mittit ad
 Sophonis-
 bam.

U. C. 549. *ret.* Hunc nuncium ac simul venenum ferens minister quum ad Sophonisbanı venisset, *Accipio, inquit, nuptiale munus; neque ingratum, si nihil majus vir uxori præstare potuit. Hoc tamen nuncia, melius me morituram fuisse, si non in funere meo nupsissem: non locuta est ferocius, quam acceptum poculum, nullo trepidationis signo dato, inpavide hausit. Quod ubi nunciatum est Scipioni, ne quid æger animi ferox juvenis gravius consuleret, adcitum eum extemplo nunc solatur; nunc, quod temeritatem temeritate aliã luerit, tristioremq̃ rem, quam necesse fuerit, fecerit, leniter castigat. Postero die, ut a præsentı motu averteret animum ejus, in tribunal escendit, et concionem advocari jussit. Ibi Masinissam, primum regem adpellatum, eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli, et scipione eburneo, toga picta, et palmata tunica donat. Addit verbis honorem, *Neque magnificentius quidquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus amplıorem eo ornatu esse; quo unum omnium externorum dignum Masinissam populus Romanus ducat. Lælium deinde, et ipsum conlaudatum, aurea corona donat: et alii militares viri, prout a quoque navata opera erat, donati. His honoribus mollitus regis animus, erectusque in spem propinquam, sublato Syphace, omnis Numidiæ potiundæ.**

Scipio Masinissam amplissimis donis decorat.

Karthaginienses pacem petunt.

XVI. Scipio, C. Lælio cum Syphace aliisque captivis Romam misso, cum quibus et Masinissæ legati profecti sunt, ipse ad Tuneta rursum castra refert, et, quæ munimenta inchoaverat, permunit. Karthaginienses, non brevi solum, sed prope vano gaudio, ab satis prospera in præsens obpugnatione clas-

sis perfusi, post famam capti Syphacis, in quo plus U. C. 549.
 prope, quam in Hasdrubale atque exercitu suo spei A. C. 208.
 reposuerant, percussi, jam nullo auctore belli ultra
 audito, oratores ad pacem petendam mittunt tri-
 ginta seniorum principes : id erat sanctius apud il-
 los consilium, maximaque ad ipsum senatum regen-
 dum vis. Qui ubi in castra Romana et prætorium
 pervenerunt, more adulantium (accepto, credo, ritu
 ex ea regione, ex qua oriundi erant) procubuerunt.
 Conveniens oratio tam humili adulationi fuit, non
 culpam purgantium, sed transferentium initium cul-
 pæ in Hannibalem inpotentiæque ejus fautores. Ve-
 niam civitati petebant, civium temeritate bis jam
 ante eversæ, incolumi futuræ iterum hostiam bene-
 ficio. *Imperium ex victis hostibus populum Roma-
 num, non perniciem, petere. Paratis obedienter ser-
 vire, quæ vellet, imperaret. Scipio, et venisse ea spe
 in Africam se, ait, et spem suam prospero belli eventu
 auctam, victoriam se, non pacem, domum reportaturum
 esse: tamen, quum victoriam prope in manibus
 habeat, pacem non ubnuere; ut omnes gentes sciunt,
 populum Romanum et suscipere juste bella, et finire.
 Leges pacis se has dicere. Captivos, et perfugas, et fu-
 gitivos restituant: exercitus ex Italia et Gallia dedu-
 cant: Hispania abstineant: insulis omnibus, quæ inter
 Italiam et Africam sunt, decedant: naves longas, præ-
 ter viginti, omnes tradant: tritici quingenta, hordei
 trecenta millia modiorum. Pecuniæ summam quantam
 imperaverit, parum convenit: alibi quinque millia
 talentum, alibi quæque millia pondo argenti, alibi
 duplex stipendium militibus imperatum invenio. His
 conditionibus, inquit, placeatne pax, triduum ad con-
 sultandum dabitur. Si placuerit, mecum inducias fa-*

Leges pacis
 a Scipione
 dictæ.

U. C. 549. *cite, Romam ad senatum mittite legatos.* Ita dimissi Karthaginienses, nullas recusandas condiciones pacis quum censuissent, (quippe qui moram temporis quærent, dum Hannibal in Africam trajiceret,) legatos alios ad Scipionem, ut inducias facerent, alios Romam ad pacem petendam mittunt, ducentes paucos in speciem captivos, perfugasque, et fugitivos, quo inpetrabilior pax esset.

Lælius
cum captivis
Romam venit.

XVII. Multis ante diebus Lælius, cum Syphace primoribusque Numidarum captivis, Romam venit: quæque in Africa gesta essent, omnia exposuit ordine Patribus, ingenti omnium et in præsens lætitia, et in futurum spe. Consulti inde Patres regem in custodiam Albam mittendum censuerunt: Lælium retinendum, donec legati Karthaginienses venirent. Supplicatio in quatrimum decreta est. P. Ælius prætor, senatu misso, et concione inde advocata, cum C. Lælio in Rostra escendit. Ibi vero audientes, fusos Karthaginiensium exercitus, devictum et captum ingentis nominis regem, Numidiam omnem egregia victoria peragrata, tacitum continere gaudium non poterant, quin clamoribus, quibusque aliis multitudo solet, lætitiâ inmodicam significarent. Itaque prætor extemplo edixit, *Uti æditui aedes sacras omnes tota urbe aperirent, circumeundi, salutandique Deos, agendique grates per totum diem populo potestas fieret.* Postero die legatos Masinissæ in senatum introduxit. Gratulati primum senatui sunt, *quod P. Scipio prospere res in Africa gessisset:* deinde gratias egerunt, *quod Masinissam non adpellasset modo regem, sed fecisset, restituendo in paternum regnum: in quo post Syphacem sublatum, si ita Patribus visum esset, sine metu et certamine esset regnaturus.* Dein,

Oratio legatorum
Masinissæ
in senatu.

quod conlaudatum pro concione amplissimis decorasset U. C. 549.
 donis: quibus ne indignus esset, et dedisse operam Ma- A. C. 263.
 sinissam, et porro daturum esse. Petere, ut regium
 nomen ceteraque Scipionis beneficia et munera senatus
 decreto confirmaret: et, nisi molestum esset, illud quo-
 que petere Masinissam, ut Numidas captivos, qui Romæ
 in custodia essent, remitterent. Id sibi amplum apud
 populares futurum esse. Ad ea responsum legatis:
 Rerum gestarum in Africa prospere communem sibi
 cum rege gratulationem esse. Scipionem recte atque
 ordine vidcri fecisse, quod eum regem adpellaverit: et,
 quidquid aliud fecerit, quod cordi foret Masinissæ, ea
 Patres comprobare atque laudare. Munera, quæ le-
 gati ferrent regi, decreverunt: sagula purpurea duo
 cum fibulis aureis singulis, et lato clavo tunicis: et
 equos duo phaleros: bina equestria arma cum lo-
 ricis: et tabernacula, militaremque suppellectilem,
 qualem præberi consuli mos esset. Hæc regi præ-
 tor mittere jussus: legatis in singulos dona ne mi-
 nus quinûm millium, comitibus eorum millium æris:
 et vestimenta bina legatis, singula comitibus Numi-
 disque, qui ex custodia emissi redderentur regi: ad
 hoc ædes liberæ, loca, lautia legatis decreta.

XVIII. Eadem æstate, qua hæc decreta Romæ,
 et in Africa gesta sunt, P. Quinctilius Varus prætor Proelium
 et M. Cornelius proconsul in agro Insubrium Gallo- cum Ma-
 rum cum Magone Pæno signis conlatis pugnarunt. gone.
 Prætoris legiones in prima acie fuerunt: Cornelius
 suas in subsidiis tenuit, ipse ad prima signa equo
 adductus: proque duobus cornibus prætor ac pro-
 consul milites ad inferenda in hostes signa summa
 vi hortabantur. Postquam nihil commovebant, tum
 Cornelio Quinctilius: *Lentior, ut vides, fit pugna:
 et induratus præter spem resistendo hostium timor: ac,*

U. C. 549. *ne vertat in audaciam, periculum est. Equestrem pro-*
 A. C. 203. *cellam excitemus, oportet, si turbare ac statu movere*
volumus. Itaque vel tu ad prima signa prælium sus-
tine, ego inducam in pugnam equites: vel ego hic in
prima acie rem geram, tu quatuor legionum equites in
hostem emitte. Utram vellet prætor, muneris partem
proconsule accipiente, Quinctilius prætor cum filio,
cui Marco prænomen erat, inpigro juvene, ad equi-
tes pergit: jussosque escendere in equos repente in
hostem emittit. Tumultum equestrem auxit clamor
ab legionibus additus: nec stetisset hostium acies,
ni Mago, ad primum equitum motum, paratos ele-
phantos extemplo in prælium induxisset. Ad quo-
rum stridorem odoremque et adspectum territi equi
vanum equestre auxilium fecerunt: et ut permixtus,
ubi cuspide uti et cominus gladio posset, roboris
majoris Romanus eques erat; ita in ablatum paventibus
procul equis melius ex intervallo Numidæ ja-
culabantur. Simul et peditum legio duodecima,
magna ex parte cæsa, pudore magis, quam viribus,
tenebat locum: nec diutius tenuisset, ni ex subsidiis
tertiadecima legio, in primam aciem inducta, præ-
lium dubium exceperisset. Mago quoque ex subsidiis
Gallos integræ legioni opposuit. Quibus hæud mag-
no certamine fuis, hastati legionis undecimæ con-
globant sese, atque elephantos jam peditum aciem
turbantes invadunt: in quos quum pila confertos
conjecissent, nullo ferme frustra emisso, omnes re-
tro in aciem suorum averterunt: quatuor gravati
vulneribus conruerunt. Tum prima commota hos-
tium acies, simul omnibus peditibus, ut aversos vi-
dere elephantos, ad augendum pavorem ac tumultum
effusis: sed, donec stetit ante signa Mago, gradum
sensim referentes ordines, tenorem pugne serva-

bant; postquam femine transfixo cadentem, auferri-
 que ex prælio prope exsanguem videre, extemplo in
 fugam omnes versi: ad quinque millia hostium eo
 die cæsa, et signa militaria duo et viginti capta.
 Nec Romanis incruenta victoria fuit; duo millia et
 trecenti de exercitu prætoris, pars multo maxima ex
 legione duodecima, amissi: inde et tribuni militum
 duo, M. Cosconius, et M. Mænius; tertiæ decimæ
 quoque legionis, quæ postremo prælio adfuerat,
 Cn. Helvius tribunus militum in restituenda pugna
 cecidit, et duo et viginti ferme equites illustres,
 obtriti ab elephantis, cum centurionibus aliquot pe-
 rierunt: et longius certamen fuisset, ni vulnere du-
 cis concessa victoria esset.

U. C. 549.
A. C. 203.

Vincunt
Romani.

XIX. Mago, proximæ noctis silentio profectus,
 quantum pati viæ per vulnus poterat, itineribus ex-
 tentis, ad mare in Ligures Ingaunos pervenit: ibi
 eum legati ab Karthagine, paucis ante diebus in si-
 num Gallicum adpulsis navibus, adierunt, jubentes,
 primo quoque tempore in Africam trajicere: *idem
 et fratrem ejus Hannibalem (nam ad eum quoque isse
 legatos eadem jubentes) facturum. Non in eo esse
 Karthaginensium res, ut Galliam atque Italiam armis
 obtineant.* Mago, non imperio modo senatus peri-
 culoque patriæ motus, sed metuens etiam, ne victor
 hostis moranti instaret, Liguresque ipsi, relinqui
 Italiam a Pœnis ceruentes, ad eos, quorum mox in
 potestate futuri essent, deficerent, simul sperans le-
 niorem in navigatione, quam in via, jactationem vul-
 neris fore, et curationi omnia commodiora, inpositis
 copiis in naves profectus, vixdum superata Sardinia,
 ex vulnere moritur: naves quoque aliquot Pœnorum
 disjectæ in alto a classe Romana, quæ circa Sardi-

Mago jus-
sus in Afri-
cam redire.

In naviga-
tione mori-
tur.

U. C. 549. niam erat, capiuntur. Hæc terra marique in parte
 A. C. 203. Italiæ, quæ jacet ad Alpes, gesta. Consul C. Servilius, nulla memorabili re in provincia Etruria et Gallia (quoniam eo quoque processerat) gesta, patre C. Servilio et C. Lutatio ex servitute post sextumdecimum annum receptis, qui ad vicum Tanctum a Boiis capti fuerant, hinc patre, hinc Catulo lateri circumdatis, privato magis, quam publico decore insignis, Romam rediit. Latum ad populum est, ne C. Servilio fraudi esset, quod patre, qui sella curuli sedisset, vivo, quum id ignoraret, tribunus plebis atque ædilis plebis fuisset, contra quam sanctum legibus erat. Hac rogatione perlata, in provinciam rediit. Ad Cn. Servilium consulem, qui in Bruttis erat, Consentia, Uffugum, Vergæ, Besidiæ, Hetriculum, Syphæum, Argentanum, Clampetia, multique alii ignobiles populi, senescere Punicum bellum cernentes, defecere. Idem consul cum Hannibale in agro Crotoniensi acie conflixit. Obscura ejus pugnæ fama est. Valerius Antias quinque millia hostium cæsa ait: quæ tanta res est, ut aut impudenter ficta sit, aut negligenter prætermissa. Nihil certe ultra rei in Italia ab Hannibale gestum: nam ad eum quoque legati ab Karthagine, vocantes in Africam, iis forte diebus, quibus ad Magonem, venerunt.

Hannibal-
 lis revo-
 cati ex Ita-
 lia dolor.

XX. Frenuens gemensque, ac vix lacrimis temperans, dicitur legatorum verba audisse: postquam edita sunt mandata, *Jam non perplexe, inquit, sed palam revocant, qui, velando supplementum et pecuniam mitti, jampridem retrahebant. Vicit ergo Hannibalem non populus Romanus toties cæsus fugatusque, sed senatus Karthaginensis obtractatione atque invidia: neque hac deformitate reditus mei tam P. Scipio*

exsultabit atque efferet sese, quam Hanno, qui domum nostram, quando alia re non potuit, ruina Karthaginis obpressit. Jam hoc ipsum præsagens animo, præparaverat ante naves: itaque, inutili militum turba præsidii specie in oppida Bruttii agri, quæ pauca magis metu, quam fide, continebantur, dimissa, quod roboris in exercitu erat, in Africam transvexit: multis Italici generis (quia in Africam secuturos abnuentes concesserant in Junonis Lacinia delubrum, inviolatum ad eam diem) in templo ipso fœde interfectis. Raro quemquam alium, patriam exsilii causa relinquentem, magis mœstum abisse ferunt, quam Hannibalem hostium terra excedentem: respexisse sæpe Italiae litora, et Deos hominesque accusantem, in se quoque ac suum ipsius caput exsecratum, *Quod non cruentum ab Cannensi victoria militem Romam duxisset. Scipionem ire ad Karthaginem ausum, qui consul hostem in Italia Pœnum non vidisset: se, centum milibus armatorum ad Trasimenum et Cannas cæsis, circa Casilinum, Cumasque, et Nolam consenuisse.* Hæc accusans querensque, ex diutina possessione Italiae est detractus.

XXI. Romam per eosdem dies, et Magonem et Hannibalem profectos, adlatum est: cujus duplicis gratulationis minuit lætitiâ, et quod parum duces in retinendis iis (quum id mandatum ab senatu esset) aut animi, aut virium habuisse videbantur; et quod solliciti erant, omni belli mole in unum ducem exercitumque inclinata, quo evasura esset res. Per eosdem dies legati Saguntini venerunt, comprehensos cum pecunia adducentes Karthaginienses, qui ad conducenda auxilia in Hispaniam trajecissent: ducentum et quinquaginta auri, octingentum pondo

U. C. 549. argenti in vestibulo curiæ posuerunt. Hominibus
 A. C. 203. acceptis et in carcerem conditis, auro argentoque
 reddito, gratiæ legatis actæ: atque insuper munera
 data ac naves, quibus in Hispaniam reverterentur.
 Mentio deinde ab senioribus facta est, *Segnius ho-*
mines bona, quam mala, sentire. Transitu in Italiam
Hannibalis, quantum terroris pavorisque, sese memi-
nisse, quas deinde clades, quos luctus incidisse? Visa
castra hostium e muris urbis: quæ vota singulorum
universorumque fuisse? quoties in conciliis voces, ma-
nus ad cælum porrigentium, auditas; En unquam ille
dies futurus esset, quo vacuum hostibus Italiam bona
pace florentem visuri essent? Dedissem tandem id Deos
sextodecimo demum anno: nec esse, qui Diis grates
agendas censeant. Adeo ne advenientem quidem gra-
tiam homines benigne accipere, nedum ut præteritæ sa-
tis memores sint. Conclamatum deinde ex omni parte
 curiæ est, uti referret P. Ælius prætor: decretum-
 que, ut quinque dies circa omnia pulvinaria suppli-
 caretur, victimæque majores inæolarentur centum
 viginti. Jam dimisso Lælio legatisque Masinissæ,
 quum Karthaginiensium legatos de pace ad sena-
 tum venientes Puteolis visos, inde terra venturos
 adlatum esset; revocari C. Lælium placuit, ut co-
 ram eo de pace ageretur. Q. Fulvius Gillo, legatus
 Scipionis, Karthaginienses Romam adduxit: qui-
 bus, vetitis ingredi urbem, hospitium in villa publica,
 senatus ad ædem Bellonæ datus est.

Supplicatio Romæ
 decreta ob
 discessum
 Hanniba-
 lis.

Legati
 Karthagi-
 nienses de
 pace.

XXII. Orationem eandem ferme, quam apud
 Scipionem, habuerunt; culpam omnem belli a pub-
 lico consilio in Hannibalem vertentes. *Eum injussu*
senatus non Alpes modo, sed Iberum quoque, transgres-
sam: nec Romanis solum, sed ante etiam Saguntinis,

privato consilio bellum intulisse. Senatui ac populo Karthaginiensi, si quis vere æstimet, fœdus ad eam diem inviolatum esse cum Romanis. Itaque nihil aliud sibi mandatum esse, uti peterent, quam ut in ea pace, quæ postremo cum consule Lutatio facta esset, manere liceret. Quum, more tradito, Patribus potestatem interrogandi, si quis quid vellet, legatos, prætor fecisset; senioresque, qui fœderibus interfuerant, alia alii interrogarent, nec meminisse per ætatem (etenim omnes ferme juvenes erant) dicerent legati; conclamatum ex omni parte curiæ est, Punica fraude electos, qui veterem pacem repeterent, cujus ipsi non meminissent.

U. C. 549.
A. C. 203.

XXIII. Emotis deinde curia legatis, sententiæ interrogari cœptæ. M. Livius C. Servilium consulem, qui propior esset, arcessendum, ut coram eo de pace ageretur, censebat: quum de re majore, quam quanta ea esset, consultatio incidere non posset, non videri sibi, absente consulum altero, ambobusve, eam rem agi, satis ex dignitate populi Romani esse. Q. Metellus, qui triennio ante consul dictatorque fuerat, Quum P. Scipio, cædendo exercitus, agros populando, in eam necessitatem compulsisset hostes, ut supplices pacem peterent; et nemo omnium verius existimare posset, qua mente ea pax peteretur, quam is, qui ante portas Karthaginis bellum gereret; nullius alterius consilio, quam Scipionis, accipiendam abnuendamve pacem esse. M. Valerius Lævinus, qui bis consul fuerat, Speculatores, non legatos, venisse, arguebat: jabendosque Italia excedere, et custodes cum iis usque ad naves mittendos; Scipionique scribendum, ne bellum remitteret. Lælius Fulviusque adjecerunt: Et Scipionem in eo positam habuisse spem pacis, si Hanni-

U. C. 549. *bal et Mago ex Italia non revocarentur. Omnia simul*
 A. C. 203. *laturos Karthaginienses, duces eos exercitusque expectantes: deinde, quamvis recentium fœderum et Deorum omnium oblitos, bellum gesturos. Eo magis in*

Re infecta Lævini sententiam discessum. Legati pace infecta,
 dimissi. ac prope sine responso, dimissi.

Cn. Servilius ex Sicilia revocatur. XXIV. Per eos dies Cn. Servilius consul, haud dubius, quin pacatæ Italiæ penes se gloria esset, velut pulsum ab se Hannibalem persequens, in Siciliam, inde in Africam transiturus, trajecit. Quod ubi Romæ vulgatum est, primo censuerunt Patres, ut prætor scriberet consuli, senatum æquum censere, in Italiam reverti eum: deinde, quum prætor, spre-turum eum literas suas, diceret, dictator ad id ipsum creatus P. Sulpicius, pro jure majoris imperii, consulem in Italiam revocavit: reliquum anni, cum M. Servilio magistro equitum, circumvenendis Italiæ urbibus, quæ bello alienatæ fuerant, noscendisque singularum causis consumsit. Per induciarum tempus et ex Sardinia ab Lentulo prætore centum onerariæ naves, cum comæatu et viginti rostratarum præsidio, et ab hoste, et ab tempestatibus mari tuto, in Africam transmiserunt. Cn. Octavio ducentis onerariis, triginta longis navibus ex Sicilia trajicienti, non eadem fortuna fuit. In conspectum ferme Africæ prospero cursu vectum primo destituit ventus; deinde versus in Africum turbavit, ac passim naves disjecit: ipse cum rostratis, per adversos fluctus ingenti remigum labore enisus, Apollinis promontorium tenuit: onerariæ, pars maxima ad Ægimurum (insula ea sinum ab alto claudit, in quo sita Karthago est, triginta ferme millia ab urbe) aliæ adversus urbem ipsam ad Calidas Aquas delatæ sunt. Om-

Classis
 Romana
 disjecta
 vento.

nia in conspectu Karthaginis erant : itaque ex tota U. C. 549.
 urbe in forum concursum est. Magistratus senatum A. C. 203.
 vocare, populus in curiæ vestibulo fremere, ne tanta
 ex oculis manibusque amitteretur præda. Quum qui-
 dam pacis petitæ, alii induciarum (necdum enim
 dies exierat) fidem obponerent, permixto pene sena-
 tus populique concilio, consensus est, ut classe
 quinquaginta navium Hasdrubal Ægimarum trajice-
 ret : inde per litora portusque dispersas Romanas Naves onerariæ a Carthaginiensibus captæ.
 naves conligeret. Desertæ fuga nautarum, primum
 ab Ægimuro, dein ab Aquis onerariæ Karthaginem
 puppibus tractæ sunt.

XXV. Nondum reverterant ab Roma legati, ne Legati Romani prope violati.
 que sciebatur, quæ senatus Romani de bello aut
 pace sententia esset ; necdum induciarum dies exi-
 erat : eo indigniorem injuriam ratus Scipio, ab iis,
 qui petiissent pacem et inducias, et spem pacis et
 fidem induciarum violatam esse, legatos Karthagi-
 nem, L. Bæbium, L. Sergium, L. Fabium extemplo
 misit : qui, quum multitudinis concursu prope vio-
 lati essent, nec reditum tutiorem cernerent futurum,
 petierunt a magistratibus, quorum auxilio vis pro-
 hibita erat, ut naves mitterent, quæ se prosequeren-
 tur. Datæ triremes duæ, quum ad Bagradam flu-
 men pervenissent, unde castra Romana conspicie-
 bantur, Karthaginem rediere. Classis Punica ad
 Uticam stationem habebat : ex ea tres quadriremes,
 seu clam misso a Karthagine nuncio, uti fieret, seu
 Hasdrubale, qui classi præerat, sine publica fraude
 auso facinus, quinqueremem Romanam superantem
 promontorium ex alto repente adgressæ sunt : sed
 neque rostro ferire celeritate subterlabentem pote-
 rant, neque transilire armati ex humilioribus in al-

U. C. 549. tiorem navem; et defendebatur egregie, quoad tela
 A. C. 203. subpeditarunt: quâs deficientibus, quum jam nulla
 alia res eam, quam propinquitas terræ, multitudo-
 que a castris in litus effusa, tueri potuisset; concit-
 atam remis, quanto maximo inpetu poterant, in
 terram quum innisissent, navis tantum jactura facta,
 incolumes ipsi evaserunt. Ita alio super aliud sce-
 lere quum haud dubie induciæ ruptæ essent, Lælius
 Fulviusque ab Roma cum legatis Karthaginiensibus
 supervenerunt: quibus Scipio, *Etsi non induciarum
 modo fides a Karthaginiensibus, sed jus etiam gentium
 in legatis violatum esset; tamen se nihil, nec institutis
 populi Romani, nec suis moribus indignum, in iis factu-
 rum esse,* quum dixisset, legatis dimissis, bellum pa-
 rabat. Hannibali jam terræ adpropinquanti jussus
 e nauticis unus escendere in malum, ut specularetur,
 quam tenerent regionem, quum dixisset, sepulcrum
 dirutum proram spectare, abominatus, prætervehi
 jusso gubernatore, ad Leptim adpulit classem, atque
 Ad Leptim
 adpellit
 Hannibal. ibi copias exposuit.

XXVI. Hæc eo anno in Africa gesta. Insequen-
 tia excedunt in eum annum, quo M. Servilius Gemi-
 nus qui tum magister equitum erat, et Ti. Claudius
 Nero consules facti sunt. Ceterum exitu superioris
 anni quum legati sociarum urbium ex Græcia questi
 essent, vastatos agros ab regiis præsiidiis, profectos-
 que in Macedoniam legatos ad res repetendas non
 admissos ad Philippum regem: simul nunciassent,
 quatuor millia militum cum Sopatro duce trajecta in
 Africam dici, ut essent Karthaginiensibus præsidio,
 et pecuniæ aliquantum una missum; legatos ad re-
 gem, qui hæc adversus fœdus facta videri Patribus
 nunciarent, mittendos censuit senatus. Missi C.

Legati ad
 Philip-
 pum missi
 a Roma-
 nis.

Terentius Varro, C. Mamilius, M. Aurelius: iis tres U. C. 549.
 quinqueremes datæ. Annus insignis incendio in- A. C. 203.
 genti, quo clivus Publicius ad solum exustus
 est, et aquarum magnitudine: sed annonæ vili-
 tas fuit, præterquam quod pace omnis Italia erat
 aperta, etiam quod magnam vim frumenti, ex His-
 pania missam, M. Valerius Falto et M. Fabius Bu-
 teo ædiles curules quaternis æris vicatim populo de-
 scripserunt. Eodem anno Q. Fabius Maximus mo- Q. Fabii
 ritur, exactæ ætatis; siquidem verum est, augurem Maximi
 duos et sexaginta annos fuisse, quod quidam aucto- mors et
 res sunt. Vir certe fuit dignus tanto cognomine, laudes.
 vel si novum ab eo inciperet. Superavit paternos
 honores, avitos æquavit. Pluribus victoriis et ma-
 joribus præliis avus insignis Rullus; sed omnia
 æquare unus hostis Hannibal potest. Cautior tam-
 en, quam promptior, hic habitus fuit: et, sicut
 dubites, utrum ingenio cunctator fuerit, an quia ita
 bello proprie, quod tum gerebatur, aptum erat; sic
 nihil certius est, quam unum hominem nobis cunc-
 tando rem restituisse, sicut Ennius ait. Augur in
 locum ejus inauguratus Q. Fabius Maximus, filius:
 in ejusdem locum pontifex (nam duo sacerdotia ha-
 buit) Ser. Sulpicius Galba. Ludi Romani diem
 unum, plebei ter toti instaurati ab ædilibus, M. Sex-
 tio Sabino et Cn. Tremellio Flacco: ii ambo præ-
 tores facti, et cum iis C. Livius Salinator et C. Au-
 relius Cotta. Comitia ejus anni utrum C. Servilius
 consul habuerit, an (quia eum res in Etruria tene-
 rint, quæstiones ex senatusconsulto de conjurationi-
 bus principum habentem) dictator ab eo dictus P.
 Sulpicius, incertum ut sit, diversi auctores faciunt.

XXVII. Principio insequentis anni, M. Servilius

U. C. 530. et Ti. Claudius, senatu in Capitolium vocato, de
 A. C. 292. provinciis retulerunt. Italianam atque Africam in
 sortem conjici, Africam ambo cupientes, volebant:
 ceterum, Q. Metello maxime adnitante, neque data,
 neque negata est Africa. Consules jussi cum tribu-
 nis plebis agere, ut, si iis videretur, populum roga-
 rent, quem vellet in Africa bellam gerere. Omnes
 tribus P. Scipionem jusserunt. Nihilominus consu-
 les provinciam Africam (ita enim senatus decreve-
 rat) in sortem conjecerunt. Ti. Claudio Africa
 evenit, ut quinquaginta navium classem, omnes
 quinqueremes, in Africam trajiceret, parique impe-
 rio cum Scipione imperator esset. M. Servilius
 Etruriam sortitus: in eadem provincia et C. Servilio
 prorogatum imperium, si consulem manere ad ur-
 bem senatui placuisset. Praetores, M. Sextius Gal-
 liam est sortitus, ut duas legiones provinciamque
 traderet ei P. Quinctilius Varus; C. Livius Brutios
 cum duabus legionibus, quibus P. Sempronius pro-
 consul priore anno praefuerat; Cn. Tremellius Sici-
 liam, ut ab P. Villio Tappulo praetore prioris anni
 provinciam et duas legiones acciperet; Villius pro-
 praetor viginti navibus longis, militibus mille, oram
 Siciliae tutaretur: inde M. Pomponius viginti navi-
 bus reliquis mille et quingentos milites Romam de-
 portaret. C. Aurelio Cottae urbana evenit: ceteris,
 ita uti quisque obtinebant provincias exercitusque,
 prorogata imperia. Sexdecim non amplius eo anno
 legionibus defensum imperium est. Et ut placatis
 Diis omnia inciperent agerentque, ludos, quos, M.
 Claudio Marcello, T. Quinctio consulibus, T. Man-
 lius dictator, quasque hostias majores voverat, si per
 quinquennium illud respublica eodem statu fuisset,

ut eos ludos consules, priusquam ad bellum proficiscerentur, facerent. Ludi in circo per quadriduum facti: hostiæque, quibus votæ erant Diis, cæsæ.

XXVIII. Inter hæc simul spes, simul cura in dies crescebat: nec satis certum constare apud animum poterat, utrum gaudio dignum esset, Hannibalem, post sextumdecimum annum ex Italia decedentem, vacuam possessionem ejus reliquisse populo Romano, an magis metuendum, quod incolumi exercitu in Africam transisset. *Locum nimirum, non periculum, mutatum; cujus tantæ dimicationis vatem, qui nuper decessisset, Q. Fabium haud frustra canere solitum, graviolem in sua terra futurum hostem Hannibalem, quam in aliena fuisset: nec Scipioni aut cum Syphace, inconditæ barbariæ rege, cui Statorius semilix ducere exercitus solitus sit, aut cum socero ejus Hasdrubale, fugacissimo duce, rem futuram, aut tumultuariis exercitibus, ex agrestium semiermi turba subito conlectis; sed cum Hannibale, prope nato in prætorio patris fortissimi ducis, alito atque educato inter arma, puero quondam milite, vixdum juvene imperatore: qui senex vincendo factus, Hispanias, Gallias, Italiam ab Alpibus ad fretum monumentis ingentium rerum complexet: ducere exercitum æqualem stipendiis suis, duratum omnium rerum potentia, quas vix fides fiat homines passos; perfasum millies cruore Romano; exuvias non militum tantum, sed etiam imperatorum, portantem. Multos obscuros Scipioni in acie, qui prætores, qui imperatores, qui consules Romanos sua manu occidissent, muralibus vallaribusque insignes coronis, percutatos capta castra, captus urbes Romanas. Non esse hodie tot fasces magistratibus populi Romani, quot captos ex cæde imperatorum præferre posset Hannibal.*

Anxii Romani ob transitum Hannibalis,

U. C. 559. Has formidines agitando animis, ipsi curas et metus
 A. C. 202. augebant etiam, quod, quum adsuessent per aliquot
 annos bellum ante oculos aliis atque aliis in Italiae
 partibus lenta spe, in nullum propinquum debellandi
 finem gerere, crexerant omnium animos Scipio et
 Hannibal, velut ad supremum certamen comparati
 duces. Ii quoque, quibus ingens erat in Scipione
 fiducia et victoriae spes, quo magis in propinquam
 eam iminebant animis, eo curae intentioris erant.
 Haud dispar habitus animorum Karthaginiensibus
 erat: quos modo petisse pacem, intuentes Hanniba-
 lem ac rerum gestarum ejus magnitudinem, pœnite-
 bat: modo, quum respicerent, bis sese acie victos,
 Syphacem captum, pulsos se Hispania, pulsos Ita-
 lia, atque ea omnia unius virtute et consilio Scipio-
 nis facta, velut fatalem eum ducem in exitium suum
 natum horrebant.

XXIX. Jam Adrametum venerat Hannibal: un-
 de, ad reficiendum ex jactatione maritima militem
 paucis diebus sumtis, excitus pavidis-nunciis, omnia
 circa Karthaginem obtineri armis, adferentium,
 magnis itineribus Zamam contendit. Zama quin-
 que dierum iter ab Karthagine abest: inde præmissi
 speculatores quum excepti a custodibus Romanis
 deducti ad Scipionem essent, traditos eos tribuni
 militum, jussosque omisso metu visere omnia, per
 castra, qua vellent, circumduci jussit: percunctatus-
 que, satin' per commodum omnia explorassent, da-
 tis, qui prosequerentur, retro ad Hannibalem dimi-
 sit. Hannibal nihil quidem eorum, quæ nunciaban-
 tur, (nam et, Masinissam cum sex millibus peditum,
 quatuor equitum venisse eo ipso forte die, adfere-
 bant,) læto animo audiit, maxime hostis fiducia,

Speculato-
 res Han-
 nibalis a
 Scipione
 dimissi.

quæ non de nihilo profecto concepta est, percussus. U. C. 550.
A. C. 202.
Itaque, quamquam et ipse causa belli erat, et adventu suo turbaverat et pactas inducias, et spem fœderum; tamen, si integer, quam si victus, peteret pacem, æquiora impetrari posse ratus, nuncium ad Scipionem misit, ut conloquendi secum potestatem faceret. Id utrum sua sponte fecerit, an publico consilio, neutrum cur adfirmem, habeo. Valerius Antias, primo prælio victum eum a Scipione, quo duodecim millia armatorum in acie sunt cæsa, mille et septingenti capti, legatum cum aliis decem legatis tradit in castra ad Scipionem venisse. Ceterum Scipio quum conloquium haud abnuisset, ambo ex composito duces castra protulerunt, ut coire ex propinquo possent. Scipio haud procul Naraggara Conloquium ducum
de pace. urbe, tum ad cetera loco opportuno, tum quod aquatio intra teli conjectum erat, consedit. Hannibal tumultum a quatuor millibus inde, tutum commodumque alioquin, nisi quod longinquæ aquationis erat, cepit: ibi in medio locus conspectus undique, ne quid insidiarum esset, delectus.

XXX. Submotis pari spatio armatis, cum singulis interpretibus congressi sunt, non suæ modo ætatis maximi duces, sed omnis ante se memoriæ, omnium gentium cuilibet regum imperatorumve pares. Paullisper alter alterius conspectu, admiratione mutua prope adtoniti conticuere. Tum Hannibal prior, Hannibalis
oratio.
Si hoc ita fato datum erat, ut, qui primus bellum intuli populo Romano, quique toties prope in manibus victoriam habui, is ultro ad pacem petendam venirem; lator te mihi sorte potissimum datum, a quo peterem. Tibi quoque inter multa egregia non in ultimis laudum hoc fuerit, Hannibalem, cui tot de Romanis ducibus

U. C. 550. victoriam Diū dedissent, tibi cessisse; teque huic bello,
 A. C. 202. restris prius, quam nostris, claudibus insigni, finem imposuisse. Hoc quoque ludibrium casus ediderit fortuna, ut, quum patre tuo consule ceperim arma, cum eodem primum Romano imperatore signa contulerim; ad filium ejus inermis ad pacem petendam veniam. Optimum quidem fuerat, eam patribus nostris mentem datam ab Diis esse, ut et vos Italiae, et nos Africae imperio contenti essemus: neque enim ne vobis quidem Sicilia ac Sardinia satis digna pretia sunt pro tot classibus, tot exercitibus, tot tam egregiis amissis ducibus. Sed praeterita magis reprehendi possunt, quam corrigi. Ita aliena adpetivimus, ut de nostris dinicaremus, nec in Italia solum vobis bellum, nobis in Africa esset: sed et vos in portis vestris prope ac manibus signa armaque hostium vidistis, et nos ab Karthagine fremitum castrorum Romanorum exaudimus. Quod igitur nos maxime abominaremur, vos ante omnia optaretis, in meliore vestra fortuna de pace agitur: agimus ii, quorum et maxime interest pacem esse, et qui quodcumque egerimus, ratum civitates nostrae habiturae sint: animo tantum nobis opus est non abhorrente a quietis consiliis. Quod ad me adinet, jam aetas senem in patriam revertentem, unde puer profectus sum, jam secundae, jam adversae res, ita erudierunt, ut rationem sequi, quam fortunam, malim. Tuam et adolescentiam et perpetuam felicitatem, ferociora utraque, quam quietis opus est consiliis, metuo. Non temere incerta casuum reputat, quem fortuna numquam decepit. Quod ego fui ad Trasimensem, ad Cannas, id tu hodie es. Fixdum militari aetate imperio accepto, omnia audacissime incipientem nusquam fefellit fortuna. Patris et patrum persecutus mortem, ab calamitate vestrae domus decus

insigne virtutis pietatisque eximiæ cepisti : amissas Hispanias reciperasti, quatuor inde Punicis exercitibus pulsas : consul creatus, quum ceteris ad tutandam Italiam parum animi esset, transgressus in Africam, duobus hic exercitibus cæsis, binis eadem hora captis simul incensisque castris, Syphace potentissimo rege capto, tot urbibus regni ejus, tot nostri imperii ereptis, me sextumdecimum jam annum hærentem in possessione Italiæ detraxisti. Potest victoriam, inquam, malle, quam pacem, animus. Novi spiritus magis magnos, quam utiles : et mihi talis aliquando fortuna adfulsit. Quod si in secundis rebus bonam quoque mentem darent Dii ; non ea solum, quæ evenissent, sed etiam ea, quæ evenire possent, reputarem. Ut omnium obliviscaris aliorum, satis ego documenti in omnes casus sum. Quem modo, castris inter Anienem atque urbem vestram positis, signa inferentem ad mœnia Romana ; hic cernis, duobus fortissimis viris, fratribus clarissimis imperatoribus, orbatum, ante mœnia prope obsessæ patriæ, quibus terrui vestram urbem, ea pro mea deprecantem. Maximæ cuique fortunæ minime credendum est. In bonis tuis rebus, nostris dubiis, tibi ampla ac speciosa danti est pax ; nobis petentibus magis necessaria, quam honesta. Melior tutiorque est certa pax, quam sperata victoria : hæc in tua, illa in Deorum manu est. Ne tot annorum felicitatem in unius horæ dederis discrimen. Quum tuas vires, tum vim fortunæ Martemque belli communem, propone animo. Utrimque ferrum, corpora humana erunt : nusquam minus, quam in bello, eventus respondent. Non tantum ad id, quod data pace jam habere potes, si prælio vincas, gloriæ adjeceris : quantum ademeris, si quid adversi eveniat. Simul parta ac sperata decora unius horæ for-

U. C. 550.
A. C. 202.

U. C. 550.
A. C. 202.

tuna evertere potest. Omnia in pace jungenda tuæ potestatis sunt, P. Corneli: tunc ea habenda fortuna erit, quam Dii dederint. Inter pauca felicitatis virtutisque exempla M. Atilius quondam in hac eadem terra fuisset, si victor pacem petentibus dedisset patribus nostris: non statuendo tandem felicitati modum, nec cohibendo efferentem se fortunam, quanto altius elatus erat, eo fædius conruit. Est quidem ejus, qui dat, non qui petit, conditiones dicere pacis: sed forsitan non indignissimus, qui nobismet ipsi multam inrogemus. Non recusamus, quin omnia, propter quæ bellum initum est, vestra sint, Sicilia, Sardinia, Hispania, quidquid insularum toto inter Africam Italianque continetur mari. Karthaginienses, inclusi Africæ litoribus, vos (quando ita Dîs placuit) externa etiam terra marique videamus regentes imperia. Haud negaverim, propter non nimis sincere petitam aut exspectatam nuper pacem, suspectam esse vobis Punicam fidem: multum, per quos petita sit, ad fidem tuendæ pacis pertinet, Scipio. Vestri quoque (ut audio) Patres nonnihil etiam ob hoc, quia parum dignitatis in legatione erat, negaverunt pacem. Hannibal peto pacem: qui neque peterem, nisi utilem crederem; et propter eandem utilitatem tuebor eam, propter quam petii: et, quemadmodum, quia a me bellum captum est, ne quem ejus pœniteret, quoad ipsi invidere Dei, præstiti; ita admitar, ne quem pacis per me partæ pœniteat.

Responsio
Scipionis.

XXXI. Adversus hæc imperator Romanus in hanc fere sententiam respondit. *Non me fullebat, Hannibal, adventus tui spe Karthaginienses et præsentem induciarum fidem, et spem pacis turbasse; neque tu id sane dissimulas, qui de conditionibus superioribus pacis omnia subtrahas, præter ea, quæ jam pridem in*

nostra potestate sunt. Ceterum, sicut tibi curæ est, U. C. 550.
sentire cives tuos, quanto per te onere leventur: sic A. C. 202.
mihi laborandum est, ne, quæ tunc pepigerunt, hodie
subtracta ex conditionibus pacis, præmia perfidiæ ha-
beant. Indigni, quibus eadem pateat conditio, ut etiam
prosit vobis fraus, petitis. Neque patres nostri priores
de Sicilia, neque nos de Hispania fecimus bellum: et
tunc Mamertinorum sociorum periculum, et nunc Sa-
gunti excidium nobis pia ac justa induerunt arma. Vos
laccessisse, et tu ipse fateris, et Dei testes sunt: qui et
illius belli exitum secundum jus fasque dederunt, et hu-
jus dant et dabunt. Quod ad me adinet, et humanæ
infirmitatis memini, et vim fortunæ reputo, et omnia,
quæcumque agimus, subjecta esse mille casibus scio.
Ceterum, quemadmodum superbe et violenter me fate-
rer facere, si prius, quam in Africam trajecissem, te
tua voluntate cedentem Italia, et, inposito in naves ex-
ercitu, ipsum venientem ad pacem petendam adspere-
narer; sic nunc, quum prope manu conserta restitantiem
ac tergiversantiem in Africam adtraxerim, nulla sum
tibi verecundia obstrictus. Proinde si quid ad ea in
quæ tum pax conventura videbatur, (quæ sint, nosti)
multæ navium cum comœatu per inducias expugnata-
rum legatorumque violatorum adjicitur, est, quod re-
feram ad consilium. Sin illa quoque grævia videntur,
bellum parate, quoniam pacem pati non potuistis. Ita
infecta pace, ex conloquio ad suos quum se recepis- Re infecta
sent, frustra verba jaectata renunciant: armis decer- redeunt.
nendum esse, habendamque eam fortunam, quam
Dii dedissent.

XXXII. In castra ut est ventum, pronunciant Omnia pa-
ambo, *Arma expedirent milites animosque ad supre-* rantur ad
rum certamen, non in unum diem, sed in perpetuum, prelium.

U. C. 550. *si felicitas adesset, victores. Roma, an Karthago, jura*
 A. C. 202. *gentibus darent, ante crastinam noctem scituros: neque enim Africam, aut Italiam, sed orbem terrarum victoria præmium fore; par periculum præmio, quibus adversæ pugnæ fortuna fuisset: nam neque Romanis effugium ullum patebat in aliena ignotaque terra: et Karthagini, supremo auxilio effuso, adesse videbatur præsens excidium. Ad hoc discrimen procedunt postero die duorum opulentissimorum populorum duo longe clarissimi duces, duo fortissimi exercitus, multa ante parta decora aut cumulaturi eo die, aut eversuri. Anceps igitur spes et metus miscebant animos: contemplantibusque modo suam, modo hostium aciem, quum oculis magis, quam ratione, pensarent vires, simul læta, simul tristia obversabantur. Quæ ipsis sua sponte non subcurrebant, ea duces admonendo atque hortando subjiciunt. Pœnus sedecim annorum in terra Italia res gestas, tot duces Romanos, tot exercitus occisione occisos, et sua cuique decora, ubi ad insignem alicujus pugnæ memoria militem venerat, referebat. Scipio Hispanias, et recentia in Africa prælia, et confessionem hostium, quod neque non petere pacem propter metum, neque manere in ea præ insita animis perfidia potuissent: ad hoc, colloquium Hannibalis in secreto habitum, ac liberum fingenti, qua velit, flectit. Ominatur, quibus quondam auspiciis patres eorum pugnaverint ad Ægates insulas, ea illis exeuntibus in aciem portendisse Deos. *Adesse finem belli ac laboris. In manibus esse prædam Karthaginis, reditum domum in patriam, ad parentes, liberos, conjuges, Pecuniasque Deos.* Celsus hæc corpore, vultuque ita læto, ut vicisse jam crederes, di-*

cebat. Instruit deinde primos hastatos, post eos principes : triariis postremam aciem clausit.

U. C. 550.
A. C. 202.

XXXIII. Non confertas autem cohortes ante sua quamque signa instruebat, sed manipulos aliquantum inter se distantes, ut esset spatium, quo elephantum hostium accepti nihil ordines turbarent. Lælium (cujus ante legati, eo anno quæstoris extra sortem ex senatusconsulto opera utebatur) cum Italico equitatu ab sinistro cornu, Masinissam Numidasque ab dextro obposuit : vias patentes inter manipulos antesignanorum velitibus (ea tunc levis armatura erat) complevit ; dato præcepto, ut, ad impetum elephantorum, aut post rectos refugerent ordines, aut, in dextram lævamque discursu adplicantes se antesignanis, viam, qua intrerent in ancipitia tela, belluis darent. Hannibal ad terrorem primum elephantos (octoginta autem erant, quot nulla unquam in acie ante habuerat) instruxit : deinde auxilia Ligurum Gallorumque, Baliaribus Maurisque admixtis ; in secunda acie Karthaginienses Afrosque et Macedonum legionem ; modico inde intervallo relicto, subsidiariam aciem Italicorum militum (Bruttii plerique erant, vi ac necessitate plures, quam sua voluntate, decedentem ex Italia secuti) instruxit. Equitatum etiam ipsum circumdedit cornibus : dextrum Karthaginienses, sinistram Numidæ tenuerunt. Varia adhortatio erat in exercitu inter tot homines, quibus non lingua, non mos, non lex, non arma, non vestitus habitusque, non causa militandi eadem esset. Auxiliaribus et præsens, et multiplicata merces ex præda ostentatur. Galli proprio atque insito in Romanos odio accenduntur. Liguribus campi uberes Italiæ, deductis ex asperri-

Acies
Scipionis.

Acies Han-
nibal.

U. C. 550. mis montibus, in spem victoriae ostentantur. Mau-
 A. C. 202. ros Numidasque Masinissae inpotenti futuro domi-
 natu terret. Aliis aliae spes ac metus jactantur. Karthaginiensibus moenia patriae, Dii Penates, sepulcra majorum, liberi cum parentibus, conjuges pavidae, aut excidium servitiumque, aut imperium orbis terrarum, nihil aut in metum, aut in spem medium ostentatur. Quum maxime haec imperator apud Karthaginienses, duces suarum gentium inter populares, plerique per interpretes inter inmixtos alienigenis, agerent, tubae cornuaque ab Romanis cecinerunt: tantusque clamor ortus, ut elephantis in suos, sinistro maxime cornu, verterentur, Mauros ac Numidas. Addidit facile Masinissa percussis terrorem, nudavitque ab ea parte aciem equestri auxilio. Paucae tamen bestiarum, intrepidae in hostem actae, inter velitum ordines cum multis suis vulneribus ingentem stragem edebant: resiliens enim ad manipulos velites, quum viam elephantis, ne obtinerentur, fecissent; in ancipites ad ictum utrimque conjiciebant hastas; nec pila ab antesiguanis cessabant; donec undique incidentibus telis exacti ex Romana acie, hi quoque in suo dextro cornu ipsos Karthaginensium equites in fugam verterunt. Laelius, ut turbatos vidit hostes, addit percussis terrorem.

XXXIV. Utrunque equite nudata erat Punica acies, quum pedes concurrat, nec spe, nec viribus jam par: ad hoc, dictu parva, sed magni eadem in re gerenda momenti res, congruens clamor a Romanis, eoque major et terribior; dissonae illis, ut gentium multarum discrepantibus linguis, voces: pugna Romana stabilis, et suo et armorum pondere

incumbentium in hostem: concursatio et velocitas U. C. 550.
illinc major, quam vis. Igitur primo inpetu ex- A. C. 202.
templo movere loco hostium aciem Romani: ala
deinde et umbonibus pulsantes, in submotos gradu
inlato, aliquantum spatii, velut nullo resistente, in-
cessere; urgentibus et novissimis primos, ut semel
motam aciem sensere; quod ipsum vim magnam ad
pellendum hostem addebat. Apud hostes, auxilia-
res cedentes secunda acies, Afri et Karthaginienses,
adeo non sustinebant, ut contra etiam, ne resisten-
tes pertinaciter primos cædendo ad se perveniret
hostis, pedem referrent. Igitur auxiliares terga
dant repente: et, in suos versi, partim refugere in
secundam aciem, partim non recipientes cædere, uti
paullo ante non adjuti, et tunc exclusi. Et prope
duo jam permixta prælia erant, quum Karthagini-
enses simul cum hostibus, simul cum suis cogeren-
tur conserere manus: non tamen ita percussos ira-
tosque in aciem acceperere; sed, densatis ordinibus,
in cornua vacuumque circa campum extra prælium
eiecere, ne pavidos fuga vulneribusque milites in
certam et integram aciem miserent. Ceterum tanta
strages hominum armorumque locum, in quo stete-
rant paullo ante auxiliares, compleverat, ut prope
difficilior transitus esset, quam per confertos hostes
fuerat. Itaque, qui primi erant, hastati, per cumu-
los corporum armorumque et tabem sanguinis, qua
quisque poterat, sequentes hostem, et signa et ordi-
nes confuderunt: principum quoque signa fluctuari
cœperant, vagam ante se cernendo aciem. Quod
Scipio ubi vidit, receptui propeere canere hastatis
jussit: et, sauciis in postremam aciem subductis,
principes triariosque in cornua inducit; quo tutior

U. C. 550. firmiorque media hastatorum acies esset. Ita no-
 A. C. 202. vum de integro prælium ortum est: quippe ad ve-
 ros hostes perventum erat, et armorum genere, et
 usu militiæ, et fama rerum gestarum, et magnitu-
 dine vel spei vel periculi pares. Sed et numero Ro-
 manus superior erat, et animo: quod jam equites,
 jam elephantos fuderat: jam, prima acie pulsa, in
 secundam pugnabat.

Vincunt
 Romani.

XXXV. In tempore Lælius ac Masinissa, pulsos
 per aliquantum spatii secuti equites, revertentes in
 aversam hostium aciem incurrere. Is demum equi-
 tum inpetus fudit hostem: multi circumventi in
 acie cæsi: multi per patentem circa campum fuga
 sparsi, tenente omnia equitatu, passim interierunt.
 Karthaginiensium sociorumque cæsa eo die supra
 millia viginti: par ferme numerus captus est, cum
 signis militaribus centum triginta tribus, elephantis
 undecim. Victores ad duo millia cecidere. Han-
 nibal, cum paucis equitibus inter tumultum elapsus,
 Adrumetum perfugit: omnia et in prælio, et ante
 aciem, priusquam excederet pugna, expertus; et
 confessione etiam Scipionis, omniumque peritorum
 militiæ, illam laudem adeptus, singulari arte aciem
 eo die instruxisse. Elephantos in prima fronte:
 quorum fortuitus inpetus atque intolerabilis vis,
 signa sequi, et servare ordines, (in quo plurimum
 spei ponerent) Romanos prohiberet. Deinde auxi-
 liares ante Karthaginiensium aciem, ne homines
 mixti ex conluvione omnium gentium, quos non fi-
 des teneret, sed merces, liberum receptum fugæ ha-
 berent: simul primum ardorem atque inpetum ho-
 stium excipientes fatigarent; ac, si nihil aliud, vul-
 neribus suis ferrum hostile hebetarent. Tum, ubi

omnis spes esset, milites Karthaginienses Afrosque: U. C. 550.
 ut, omnibus rebus aliis pares, eo, quod integri cum A. C. 202.
 fessis ac sauciis pugnarent, superiores essent: Ita-
 licos, intervallo quoque diremtos, incertos socii an
 hostes essent, in postremam aciem submotos. Hoc
 edito velut ultimo virtutis opere, Hannibal, quum
 Adrumetum refugisset, aditusque inde Karthagi-
 nem sexto ac trigesimo post anno, quam puer inde
 profectus erat, redisset, fassus in curia est, non
 prælio modo se, sed bello victum, nec spem salutis
 alibi, quam in pace inpetranda esse.

XXXVI. Scipio, confestim a prælio expugnatis
 hostium castris direptisque, cum ingenti præda ad
 mare ac naves rediit; nuncio adlato, P. Lentulum
 cum quinquaginta rostratis, centum onerariis, cum
 omni genere commeatus, ad Uticam accessisse. Ad-
 movendum igitur undique terrorem percussæ Kar-
 thagini ratus, misso Lælio Romam cum victoriæ
 nuncio, Cn. Octavium terrestri itinere ducere legio-
 nes Karthaginem jubet: ipse, ad suam veterem
 nova Lentuli classe adjuncta, profectus ab Utica
 portum Karthaginis petit. Haud procul aberat,
 quum velata infulis ramisque oleæ Karthaginien-
 sium obcurrit navis. Decem legati erant principes
 civitatis, auctore Hannibale missi ad petendam pa-
 cem: qui quum ad puppim prætoris navis accessis-
 sent, velamenta supplicum porrigentes, orantes, in-
 plorantesque fidem et misericordiam Scipionis; nul-
 lum iis aliud responsum datum, quam ut Tunetem
 venirent; eo se moturum castra: ipse ab contem-
 plato situ Karthaginis, non tam noscendi in præ-
 sentia, quam deprimendi hostis causa, Uticam, eo-
 dem et Octavio revocato, rediit. Inde procedenti-

Karthagini-
 enses pa-
 cem pe-
 tunt.

U. C. 550. bus ad Tunetem nuncius adlatus, Verminam, Sy-
 A. C. 202. phacis filium, cum equitibus pluribus, quam pediti-
 bus, venire Karthaginiensibus auxilio: pars exerci-
 tus cum omni equitatu Saturnalibus primis agmen
 adgressa, Numidas levi certamine fudit: exitu quo-
 que fugæ intercluso, a parte omni circumdatis equi-
 tibus, quindecim millia hominum cæsa; mille et
 ducenti vivi capti sunt, et equi Numidici mille et
 quingenti, signa militaria duo et septuaginta. Re-
 gulus ipse inter tumultum cum paucis effugit. Tum
 ad Tunetem eodem, quo antea, loco castra posita,
 legati que triginta Karthagine ad Scipionem vene-
 runt: et illi quidem multo miserabilius, quam ante,
 (quo magis cogebat fortuna) egerunt: sed aliquanto
 minore cum misericordia ab recenti memoria perfidi-
 æ auditi sunt. In consilio quamquam justa ira
 omnes ad delendam stimulabat Karthaginem; ta-
 men, quum, et quanta res esset, et quam longi tem-
 poris obsidio tam munitæ et tam validæ urbis, repu-
 tarent, et ipsum Scipionem exspectatio successoris,
 venturi ad paratam alterius labore ac periculo finiti
 belli famam, sollicitaret, ad pacem omnium animi
 versi sunt.

Conditio-
 nes pacis
 a Scipione
 dictæ.

XXXVII. Postero die, revocatis legatis, et cum
 multa castigatione perfidiæ monitis, ut, tot cladibus
 edocti, tandem Deos et jusjurandum esse crederent;
 condiciones pacis dictæ: *Ut liberi legibus suis vive-
 rent: quas urbes, quosque agros, quibusque finibus ante
 bellum tenuissent, tenerent, populandique finem eo die
 Romanus faceret. Perfugas, fugitivosque, et captivos
 omnes redderent Romanis, et nares rostratas, præter
 decem triremes, traderent, elephantosque, quos habè-
 rent domitos: neque domarent alios. Bellum neve in*

Africa, nere extra Africam, injussu populi Romani gererent. Musinissæ res redderent, fœdusque cum eo fœderent. Frumentum stipendiumque auxiliis, donec ab Roma legati redissent, præstarent. Decem millia talentum argenti, descripta pensionibus æquis in annos quinquaginta, solverent. Obsides centum arbitrato Scipionis darent: ne minores quatuordecim annis, neu triginta majores. Inducias ita se daturum, si per priores inducias naves onerariæ captæ, quæque fuissent in navibus, restituerentur. Aliter nec inducias, nec spem pacis ullam esse. Has conditiones legati quum domum referre jussi in concione ederent, et Gisgo ad dissuadendam pacem processisset, audireturque a multitudine, inquieta eadem et inbelli: indignatus Hannibal, dici ea in tali tempore audiri que, adreptum Gisgonem manu sua ex superiore loco detraxit. Quæ insueta liberæ civitati species quum fremitum populi movisset, perturbatus militaris vir urbana libertate, Novem, inquit, annorum a vobis profectus, post sextum et tricesimum annum redi. Militares artes, quas me a puero fortuna nunc privata, nunc publica docuit, probe videor scire. Urbis ac fori jura, leges, mores, vos me oportet doceatis. Excusata imprudentia de pace multis verbis disseruit, quam nec iniqua, et necessaria esset. Id omnium maxime difficile erat, quod ex navibus per inducias captis nihil, præter ipsas comparebat naves: neque inquisitio erat facilis, adversantibus paci, qui arguerentur. Placuit naves reddi, et homines utique inquiri. Cetera, quæ abessent, æstimanda Scipioni permitti: atque ita pecunia luere Karthaginienses. Sunt qui Hannibalem ex acie ad mare pervenisse, inde præparata nave ad regem Antiochum extemplo profec-

U. C. 550.

A. C. 202.

Gisgonem
contra pa-
cem dicere
vetat Han-
nibal.

U. C. 550. tum tradant : postulantique ante omnia Scipioni, ut
 A. C. 202. Hannibal sibi traderetur, responsum esse, Hannibalem in Africa non esse.

Induciæ
 in tres
 menses.

XXXVIII. Postquam redierunt ad Scipionem legati; quæ publica in navibus fuerant, ex publicis descripta rationibus quæstores; quæ privata, profiteri domini jussi: pro ea summa pecuniæ viginti quinque millia pondo argenti præsentia exacta: induciæque Karthaginiensibus datæ in tres menses. Additum, ne per induciarum tempus alio usquam, quam Romam, mitterent legatos: et, quicumque legati Karthaginem venissent, ne ante dimitterent eos, quam Romanum imperatorem, qui, et quæ petentes venissent, certiozem facerent. Cum legatis Karthaginiensibus Romam missi L. Veturius Philo, et M. Marcius Ralla, et L. Scipio imperatoris frater. Per eos dies commeatus ex Sicilia Sardiniaque tantam vilitatem annonæ effecerunt, ut pro vectura frumentum mercator nautis relinqueret. Romæ ad nuncium primum rebellionis Karthaginiensium trepidatum fuerat; jussusque erat Ti. Claudius mature in Siciliam classem ducere, atque inde in Africam trajicere, et alter consul M. Servilius ad urbem morari, donec, quo statu res in Africa essent, sciretur. Sequiter omnia in comparanda deducendaque classe ab Ti. Claudio consule facta erant; quod Patres de pace Scipionis potius arbitrium esse, quibus legibus daretur, quam consulis, censuerant. Prodigia quoque, nunciata sub ipsam famam rebellionis, terrorem adtulerant. Cumis solis orbis minui visus, et pluit lapideo inbri: et in Veliterno agro terra ingentibus cavernis consedit, arboresque in profundum haustæ. Ariciæ forum, et circa tabernæ, Fru-

sinone murus aliquot locis, et porta, de cœlo tacta: U. C. 550.
 et in Palatio lapidibus pluit. Id prodigium more A. C. 202.
 patrio novendiali sacro, cetera hostiis majoribus
 expiata: inter quæ etiam aquarum insolita magni-
 tudo in religionem versa: nam ita abundavit Tibe-
 ris, ut ludi Apollinares, circo inundato, extra por-
 tam Collinam ad ædem Erycinæ Veneris parati sint.
 Ceterum ludorum ipso die, subita serenitate orta,
 pompa, duci cœpta ad portam Collinam, revocata
 deductaque in circum est, quum decessisse inde
 aquam nunciatum esset: lætitiâque populo et lu-
 dis celebritatem addidit sedes sua sollemni specta-
 culo reddita.

XXXIX. Claudium consulem, profectum tandem Classis
 ab urbe, inter portus Cosanum Lauretanumque atrox Claudii
 vis tempestatis adorta in metum ingentem adduxit. consulis
 Populonios inde quum pervenisset, stetissetque ibi, tempestate
 dum reliquum tempestatis exsæviret, Ilvam insulam, vexata.
 et ab Ilva Corsicam, a Corsica in Sardiniam traje-
 cit. Ibi superantem Insanos montes, multo et sæ-
 vior et infestioribus locis tempestas adorta, disjecit
 classem. Multæ quassatæ armamentisque spoliatæ
 naves: quædam fractæ. Ita vexata ac lacerata clas-
 sis Carales tenuit, ubi dum subductæ reficiuntur
 naves, hiems obpressit: circumactumque anni tem-
 pus, et, nullo prorogante imperium, privatus Ti.
 Claudius classem Romam reduxit. M. Servilius, ne
 comitiorum causa ad urbem revocaretur, dictatore
 dicto C. Servilio Gemino, in provinciam est profec-
 tus. Dictator magistrum equitum P. Ælium Pætum
 dixit. Sæpe comitia indicta perfici tempestates pro-
 hibuerunt: itaque, quum pridie Idus Martias vete-
 res magistratu abissent, novi subfecti non essent,

U. C. 550. *respublica sine curulibus magistratibus erat. T.*

A. C. 202. *Manlius Torquatus pontifex eo anno mortuus: in locum ejus subfectus C. Sulpicius Galba. Ab L. Licinio Lucullo et Q. Fulvio ædilibus curulibus ludi Romani ter toti instaurati. Pecuniam ex ærario scribæ viatoresque ædilitii clam egressisse per indicem comperti, damnati sunt, non sine infamia Luculli ædilis. P. Ælius Tubero et L. Lætorius ædiles plebis vitio creati, magistratu se abdicarunt, quum ludos ludorumque caussa epulum Jovi fecissent, et signa tria ex multatio argento facta in Capitolio posuissent. Cerealia ludos dictator et magister equitum ex senatusconsulto fecerunt.*

U. C. 551. XL. *Legati ex Africa Romani simul Karthaginensesque quum venissent Romam, senatus ad ædem*

A. C. 201. *Bellonæ habitus est: ubi quum L. Veturius Philo, pugnatum cum Hannibale esse suprema Karthaginensibus pugna, finemque tandem lugubri bello inpositum ingenti lætitia Patrum exposuisset; adjecit, Verminam etiam, Syphacis filium, quæ parva bene gestæ rei accessio erat, devictum: in concionem inde prodire jussus, gaudiumque id populo inpartire. Tum patuere, facta gratulatione, omnia in urbe templa, supplicationesque in triduum decretæ. Legatis Karthaginensium et Philippi regis (nam ii quoque venerant) petentibus, ut senatus sibi daretur, responsum jussu Patrum ab dictatore est, consules novos eis senatum duros esse. Comitia inde habita: creati consules Cn. Cornelius Lentulus, P. Ælius Pætus: prætores, M. Junius Pennus, cui sors urbana evenit; M. Valerius Falto Bruttios, M. Fabius Buteo Sardiniam, P. Ælius Tubero Siciliam est sortitus. De provinciis consulum nihil ante pla-*

cebat agi, quam legati Philippi regis et Karthagi- U. C. 551.
 niensium auditi essent: belli finem alterius, prin- A. C. 201.
 cipium alterius prospiciebant animis. Cn. Lentu-
 lus consul cupiditate flagrabat provinciæ Africæ;
 seu bellum foret, facilem victoriam, seu jam finire-
 tur, finiti tanti belli se consule gloriam petens. Ne-
 gare itaque prius quidquam agi passurum, quam sibi
 Africa decreta esset, concedente collega, moderato
 viro et prudenti; qui gloriæ ejus certamen cum Sci-
 pione, præterquam quod iniquum esset, etiam impar
 futurum cernebat. Q. Minucius Thermus et M.
 Acilius Glabrio, tribuni plebis, *rem, priore anno ne-
 quidquam tentatam ab Ti. Claudio consule, Cn. Corne-
 lium tentare aiebant. Ex auctoritate Patrum latum
 ad populum esse, cujus vellent imperium in Africa esse.
 Omnes quinque et triginta tribus P. Scipioni id im-
 perium decresse. Multis contentioneibus, et in senatu
 et ad populum acta res, postremo eo deducta est, ut
 senatui permitterent. Patres igitur jurati (ita enim
 convenerat) censuerunt, uti consules provincias inter
 se compararent, sortirenturve, uter Italiam, uter
 classem navium quinquaginta haberet. Cui classis
 obvenisset, in Siciliam navigaret: si pax cum Kar-
 thaginiensibus componi nequisset, in Africam traji-
 ceret. Consul mari, Scipio eodem, quo adhuc, jure
 imperii terra rem gereret. Si condiciones conveni-
 rent pacis, tribuni plebis populum rogarent, utrum
 consulem, an P. Scipionem, juberent pacem dare;
 et quem, si deportandus exercitus victor ex Africa
 esset, deportare. Si pacem per P. Scipionem dari,
 atque ab eodem exercitum deportari jussissent, ne
 consul ex Sicilia in Africam trajiceret. Alter con-
 sul, cui Italia evenisset, duas legiones a M. Sextio
 prætore acciperet.*

U. C. 551. XLI. P. Scipioni cum exercitibus, quos haberet,
 A. C. 201. in provincia Africa prorogatum imperium. Prætori
 M. Valerio Faltoni duæ legiones in Brutiis, quibus
 C. Livius priore anno præfuerat, decretæ. P. Ælius
 prætor duas legiones in Sicilia ab Cn. Tremellio ac-
 ciperet. Legio una M. Fabio in Sardiniam, quam
 P. Lentulus pro prætore habuisset, decernitur. M.
 Servilio prioris anni consuli, cum suis duabus item
 legionibus, in Etruria prorogatum imperium est.
 Quod ad Hispanias adtineret, aliquot jam annos ibi
 L. Cornelium Lentulum et L. Manlium Acidinum
 esse: uti consules cum tribunis agerent, si eis vide-
 retur, ut plebem rogarent, cui juberent in Hispania
 imperium esse: is ex duobus exercitibus in unam
 legionem conscriberet Romanos milites, et in quin-
 decim cohortes socios Latini nominis, quibus pro-
 vinciam obtineret: veteres milites L. Cornelius et
 L. Manlius in Italiam deportarent. Cornelio con-
 suli quinquaginta navium classis ex duabus classi-
 bus, Cn. Octavii, quæ in Africa esset, P. Villii, quæ
 Siciliae oram tuebatur, decreta: ut, quas naves vel-
 let, deligeret. P. Scipio quadraginta longas naves
 haberet, quas habuisset: quibus si Cn. Octavium,
 sicut præfuisset, præesse vellet, Octavio pro prætore
 in eum annum imperium esset: si Lælium præfice-
 ret, Octavius Romam decederet: reduceretque na-
 ves, quibus consuli usus non esset. Et M. Fabio in
 Sardiniam decem longæ naves decretæ. Et consules
 duas legiones urbanas scribere jussi: ut quatuorde-
 cim legionibus eo anno, centum navibus longis res-
 publica administraretur.

Legati
 Philippi.

XLII. Tum de legatis Philippi et Karthaginien-
 sium actum. Priores Macedonas introduci placuit:
 quorum varia oratio fuit; partim purgantium, quæ

questi erant missi ad regem a Roma legati de popu-
 latione sociorum; partim ultro accusantium quidem
 et socios populi Romani, sed multo infestius M.
 Aurelium; (quem ex tribus ad se missis legatis, de-
 lectu habito, substitisse, et se bello lacesse contra
 fœdus, et sæpe cum præfectis suis signis conlatis
 pugnasse) partim postulantium, ut Macedones dux-
 que eorum Sopater, qui apud Hannibalem mercede
 militassent, captique in vinculis essent, sibi restitue-
 rentur. Adversus ea M. Furius, missus ad id ipsum
 ab Aurelio ex Macedonia, disseruit, *Aurelium relic-
 tum, ne socii populi Romani, fessi populationibus atque
 injuria, ad regem deficerent, finibus sociorum non ex-
 cessisse: dedisse operam, ne impune in agros eorum
 transcenderent populatores. Sopatrum ex purpuratis
 et propinquis regis esse: eum cum quatuor millibus
 Macedonum et pecunia missum nuper in Africam esse,
 Hannibali Karthaginensibusque auxilio. De his rebus
 interrogati Macedones, quum perplexe responderent
 ipsi, ante responsum tulerunt, *Bellum quærere regem,
 et, si pergat, prope diem inventurum. Dupliciter ab
 eo fœdus violatum: et quod sociis populi Romani in-
 jurias fecerit, bello armisque lacesierit: et quod hostes
 auxiliis et pecunia juverit. Et P. Scipionem recte at-
 que ordine videri fecisse et facere, quod eos, qui arma
 contra populum Romanum ferentes capti sunt, hostium
 numero in vinculis habeat: et M. Aurelium e republica
 facere, gratumque id senatui esse, quod socios populi
 Romani, quando jure fœderis non posset, armis tueat-
 ur. Cum hoc tam tristi responso dimissis Macedo-
 nibus, legati Karthaginienses vocati: quorum æta-*
 tibus dignitatibusque inspectis, (nam longe primi
 civitatis erant) tum pro se quisque dicere, vere de*

U. C. 551.

A. C. 201.

Cum tei
respon-
ditur.Legati Kar-
thaginien-
sium intro-
ducti in se-
natum.

U. C. 551. pace agi. Insignis tamen inter ceteros Hasdrubal
 A. C. 201. erat, (Hædum populares cognomine adpellabant) pacis semper auctor, adversusque factioni Barcinæ. Eo tum plus illi auctoritatis fuit, belli culpam in paucorum cupiditatem a republica transferenti: qui quum varia oratione usus esset, nunc purgando crimina, nunc quædam fatendo, ne inpu'denter certa negantibus difficilior venia esset, nunc monendo etiam Patres conscriptos, ut rebus secundis modeste ac moderate uterentur; *Si se atque Hannonem audissent Karthaginienses, et tempore uti voluissent, daturus fuisse pacis conditiones: quas tunc peterent. Raro simul hominibus bonam fortunam bonamque mentem dari. Populum Romanum eo invictum esse, quod in secundis rebus sapere et consulere meminerit: et, Hercule, mirandum fuisse, si aliter facerent. Ex insolentia, quibus nova bona fortuna sit, inpotentes lætitiæ insanire. Populo Romano usitata ac prope jam obsoleta ex victoria gaudia esse, ac plus pene parcendo victis, quam vincendo, imperium auxisse. Ceterorum miserabilior oratio fuit, commemorantium, Ex quantis opibus quo recidissent Karthaginensium res: nihil eis, qui modo orbem prope terrarum obtinuissent armis, superesse, præter Karthaginis mœnia. Iis inclusos, non terra, non mari quidquam sui juris cernere. Urbem quoque ipsam ac penates ita habituros, si non in ea quoque, quo nihil ulterius sit, sævire populus Romanus velit. Quum flecti misericordia Patres adpareret, senatorum unum infestum perfidiæ Karthaginensium subclamasse ferunt, Per quos Deos fœdus icturi essent, quum eos, per quos ante ictum esset, fefellissent? Per eosdem, inquit Hasdrubal, qui tam infesti sunt fœdera violantibus.*

XLIII. Inclinatorum omnium ad pacem animis, Cn. U. C. 551.
 Lentulus consul, cui classis provincia erat, senatus- A. C. 201.
 consulto intercessit. Tum M. Acilius et Q. Minu- Plebisci-
 cius tribuni plebis ad populum tulerunt, *Vellent, ju-* tum de
berentne senatum decernere, ut cum Karthaginiensibus pace.
pax fieret; et quem eam pacem dare, quemque ex
Africa exercitus deportare juberent? De pace uti ro-
 gassent, omnes tribus jusserunt: pacem dare P. Sci-
 pionem, eundem exercitus deportare. Ex hac ro-
 gatione senatus decrevit, ut P. Scipio ex decem le- S. C. de
 gatorum sententia pacem cum populo Karthagini- pace.
 ensi, quibus legibus ei videretur, faceret. Gratias
 deinde Patribus egere Karthaginienses, petierunt-
 que, ut sibi in urbem introire, et conloqui cum civi-
 bus suis liceret, qui capti in publica custodia essent:
 esse in iis partim propinquos amicosque suos, nobi-
 les homines; partim ad quos mandata a propinquis
 haberent. Quibus conventis, quum rursus peterent,
 ut sibi, quos vellent, ex iis redimendi potestas fie-
 ret; jussi nomina edere; et, quum ducentos ferme
 ederent, senatusconsultum est, *Ut legati Romani*
ducentos ex captivis, quos Karthaginienses vellent, ad
P. Cornelium Scipionem in Africam deportarent; nun-
ciarentque ei, ut, si pax convenisset, sine pretio eos
Karthaginiensibus redderet. Feciales quum in Afri- Feciales.
 cam ad fœdus ferendum ire juberentur; ipsis postu-
 lantibus, senatusconsultum in hæc verba factum est:
Ut privos lapides silices, privasque verbenas secum fer-
rent: uti prætor Romanus his imperaret, ut fœdus fe-
rissent, illi prætorem sagmina poscerent. Herbæ id
 geus ex arce sumtum dari feacialibus solet. Ita di- PAX.
 missi ab Roma Karthaginienses, quum in Africam
 venissent ad Scipionem, quibus ante dictum est le-

U. C. 551. gibus, pacem fecerunt. Naves longas, elephantos,
A. C. 201. perfugas, fugitivos, captivorum quatuor millia tradi-
derunt: inter quos Q. Terentius Culleo senator fuit.

Incensæ
quingentæ
naves. Naves provectas in altum incendi jussit: quingentas
fuisse omnis generis, quæ remis agerentur, quidam
tradunt: quarum conspectum repente incendium
tam lugubre fuisse Pœnis, quam si tum ipsa Kar-
thago arderet. De perfugis gravius, quam de fugi-
tavis, consultum; nominis Latini qui erant, securi
percussi, Romani in crucem sublatis.

XLIV. Annis ante quadraginta pax cum Kartha-
giniensibus postremo facta erat, Q. Lutatio, A.
Manlio consulibus: bellum initum annis post tribus
et viginti, P. Cornelio, Ti. Sempronio consulibus.
Finitum est septimodecimo anno, Cn. Cornelio, P.
Ælio Pæto consulibus. Sæpe postea ferunt Scipio-
nem dixisse, Ti. Claudii primum cupiditatem, deinde
Cn. Cornelii, fuisse in mora, quo minus id bellum
exitio Karthaginis finiret. Karthagini quum prima
conlatio pecuniæ diutino bello exhaustis difficilis vi-
deretur, mœstitiaque et fletus in curia esset, riden-
tem Hannibalem ferunt conspectum: cujus quum
Hasdrubal Hædus risum increparet in publico fletu,
quum ipse lacrimarum causa esset; *Si, quemadmo-
dum oris habitus cernitur oculis, inquit, sic et animus
intus cerni posset, facile vobis adpareret, non læti, sed
prope amentis malis cordis hunc, quem increpatis,
risum esse: qui tamen nequaquam adeo est intempesti-
vus, quam vestræ istæ absurdæ atque abhorrentes lacri-
mæ sunt. Tunc flesse decuit, quum adempta nobis ar-
ma, incensæ naves, interdictum externis bellis: illo
enim vulnere concidimus. Nec esse in vos, odio vestro,
consultum ab Romanis credatis. Nulla magna civitas*

Risus
Hanniba-
lis in pub-
lico fletu.

diu quiescere potest: si foris hostem non habet, domi invenit: ut prævalida corpora ab externis caussis tuta videntur, sed suis ipsa viribus onerantur. Tantum, nimirum, ex publicis malis sentimus, quantum ad privatas res pertinet: nec in eis quidquam acrius, quam pecuniæ damnum, stimulat. Itaque, quum spolia victæ Karthagini detrahebantur, quum inermem jam ac nudam destitui inter tot armatas gentes Africæ cerneretis, nemo ingemuit: nunc, quia tributum ex privato conferendum est, tamquam in publico funere, comploratis. Quam vereor, ne prope diem sentiatis, levissimo in malo vos hodie lacrimasse! Hæc Hannibal apud Karthaginienses. Scipio, concione advocata, Masinissam, ad regnum paternum Cirta oppido et ceteris urbibus agrisque, quæ ex regno Syphacis in populi Romani potestatem venissent, adjectis donavit. Cn. Octavium classem in Siciliam ductam Cn. Cornelio consuli tradere jussit: legatos Karthaginensium Romam proficisci, ut, quæ ab se ex decem legatorum sententia acta essent, ea Patrum auctoritate populique jussu confirmarentur.

U. C. 551.
A. C. 201.
Masinissa
regno Syphacis donatus.

XLV. Pace terra marique parta, exercitu in naves inposito, in Siciliam Lilybæum trajecit: inde magna parte militum in navibus missa, ipse per lætam pace non minus, quam victoria, Italiam, effusis non urbibus modo ad habendos honores, sed agrestium etiam turba obsidente vias, Romam pervenit, triumphoque omnium clarissimo urbem est invecus. Argenti tulit in ærarium pondo centum millia viginti tria: militibus ex præda quadragenos æris divisit. Morte subtractus spectaculo magis hominum, quam triumphantis gloriæ, Syphax est, Tibure haud ita multo ante mortuus, quo ab Alba traductus fuerat: con-

Scipio Romam reversus triumphat.

U. C. 551. specta mors tamen ejus fuit, quia publico funere est
 A. C. 201. elatus. Hunc regem in triumpho ductum Polybius, haudquaquam spernendus auctor, tradit. Secutus Scipionem triumphantem est pileo capiti inposito Q. Terentius Culleo: omnique deinde vita, ut dignum erat, libertatis auctorem coluit. Africanum cognomen militaris prius favor, an popularis aura, celebraverit, an, sicuti Felicis Sullæ Magnique Pompeii patrum memoria, cœptum ab adsentatione familiari sit, parum compertum habeo. Primus certe hic imperator nomine victæ ab se gentis est nobilitatus: exemplo deinde hujus, nequaquam victoria pares, insignes imaginum titulos claraque cognomina familiæ fecere.

EPITOME LIBRI XXXI.

BELLI adversus Philippum Macedoniae regem, quod intermissum erat, repetiti causae referuntur haec. Tempore Initiorum duo juvenes Acarnanes, qui non initiati erant, Athenas venerunt, et in sacrarium Cereris cum aliis popularibus suis intraverunt: ob hoc, tamquam nefas summum commisissent, ab Atheniensibus caesi sunt. Acarnanes, mortibus suorum commoti, ad vindicandos illos auxilium a Philippo petierunt. Paucis mensibus post pacem Karthaginensibus datam, quingentesimo quinquagesimo anno ab urbe condita, quum Atheniensium, qui obsidebantur a Philippo, legati auxilium a senatu petissent, et senatus id censuisset ferendum, plebe, quod tot bellorum continuus labor gravis erat, dissentiente, tenuit auctoritas Patrum, ut sociam civitati ferri opem populus quoque juberet. Eclum id P. Sulpicio consuli mandatum est: qui, exercitu in Macedoniam ducto, equestribus praелиis cum Philippo prospere pugnavit. Abydeni a Philippo obsessi, ad exemplum Saguntinorum, suos seque occiderunt. L. Furius praetor Gallos Insubres rebellantes et Hamilcarem Paenum, bellum in ea parte molientem, acie vicit. Hamilcar eo bello occisus est, et millia hominum triginta sex. Praeterea expeditiones Philippi regis et Sulpicii consulis, expugnationesque urbium ab utroque factas, continet. Sulpicius consul, adjurantibus rege Attalo et Rhodiis, bellum gerebat. Triumphavit de Gallis L. Furius praetor.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XXXI.

V. C. 551.
A. C. 201.

ME quoque juvat, velut ipse in parte laboris ac periculi fuerim, ad finem belli Punici pervenisse: nam etsi profiteri ausum, perscripturam res omnes Romanas, in partibus singulis tanti operis fatigari minime conveniat; tamen, quum in mentem venit, tres et sexaginta annos (tot enim sunt a primo Punico ad secundum bellum finitum) æque multa volumina occupasse mihi, quam occuparint quadringenti octoginta octo anni a condita urbe ad Ap. Claudium consulem, qui primus bellum Karthaginiensibus intulit; jam provideo animo, velut qui proximis litori vadis inducti mare pedibus ingrediuntur, quidquid progredior, in vastiorem me altitudinem, ac velut profundum invehì, et crescere pene opus, quod prima quæque perficiendo minui videbatur. Pacem Punicam bellum Macedonicum exceperit: periculo haudquaquam comparandum, aut virtute ducis, aut militum robore: claritate regum antiquorum, vetustaque fama gentis, et magnitudine imperii, quo multam quondam Europæ, majorem partem Asiæ obtinuerant armis, prope nobilius. Ceterum cœptum bellum adversus Philippum decem ferme ante annis, triennio prius depositum erat, quum Ætoli et belli et pacis fuissent causæ. Va-

bellum
Macedo-
nicum.

cnos deinde pace Punica jam Romanos et infensos Philippo, quum ob infidam adversus Ætolos aliosque regionis ejusdem socios pacem, tum ob auxilia cum pecunia nuper in Africam missa Hannibali Pœnisque, preces Atheniensium, quos agro pervastato in urbem compulerat, excitaverunt ad renovandum bellum.

II. Sub idem fere tempus et ab Attalo rege, et Rhodiis legati venerunt, nunciantes, Asiæ quoque civitates sollicitari. His legationibus responsum est, curæ Asianam rem senatui fore. Consultatio de Macedonico bello integra ad consules, qui tunc in prælio cum Boiis erant, rejecta est. Interim ad Ptolemæum Ægypti regem legati tres missi, C. Claudius Nero, M. Æmilius Lepidus, P. Sempronius Tuditanus: ut et adnunciarent victum Hannibalem Pœnosque, et gratias agerent regi, quod in rebus dubiis, quum finitimi etiam socii Romanos desererent, in fide mansisset; et peterent, ut, si coacti injuriis bellum adversus Philippum suscepissent, pristinum animum erga populum Romanum conservaret. Eodem fere tempore P. Ælius consul in Gallia, quum audisset a Boiis ante suum adventum incursiones in agros sociorum factas, duabus legionibus subitariis tumultus ejus causa scriptis, additisque ad eas quatuor cohortibus de exercitu suo, C. Oppium præfectum sociâum hæc tumultuaria manu per Umbriam (quam tribum Sappiniam vocant) agrum Boiorum invadere jussit: ipse eodem, aperto itinere, per medios montes duxit. Oppius, ingressus hostium fines, primo populationes satis prospere ac tuto fecit: delecto deinde ad castrum Mutilum satis idoneo loco, ad demetenda frumenta

U. C. 551. (jam enim maturæ erant segetes) profectus, neque
 A. C. 201. explorato circa, nec stationibus satis firmis, quæ ar-
 matæ inermes atque operi intentos tutarentur, posi-
 tis, inproviso inpetu Gallorum cum frumentatori-
 bus est circumventus. Inde pavor fugaque etiam
 armatos cepit. Ad septem millia hominum palata
 per segetes sunt cæsa: inter quos ipse C. Oppius
 præfectus: ceteri in castra metu compulsi, inde sine
 certo duce consensu militari proxima nocte, relicta
 magna parte rerum suarum, ad consulem per saltus
 prope invios pervenere: qui, nisi quod populatus
 est Boiorum fines, et cum Ingaunis Liguribus fœdus
 icit, nihil, quod esset memorabile, aliud in provin-
 cia quum gessisset, Romam rediit.

III. Quum primum senatum habuit, universis
 postulantibus, ne quam prius rem, quam de Phi-
 lippo sociorumque querelis, ageret; relatum exem-
 plo est: decrevitque frequens senatus, ut P. Ælius
 consul, quem videretur ei, cum imperio mitteret,
 qui, classe accepta, quam ex Sicilia Cn. Octavius
 reduceret, in Macedoniam trajiceret. M. Valerius
 Lævinus proprætor missus, circa Vibonem duode-
 quadraginta navibus ab Cn. Octavio acceptis, in
 Macedoniam transmisit: ad quem quum M. Aure-
 lius legatus venisset, edocuissetque eum, quantos ex-
 ercitus, quantum navium numerum comparasset rex,
 et quemadmodum circa omnes non continentis modo
 urbes, sed etiam insulas, partim ipse adeundo, partim
 per legatos, conciret homines ad arma; majore co-
 natu Romanis id capessendum bellum esse, ne, cunc-
 tantibus iis, auderet Philippus, quod Pyrrhus prius
 ausus ex aliquanto minore regno esset; hæc eadem
 scribere Aurelium consulibus et senatui placuit.

IV. Exitu hujus anni quum de agris veterum militum relatum esset, qui ductu atque auspicio P. Scipionis in Africa bellum perfecissent; decreverunt Patres, ut M. Junius prætor urbis, si ei videretur, decemviros agro Samniti Appuloque, quod ejus publicum populi Romani esset, metiendo dividendoque crearet. Creati P. Servilius, Q. Cæcilius Metellus, C. et M. Servilii, (Geminis ambobus cognomen erat) L. et A. Hostilii Catones, P. Villius Tappulus, M. Fulvius Flaccus, P. Ælius Pætus, Q. Flaminus. Per eos dies, P. Ælio consule comitia habente, creati consules P. Sulpicius Galba, C. Aurelius Cotta. Prætores exinde facti, Q. Minucius Rufus, L. Furius Purpureo, Q. Fulvius Gillo, Cn. Sergius Plancus. Ludi Romani scenici eo anno magnifice adparateque facti ab ædilibus curulibus, L. Valerio Flacco et L. Quinctio Flaminino: biduum instauratum est: frumentique vim ingentem, quod ex Africa P. Scipio miserat, quaternis æris populo cum summa fide et gratia diviserunt. Et plebei ludi ter toti instaurati ab ædilibus plebis, L. Apustio Fullone et Q. Minucio Rufo, qui ex ædilitate prætor creatus erat: et Jovis epulum fuit ludorum caussa.

V. Anno quingentesimo quinquagesimo ab urbe condita, P. Sulpicio Galba, C. Aurelio consulibus, bellum cum rege Philippo initum est, paucis mensibus post pacem Karthaginiensibus datam. Omnium primum eam rem Idibus Martiis, quo die tum consulatus inibatur, P. Sulpicius consul retulit: senatusque decrevit, uti consules majoribus hostiis rem divinam facerent, quibus Diis ipsis videretur, cum precatatione ea: *Quam rem senatus populusque Romanus de republica deque ineundo novo bello in animo ha-*

U. C. 551.
A. C. 201.
Agri militibus Scipionis divisi.

U. C. 552.
A. C. 200.
De bello adversus Philippum ineundo consilia.

U. C. 552. *beret, ea res uti populo Romano, sociisque, ac nomini*

A. C. 200. *Latino, bene ac feliciter eveniret*: secundum rem divinam precationemque, ut de republica deque provinciis senatum consulerent. Per eos dies opportune irritandis ad bellum animis, et literæ a M. Aurelio legato, et M. Valerio Lævino proprætore adlatæ: et Atheniensium nova legatio venit, quæ regem adpropinquare finibus suis nunciaret: brevique, non agros modo, sed urbem etiam in ditione ejus futuram, nisi quid in Romanis auxilii foret. Quum pronunciassent consules, rem divinam rite perfectam esse, et precationem admisisse Deos aruspices respondere, lætaque exta fuisse, et prolationem finium, victoriamque, et triumphum portendi; tum literæ Valerii Aureliique lectæ, et legati Atheniensium auditi. Senatus inde consultum factum est, ut sociis gratiæ agerentur; quod diu sollicitati, ne obsidionis quidem metu fide decessissent: de auxilio mittendum respondere placere, quum consules provincias sortiti essent; atque is consul, cui Macedonia provincia evenisset, ad populum tulisset, ut Philippo regi Macedonum indiceretur bellum.

VI. P. Sulpicio provincia Macedonia sorte evenit, isque rogationem promulgavit, *Vellent, juberent Philippo regi Macedonibusque, qui sub regno ejus essent, ob injurias armaque inlata sociis populi Romani, bellum indici*. Alteri consuli Aurelio Italia provincia obtigit. Prætores exinde sortiti sunt, Cn. Sergius Plaucus urbanam, Q. Fulvius Gillo Siciliam, Q. Minucius Rufus Bruttios, L. Furius Purpureo Galliam. Rogatio de bello Macedonico primis comitiis ab omnibus ferme centuriis antiquata est: id quum fessi diuturnitate et gravitate belli sua sponte homines tædio laborum periculorumque fecerant, tum Q. Bæ-

Rogationem de bello populus antiquat.

bius tribunus plebis, viam antiquam criminandi Patres ingressus, incusaverat bella ex bellis seri, ne pace umquam frui plebs posset. *Ægre eam rem passi Patres, laceratusque probris in senatu tribunus plebis: et consulem pro se quisque hortari, ut de integro comitia rogationi ferendæ ediceret, castigaretque segnitiam populi: atque doceret, quanto damno dedecorique dilatio ea belli futura esset.*

VII. Consul in campo Martio comitiis habitis, priusquam centurias in suffragium mitteret, concione advocata, *Ignorare, inquit, videmini mihi, Quirites, non, utrum bellum an pacem habeatis, vos consuli: (neque enim liberum id vobis permittit Philippus, qui terra marique ingens bellum molitur) sed utrum in Macedoniam legiones transportetis, an hostem in Italiam accipiatis. Hoc quantum intersit, si umquam ante alias, Punico certe proximo bello experti estis. Quis enim dubitat, quin, si Saguntinis obsessis fidemque nostram implorantibus impigre tulissenus opem, sicut patres nostri Mamertinis tulerant, totum in Hispaniam aversuri bellum fuerimus, quod cunctando cum summa clude nostra in Italiam accepimus? Ne illud quidem dubium est, quin hunc ipsum Philippum, pactum jam per legatos literasque cum Hannibale in Italiam trajicere, misso cum classe Lævino, qui ultro ei bellum inferret, in Macedonia continuerimus: et quod tunc fecimus, quum hostem Hannibalem in Italia haberemus, id nunc, pulso Italia Hannibale, devictis Karthaginiensibus, cunctamur facere? Patiamur expugnandis Athenis, sicut Sagunto expugnando Hannibalem passi sumus, segnitiam nostram experiri regem. Non quinto inde mense, quemadmodum ab Sagunto Hannibal, sed quinto inde die, quam ab Corintho solverit naves, in Italiam per-*

U. C. 552.
A. C. 200.

Castigat
populum
consul.

U. C. 552. *veniet. Ne æquaveritis Hannibali Philippum, ne Kar-*
 A. C. 200. *thaginiensibus Macedonas; Pyrrho certe æquabitis:*
dico, quantum vel vir viro, vel gens genti præstat.
Minima accessio semper Epirus regno Macedoniae fuit,
et hodie est. Peloponnesum totam in ditione Philip-
pus habet, Argosque ipsos, non vetere fama magis,
quam morte Pyrrhi nobilitatos. Nostra nunc compara:
quanto magis florentem Italiam, quanto magis integras
res, salvis ducibus, salvis tot exercitibus, quos Punicum
postea bellum absumpsit, adgressus Pyrrhus tamen con-
cussit, et victor prope ad ipsam urbem Romam venit!
Nec Tarentini modo oraque illi Italiae, quam majorem
Græciam vocant, ut linguam, ut nomen secutos crede-
res, sed Lucanus, et Bruttius, et Samnis, a nobis defe-
cerunt. Hæc vos, si Philippus in Italiam transmiserit,
quietura aut mansura in fide creditis? Manserunt
enim Punico postea bello: numquam isti populi, nisi
quum deerit, ad quem desciscant, a nobis non deficient.
Si piguisset vos in Africam trahere, hodie in Italia
Hannibalem et Karthaginienses hostes haberetis. Ma-
cedonia potius, quam Italia, bellum habeat: hostium
urbes agrique ferro atque igni vastentur. Experti jam
sumus foris nobis, quam domi, feliciora potentioraque
arma esse. Ite in suffragium, bene juvantibus Diis, et,
quæ Patres censuerunt, vos jubete. Hujus vobis sen-
tentiæ non consul modo auctor est, sed etiam Dii in-
mortales; qui mihi sacrificanti precantique, ut hoc bel-
lum mihi, senatui, vobisque, et sociis ac nomini Latino,
classibus exercitibusque nostris bene ac feliciter eveni-
ret, læta omnia prosperaque portendere.

Populus
bellum ju-
bet.

VIII. Ab hac oratione in suffragium missi, uti rogarat, bellum jusserunt. Supplicatio inde a consulibus in triduum ex senatusconsulto indicta est,

obsecratique circa omnia pulvinaria Dii, ut, quod bellum cum Philippo populus jussisset, id bene ac feliciter eveniret: consultique feciales ab consule Sulpicio, bellum, quod indiceretur regi Philippo, utrum ipsi utique nunciari juberent; an satis esset, in finibus regni quod proximum præsidium esset, eo nunciari? feciales decreverunt, utrum eorum fecisset, recte facturum. Consuli a Patribus permissum, ut, quem videretur, ex iis, qui extra senatum essent, legatum mitteret ad bellum regi indicendum. Tum de exercitibus consulum prætorumque actum: consules binas legiones scribere jussi; veteres dimittere exercitus. Sulpicio, cui novum ac magni nominis bellum decretum erat, permissum, ut de exercitu, quem P. Scipio ex Africa deportasset, voluntarios, quos posset, duceret: invitum ne quem militem veterem ducendi jus esset. Prætoribus L. Furio Purpureoni et Q. Minucio Rufo quina millia sociûm Latini nominis consul daret: quibus præsiidiis alter Galliam, alter Bruttios provinciam obtineret. Q. Fulvius Gillo et ipse jussus ex eo exercitu, quem P. Ælius consul habuisset, ut quisque minime multa stipendia haberet, legere, donec et ipse quinque millia sociûm ac nominis Latini effecisset: id præsidio Siciliæ provinciæ esset. M. Valerio Faltoni, qui prætor priore anno Campaniam provinciam habuerat, prorogatum in annum imperium est; uti pro prætor in Sardiniam trajiceret, atque de exercitu qui ibi esset, quinque millia sociûm nominis Latini, qui eorum uinime multa stipendia haberet, legeret. Et consules duas urbanas legiones scribere jussi: quæ, si quo res posceret, multis in Italia contactis gentibus Punici belli societate, iraque inde tumentibus,

U. C. 552.

A. C. 200.

U. C. 552. mitterentur. Sex legionibus Romanis eo anno usura
A. C. 200. respublica erat.

Legati
Ptolemæi.

IX. In ipso adparatu belli legati ab rege Ptolemæo venerunt, qui nunciarunt, *Athenienses adversus Philippum petisse ab rege auxilium: ceterum, etsi communes socii sint, tamen, nisi ex auctoritate populi Romani, neque classem, neque exercitum defendendi aut obpugnandi cujusquam causa regem in Græciam missurum esse. Vel quieturum cum in regno, si populo Romano socios defendere liceat; vel Romanos quiescere, si malint, passurum, atque ipsum auxilia, quæ facile adversus Philippum tueri Athenas possent, missurum.* Gratiæ regi ab senatu actæ, responsumque; *Tutari socios populo Romano in animo esse: si qua re ad id bellum opus sit, indicaturos regi: regni.que ejus opes scire subsidia firma ac fidelia suæ reipublicæ esse.* Munera deinde legatis in singulos quinûm millium æris ex senatusconsulto missa. Quum delectum consules haberent, pararentque quæ ad bellum opus essent; civitas religiosa, in principiis maxime novorum bellorum, supplicationibus habitis jam, et obsecratione circa omnia pulvinaria facta, ne quid prætermitteretur, quod aliquando factum esset, ludos Jovi donumque votere consulem, cui provincia Macedonia evenisset, jussit. Moram voto publico Licinius pontifex maximus adtulit, qui negavit, *ex incerta pecunia votere debere, si ea pecunia non posset in bellum usui esse: reponi statim debere, nec cum alia pecunia misceri: quod nisi factum esset, votum rite solvi non posse.* Quamquam et res, et auctor movebat, tamen ad collegium pontificum referre consul jussus, si posset recte votum incertæ pecuniæ suscipi: posse, rectiusque etiam esse, pontifices decre-

verunt. Vovit in eadem verba consul, præeunte U. C. 552.
 maximo pontifice, quibus antea quinquennalia vota A. C. 200.
 suscipi solita erant: præterquam quod tanta pecunia, quantam tum, quum solveretur, senatus censuisset, ludos donaque facturum vovit. Toties ante ludi magni de certa pecunia voti erant: ii primi de incerta.

X. Omnium animis in bellum Macedonicum ver- Gallicus
 sis, repente nihil minus eo tempore timentibus, Gal- tumultus,
 lici tumultus fama exorta est. Insubres, Cenomani- auctore Ha-
 que, et Boii, excitis Salyis, Ilvatibusque, et ceteris milicare.
 Ligustinis populis, Hamilcare Pæno duce, qui in iis locis de Hasdrubalis exercitu substiterat, Placentiam invaserant: et, direpta urbe, ac per iram magna ex parte incensa, vix duobus millibus hominum inter incendia ruinasque relictis, trajecto Pado ad Cremonam diripiendam pergunt. Vicinæ urbis audita clades spatium colonis dedit ad claudendas portas, præsidiaque per muros disponenda; ut obsiderentur tamen prius, quam expugnarentur, nunciosque mitterent ad prætorem Romanum. L. Furius Purpureo tum provinciæ præerat: cetero ex senatusconsulto exercitu dimisso, præter quinque millia sociûm ac Latini nominis, cum iis copiis in proxima regione provinciæ circa Ariminum substiterat. Is tum senatui scripsit, quo in tumultu provincia esset. *Duarum coloniarum, quæ ingentem illam tempestatem Punici belli subterfugissent, alteram captam ac direptam ab hostibus, alteram obpugnari. Nec in exercitu suo satis præsidii colonis laborantibus fore, nisi quinque millia sociûm quadraginta millibus hostium (tot enim in armis esse) trucidanda obicere velit, et tanta sua*

U. C. 552. *clade jam inflatos excidio coloniae Romanæ augere hos-*
 A. C. 200. *tium animos.*

XI. His literis recitatis decreverunt, ut C. Aurelius consul exercitum, cui in Etruriam ad conveniendum diem edixerat, Arimini eadem die adesse juberet, et aut ipse, si per commodum reipublicæ posset, ad obprimendum Gallicum tumultum proficisceretur; aut L. Furio prætori scriberet, ut, quum ad eum legiones ex Etruria venissent, missis in vicem earum quinque millibus sociorum, qui interim Etruriæ præsidio essent, proficisceretur ipse ad coloniam liberandam obsidione. Legatos item mittendos in Africam censuerunt, eosdem Karthaginem, eosdem in Numidiam ad Masinissam. Karthaginem, ut nunciarent, *civem eorum Hamilcarem relictum in Gallia, haud satis scire ex Hasdrubalis prius, an ex Magonis postea exercitu, bellum contra fœdus facere. Exercitus Gallorum Ligurumque excivisse ad arma contra populum Romanum: eum, si pax placeret, revocandum illis, et dedendum populo Romano esse: simul nunciare jussi, perfugas sibi non omnes redditos esse; ac magnam partem eorum palam Karthagini observari dici: quos comprehendi conquirique debere, ut sibi ex fœdere restituantur.* Hæc ad Karthaginienses mandata. Masinissæ gratulari jussi, *quod non patrium modo recuperasset regnum, sed, parte florentissima Syphacis finium adjecta, etiam auxisset: nunciare præterea jussi, bellum cum rege Philippo susceptum, quod Karthaginenses auxiliis juvisset; injuriasque inferendo sociis populi Romani, flagrante bello Italia, cœgisset classes exercitusque in Græciam mitti; et, distinendo copias, caussa inprimis fuisset serius in Africam trajiciendi. Petere,*

Legati
 Karthagi-
 nem missi.

Idem ad
 Masinis-
 sam.

ut ad id bellum mitteret auxilia Numidarum equitum. U. C. 552.
 Dona ampla data, quæ ferrent regi, vasa aurea ar- A. C. 200.
 genteaque, toga purpurea, et palmata tunica cum
 eburneo scipione, et toga prætexta cum curuli sella:
 jussique polliceri, *si quid ei ad firmandum augendum-*
que regnum opus esse judicasset, enise id populum Ro-
manum merito ejus præstaturum. Verminæ quoque Verminæ,
 Syphacis filii legati per eos dies senatum adierunt, Syphacis
 excusantes errorem adolescentiamque, et culpam filii, legati.
 omnem in fraudem Karthaginensium avertentes.
Et Masinissam Romanis ex hoste amicum factum:
Verminam quoque adniscurum, ne officiis in populum
Romanum aut a Masinissa, aut ab ullo alio vincatur.
Petere, ut rex, sociusque, et amicus ab senatu adpella-
retur. Responsum legatis est: *Et patrem ejus Sy-*
phacem sine causa ex socio et amico hostem repente
populi Romani factum: et eum ipsum rudimentum
adolescentiæ bello lacessentem Romanos posuisse. Ita-
 que pacem illi prius petendam a populo Romano esse,
 quam ut rex, sociusque, et amicus adpelletur. Nomi-
 nis ejus honorem pro magnis erga se regum meritis dare
 populum Romanum consuesse. Legatos Romanos in
 Africa fore, quibus mandaturum senatum, ut Verminæ
 pacis dent leges, liberum arbitrium eis populo Romano
 permittente. Si quid ad eas addi, demi, mutarive
 vellet, rursus ab senatu ei postulandum fore. Legati
 cum iis mandatis in Africam missi, C. Terentius
 Varro, Sp. Lucretius, Cn. Octavius: quinqueremes
 singulis datæ.

XII. Literæ deinde in senatu recitatæ sunt Q. Sublata
 Minucii prætoris, cui Bruttii provincia erat; Pecunia
 nam Locris ex Proserpinæ thesauris nocte clam sublata
 e fano Proserpinæ.

U. C. 552. *tam: nec, ad quos pertineat facinus, vestigia ulla ex-*
 A. C. 200. *stare.* Indigne passus senatus, non cessari ab sacri-
 legiis, et ne Pleminium quidem, tam clarum recens-
 que noxæ simul ac pœnæ exemplum, homines deter-
 rere. C. Aurelio consuli negotium datum, ut ad
 prætorem in Bruttios scriberet: *senatui placere,*
quæstionem de expilatis thesauris eodem exemplo ha-
beri, quo M. Pomponius prætor triennio ante habuisset.
Quæ inventa pecunia esset, reponi; si quo minus in-
ventum foret, expleri: ac piacularia, si videretur, sicut
ante pontifices censuissent, fieri causa expiandæ viola-
tionis ejus templi. Prodigia etiam sub idem tempus
 pluribus locis nunciata acciderunt. In Lacanis cœ-
 lum arsisse adferebant. Priverni sereno per diem
 totum rubrum solem fuisse. Lanuvii templo Sospitæ
 Junonis nocte strepitum ingentem exortum. Jam
 animalium obscœni fœtus pluribus locis nunciaban-
 tur: in Sabinis incertus infans natus, masculus an
 femina esset: alter sexdecim jam annorum item am-
 biguo sexu inventus. Frusinone agnus cum suillo
 capite, Sinuessæ porcus cum capite hamano natus:
 in Lucanis in agro publico equuleus cum quinque
 pedibus. Fœda omnia et deformia, errantisque in
 alienos fœtus naturæ visa. Ante omnia abominati
 semimares, jussique, in mare extemplo deportari:
 sicut proxime, C. Claudio, M. Livio consulibus,
 deportatus similis prodigii fœtus erat. Nihilominus
 decemviros adire libros de portento eo jusserunt.
 Decemviri ex libris res divinas easdem, quæ proxime
 secundum id prodigium factæ essent, inaperarunt:
 carmen præterea ab ter novenis virginibus cani per
 urbem jusserunt, donumque Junoni Reginæ ferri.

Ea uti fierent, C. Aurelius consul ex decemvirorum responso curavit. Carmen, sicut patrum memoria Livius, ita tum condidit P. Licinius Tegula.

XIII. Expiatis omnibus religionibus, (nam etiam Loeris sacrilegium pervestigatum a Q. Minucio erat, pecuniaque ex bonis noxiorum in thesauros reposita) quum consules in provincias proficisci vellent: privati frequentes, quibus ex pecunia, quam M. Valerio, M. Claudio consulibus mutuam dederant, tertia pensio debebatur eo anno, adierunt senatum: quia consules, quum ad novum bellum, quod magna classe magnisque exercitibus gerendum esset, vix ærarium subficeret, negaverant esse, unde iis in præsentia solveretur. Senatus querentes eo non sustinuit, *Si in Punicum bellum pecunia data, in Macedonicum quoque bellum uti respublica vellet; aliis ex aliis orientibus bellis, quid aliud quam publicatam, pro beneficio, tamquam ob noxam, suam pecuniam fore?* Quum et privati æquum postularent, nec tamen solvendo ære alieno respublica esset, quod medium inter æquum et utile erat, decreverunt, *Ut, quoniam magna pars eorum agros vulgo venales esse diceret, et sibi met emtis opus esse; agri publici, qui intra quinquagesimum lapidem esset, copia iis fieret. Consules agrum æstimaturos, et in jugera asses vectigales, testandi causa publicum agrum esse, inposituros; ut, si quis, quumolvere posset populus, pecuniam habere, quam agrum, mallet, restitueret agrum populo.* Læti eam conditionem privati accepere. Trientius Tabuliusque is ager, quia pro tertia parte pecuniæ datus erat, adpellatus.

XIV. Tum P. Sulpicius, secundum vota in Capitolio nuncupata, paludatus cum lictoribus profectus ab urbe, Brundisium venit, et, veteribus militibus

U. C. 552.
A. C. 200.
Reddita
Proserpinæ
pecunia.
Sulpicius
it in Mac-
doniam.

U. C. 552. voluntariis ex Africano exercitu in legiones descrip-
 A. C. 200. tis, navibusque ex classe consulis Cornelii lectis, al-
 tera die, quam a Brundisio solvit, in Macedoniam
 Athenæ a trajecit. Ibi ei præsto fuere Atheniensium legati,
 Macedon. orantes, ut se obsidione eximeret. Missus extemplo
 obsessæ. Athenas est C. Claudius Centho, cum viginti longis
 navibus, et militum copiis: neque enim ipse rex
 Athenas obsidebat: eo maxime tempore Abydum
 obpugnabat, jam cum Rhodiis et Attalo navalibus
 certaminibus, neutro feliciter prælio, vires expertus.
 Sed animos ei faciebat, præter ferociam insitam, fœ-
 dus ictum cum Antiocho Syriæ rege, divisæque jam
 cum eo Ægypti opes; cui, morte audita Ptolemæi
 regis, ambo iminebant. Contraxerant autem sibi
 Caussa belli Athenienses haudquaquam
 nienses in- cum Philippo bellum Athenienses haudquaquam
 ter et Phi- digna causa: dum ex vetere fortuna nihil præter
 lippum. animos servant. Acarnanes duo juvenes per Initio-
 rum dies, non initiati, templum Cereris, imprudentes
 religionis, cum cetera turba ingressi sunt. Facile
 eos sermo prodidit, absurde quædam percunctantes:
 deductique ad antistites templi, quum palam esset,
 per errorem ingressos, tanquam ob infandum sce-
 lus, interfecti sunt. Id tam fœde atque hos-
 tiliter factum gens Acarnanum ad Philippum de-
 tulit: inpetravitque ab eo, ut, datis Macedonum
 auxiliis, bellum se inferre Atheniensibus pateretur.
 Hic exercitus, primo terram Atticam ferro ignique
 depopulatus, cum omnis generis præda in Acarna-
 niam rediit: et irritatio animorum ea prima fuit:
 postea justum bellum decretis civitatis ultro indi-
 cendo factum. Attalus enim rex Rhodique, perse-
 cuti cedentem in Macedoniam Philippum, quum
 Æginam venissent; rex Piræum, renovandæ fir-

Attalus
 Athenis.

mandæque cum Atheniensibus societatis caussa, tra-
jecit. Civitas omnis obviam effusa cum conjugibus
ac liberis, sacerdotes cum insignibus suis intrantem
urbem, ac Dii prope ipsi exciti scdibus suis, excep-
perunt.

U. C. 552.

A. C. 200.

XV. In concionem extemplo populus vocatus, ut
rex, quæ vellet, coram ageret: deinde ex dignitate
magis visum, scribere eum, de quibus videretur,
quam præsentem aut referendis suis in civitatem
beneficiis erubescere, aut significationibus adclama-
tionibusque multitudinis, adsentatione inmodica pu-
dorem onerantis. In literis autem, quæ missæ in
concionem recitatæque sunt, commemoratio erat
beneficiorum primum in civitatem sociam; deinde
rerum, quas adversus Philippum gessisset; ad post-
remum adhortatio; *Capessendum bellum, dum se,
dum Rhodios, tum quidem, dum etiam Romanos habe-
rent. Nequidquam postea, si tum cessassent, præter-
missam occasionem quæsitueros.* Rhodii deinde legati
auditi sunt: quorum recens erat beneficium, quod
naves longas quatuor Atheniensium, captas nuper a
Macedonibus recuperatasque, reniserant: itaque
ingenti consensu bellum adversus Philippum decre-
tum. Honores regi primum Attalo inmodici, de-
inde et Rhodiis habiti: tum primum mentio inlata
de tribu, quam Attalida adpellarent, ad decem vete-
res tribus addenda: et Rhodiorum populus corona
aurea virtutis gratia donatus, civitasque Rhodiis
data, quemadmodum Rhodii prius Atheniensibus
dederant. Secundum hæc rex Attalus Æginam ad
classem se recepit. Rhodii Ciam ab Ægina, inde
per insulas Rhodum navigarunt: omnibus, præter
Andrum, Parumque, et Cythnum, quæ præsidis

U. C. 552. Mæcedonum tenebantur, in societatem acceptis. At-
 A. C. 200. talum Æginæ, missi in Ætoliâ nuncii, exspectati-
 que inde legati, aliquamdiu nihil agentem tenuere;
 et neque illos excire ad arma potuit, gaudentes ut-
 cumque composita cum Philippo pace: et ipse Rho-
 diique, si institissent tunc Philippo, egregium libe-
 ratæ per se Græciæ titulum habere potuissent; pa-
 tiendo rursus eum in Hellespontum trajicere, occu-
 pantemque Græciæ opportuna loca vires conligere,
 bellum aluere; gloriâque ejus gesti perfectique
 Romanis concesserunt.

XVI. Philippus magis regio animo est usus: qui,
 quum Attalum Rhodiosque hostes non sustinisset,
 ne Romano quidem, quod imminebat, bello territus,
 Philocle quodam ex præfectis suis cum duobus mil-
 libus peditum, equitibus ducentis ad populandos
 Atheniensium agros misso, classe tradita Heraclidi,
 ut Maroneam peteret, ipse terra eodem cum expedi-
 tis duobus millibus peditum, equitibus ducentis per-
 git. Et Maroneam quidem primo inpectu expugna-
 vit: Ænuni inde cum magno labore, postremo pro-
 ditione Ganymedis præfecti Ptolemæi, cepit: dein-
 cept alia castella, Cypsela, et Doriscon, et Ser-
 rheum, occupat: inde progressus ad Chersonesum,
 Elæunta et Alopeconnesum, tradentibus ipsis, rece-
 pit. Callipolis quoque et Madytos dedita, et castella
 quædam ignobilia. Abydeni, ne legatis quidem ad-
 missis, regi portas clauserunt: ea obpugnatio diu
 Philippum tenuit: eripique ex obsidione, ni cessa-
 tum ab Attalo et Rhodiis foret, potuerunt. Attalus
 trecentos tantum milites in præsidium, Rhodii qua-
 driremem unam ex classe, quum ad Tenedum staret,
 miserunt: eodem postea, quum jam vix sustinerent

Philippus
 Abydum
 obsidet.

obsidionem, et ipse Attalus quum trajecisset, spem U. C. 552.
 tantum auxilii ex propinquo ostendit, neque terra, A. C. 200.
 neque mari adjutis sociis.

XVII. Abydeni primo, tormentis per muros dispositis, non terra modo adeuntes aditu arcebant, sed navium quoque stationem infestam hosti faciebant: postea, quum et muri pars strata ruinis, et ad interiorem raptim obpositum murum cuniculis jam perventum esset, legatos ad regem de conditionibus tradendæ urbis miserunt. Paciscebantur autem, ut Rhodiam quadriremem cum sociis navibus, Attalique præsidium emitti liceret; atque ipsi urbe excedere cum singulis vestimentis. Quibus Abydenorum rabies quum Philippus nihil pacati, nisi omnia permittentibus, respondisset; adeo renunciata hæc legatio ab indignatione simul ac desperatione iram accendit, ut, ad Saguntinam rabiem versi, matronas omnes in templo Dianæ, pueros ingenuos, virginesque, infantes etiam cum suis nutricibus, in gymnasium includi juberent: aurum et argentum in forum deferri, vestem pretiosam in naves Rhodiam Cyzicenamque, quæ in portu erant, congeri: sacerdotes victimasque adduci, et altaria in medio poni. Ibi delecti primum, qui, ubi cæsam aciem suorum, pro diruto muro pugnantem, vidissent, extemplo conjuges liberosque interficerent; aurum, argentum, vestemque, quæ in navibus esset, in mare dejicerent; tectis publicis privatisque, quamplurimis locis posent, ignes subjicerent; et, se facinus perpetraturos, præeuntibus execrabile carmen sacerdotibus, jurejurando adacti: tum militaris ætas jurare, neminem vivum, nisi victorem, acie excessurum. Ibi, memores Deorum, adeo pertinaciter pugnaverunt, ut, quum nox prælium direntura esset, rex prior.

U. C. 552. A. C. 200. Urbs deditur a principibus. territus rabie eorum, pugna abstiterit. Principes, quibus atrocior pars facinoris delegata erat, quum paucos et confectos vulneribus ac lassitudine superesse proelio cernerent, luce prima sacerdotes cum infulis ad urbem dedendam Philippo mittunt.

XVIII. Ante deditionem ex iis legatis Romanis, qui Alexandriam missi erant, M. Æmilius trium consensu minimus natus, audita obsidione Abydenorum, ad Philippum venit: qui, questus Attalo Rhodiisque arma inlata, et quod tum maxime Abydum obpugnaret, quum rex ab Attalo et Rhodiis ultro se bello lacessitum diceret; *Num Abydeni quoque, inquit, ultro tibi intulerunt arma?* Insueto vera audire ferocior oratio visa est, quam quæ habenda apud regem esset. *Ætas, inquit, et forma, et super omnia Romanum nomen te ferociorem facit. Ego autem primum velim, vos fœderum memores servare mecum pacem. Si bello lacesseritis, mihi quoque in animo est facere, ut regnum Macedonum nomenque, haud minus quam Romanum, nobile bello sentiatis.* Ita dimisso legato, Philippus, auro argentoque, quæ coacervata erant, accepto, hominum prædam omnem amisit: tanta enim rabies multitudinem invasit, ut repente proditos rati, qui pugnantem mortem obcubuissent, perjurumque aliis alii exprobrantes, et sacerdotibus maxime, qui, quos ad mortem devovissent, eorum deditionem vivorum hosti fecissent, repente omnes ad cædem conjugum liberorumque discurrerent, seque ipsi per omnes vias lethi interficerent. Obstupescens eo furore rex, suppressit inpetum militum: et, *triduum se ad moriendum Abydenis dare, dixit.* Quo spatio plura facinora in se victi ediderunt, quam infesti edidissent victores: nec, nisi quem vincula aut alia necessitas mori prohibuit, quisquam

Abydeni
se ipsi
trucidant.

vivus in potestatem venit. Philippus, inposito Abydi præsidio, in regnum rediit. Quum, velut Sagunti excidium Hannibali, sic Philippo Abydenorum clades ad Romanum bellum animos fecisset, nuncii occurrerunt, consulem jam in Epiro esse, et Apolloniam terrestres copias, navales Corcyram in hiberna deduxisse.

XIX. Inter hæc legatis, qui in Africam missi erant de Hamilcare Gallici exercitus duce, responsum a Karthaginiensibus est, nihil ultra se facere posse, quam ut exsilio eum multarent, bonaque ejus publicarent. Perfugas et fugitivos, quos inquirendo vestigare potuerint, reddidisse: et de ea re missuros legatos Romam, qui senatui satisfacerent. Ducenta millia modiûm tritici Romam, ducenta ad exercitum in Macedoniam miserunt. Inde in Numidiam ad reges profecti legatis: dona data Masinissæ, mandataque edita. Equites mille Numidæ (quum duo millia daret) accepti: ipse in naves inponendos curavit: et cum ducentis millibus modiûm tritici, ducentis hordei, in Macedoniam misit. Tertia legatio ad Verminam erat. Is, ad primos fines regni legatis obviam progressus, ut scriberent ipsi, quas vellent, pacis conditiones, permisit. Omnem pacem bonam justamque fore sibi cum populo Romano. Datæ leges pacis, jussusque ad eam confirmandam mittere legatos Romam.

XX. Per idem tempus L. Cornelius Lentulus pro consule ex Hispania rediit: qui quum in senatu res ab se per multos annos fortiter feliciterque gestas exposuisset, postulassetque, ut triumphanti sibi in-
veh vehi liceret in urbem; *res triumpho dignas esse* censebat senatus: *sed exemplum a majoribus non acce-*

Legati Ro-
mani in
Africa.
Lentulo ex
Hispania
reduci con-
cessa ova-
tio.

U. C. 552. *pisce, ut, qui neque dictator, neque consul, neque præ-*
 A. C. 200. *tor res gessisset, triumpharet. Pro consule illum His-*
paniam provinciam, non consulem, aut prætorem, obti-
nuisse. Decurrebatur tamen eo, ut ovans urbem
iniret, intercedente Ti. Sempronio Longo tribuno
plebis; qui nihilo magis id more majorum, aut ullo
exemplo futurum diceret. Postremo victus con-
sensu Patrum tribunus cessit: et ex senatusconsulto
L. Lentulus ovans urbem est ingressus. Argenti
tulit ex præda quadraginta quatuor millia pondo;
auri duo millia quadringenta quinquaginta: militi-
bus ex præda centum viginti asses divisit.

XXI. Jam exercitus consularis ab Arretio Arimi-
 num traductus erat, et quinque millia sociûm Latini
 nominis ex Gallia in Etruriam transierant: itaque
 L. Furius, magnis itineribus ab Arimino adversus
 Gallos, Cremonam tum obsidentes, profectus, castra
 mille quingentorum passuum intervallo ab hoste
 posuit. Occasio egregie rei gerendæ fuit, si protin-
 us de via ad castra obpugnanda duxisset. Palati
 passim vagabantur per agros, nullo satis firmo relicto
 præsidio; lassitudini militum timuit, quod raptim
 ductum agmen erat. Galli, clamore suorum ex
 agris revocati, onissa præda quæ in manibus erat,
 castra repetivere, et postero die in aciem progressi:
 nec Romanus moram pugnandi fecit; sed vix spa-
 tium instruendi fuit: eo cursu hostes in prælium
 venerunt. Dextra ala (in alas divisum socialem
 exercitum habebat) in prima acie locata est: in
 subsidiis duæ Romanæ legiones. M. Furius dextræ
 alæ, legionibus M. Cæcilius, equitibus L. Valerius
 Flaccus (legati omnes erant) præpositi. Prætor se-
 cum duos legatos, Cn. Lætorium et P. Titinium, ha-

Prælium
 cum Gal-
 lis ad Cre-
 monam.

bebat: cum quibus circumspicere et obire ad omnes hostium subitos conatus posset. Primo Galli, U. C. 552. A. C. 200. omni multitudine in unum locum connisi, obruere atque obterere sese dextram alam, quæ prima erat, sperarunt posse: ubi id parum procedebat, circumire a cornibus; et amplecti hostium aciem (quod in multitudine adversus paucos facile videbatur) conati sunt. Id ubi vidit prætor, ut et ipse dilataret aciem, duas legiones ex subsidiis dextra lævaque alæ, quæ in prima acie pugnabat, circumdat, ædemque Deo Jovi vovit, si eo die hostes fudisset. L. Valerio imperat, ut parte duarum legionum equites, altera sociorum equitatum in cornua hostium emittat, nec circumire eos aciem patiatur: simul et ipse, ut extenuatam mediam deductis cornibus aciem Gallorum vidit, signa inferre confertos milites, et perrumpere ordines jubet. Et cornua ab equitibus, et medii a pedite pulsus: ac repente, quum omni parte cæde ingenti sternerentur, Galli terga vertunt, fugaque effusa repetunt castra: fugientes persecutus eques, mox et legiones insecutæ in castra inpetum fecerunt. Minus sex millia hominum inde effugerunt: cæsa aut capta supra quinque et triginta millia cum signis militaribus septuaginta, carpentis Gallicis, multa præda oneratis, plus ducentis. Hamilear dux Pœnus eo prælio cecidit, et tres imperatores nobiles Gallorum. Placentini captivi ad duo millia liberorum capitum redditi colonis.

XXII. Magna victoria lætaque Romæ fuit: literis adlatis, supplicatio in triduum decreta est. Romanorum sociorumque ad duo millia eo prælio ceciderunt: plurimi dextræ alæ, in quam primo inpetu vis ingens hostium inlata est. Quamquam per præ-

U. C. 552. torem prope debellatum erat, consul quoque C. Au-
 A. C. 200. relius, perfectis, quæ Romæ agenda fuerant, pro-
 fectus in Galliam, victorem exercitum a prætore
 accepit. Consul alter, quum autumno ferme exacto
 in provinciam venisset, circa Apolloniam hiberna-
 bat: ab classe, quæ Coreyræ subducta erat, C. Clau-
 dius triremesque Romanæ, (sicut ante dictum est)
 Athenas missæ, quum Piræcum pervenissent, de-
 spondentibus jam animos sociis spem ingentem ad-
 tulerant: nam et terrestres ab Corintho, quæ per
 Megaram incursiones in agros fieri solitæ erant, non
 fiebant; et prædonum a Chalcide naves, quæ non
 mare solum infestum, sed etiam omnes maritimos
 agros Atheniensibus fecerant, non modo Sunium
 superare, sed nec extra fretum Euripi committere
 aperto mari se audebant. Supervenerunt his tres
 Rhodiæ quadriremes, et erant Atticæ tres apertæ
 naves, ad tuendos maritimos agros comparatæ. Hac
 classe si urbs agrique Atheniensium defenderentur,
 satis in præsentia existimanti Claudio esse, majoris
 etiam rei fortuna oblata est.

Chalci-
 dem occu-
 pant Ro-
 mani.

XXIII. Exsules ab Chalcide, regionum injuriis
 pulsî, adtulerunt, occupari Chalcidem sine certamine
 ullo posse: nam et Macedonas, quia nullus in pro-
 pinquo sit hostium metus, vagari passim, et oppi-
 danos, præsidio Macedonum fretos, custodiam urbis
 negligere. His auctoribus profectus, quamquam
 Sunium ita mature pervenerat, ut inde proveli ad
 primas angustias Eubœæ posset; ne superato pro-
 montorio conspiceretur, classem in statione usque
 ad noctem tenuit. Primis tenebris movit: et tran-
 quillo pervectus Chalcidem, paullo ante lucem, qua
 infrequentissima urbis sunt, paucis militibus turrim

proximam murumque circa scalis cepit, alibi sopitis U. C. 552.
 custodibus, alibi nullo custodiente; progressi inde A. C. 200.
 ad frequentia ædificiis loca, custodibus interfectis,
 refractaque porta, ceteram multitudinem armato-
 rum acceperunt. Inde in totam urbem discursum
 est: aucto etiam tumultu, quod circa forum ignis
 tectis injectus erat. Conflagrarunt et horrea regia,
 et armamentarium cum ingenti adparatu machina-
 rum tormentorumque: cædes inde passim fugien-
 tium pariter ac repugnantium fieri cœpta est: nec
 ullo jam, qui militaris ætatis esset, non aut cæso,
 aut fugato, Sopatro etiam Acarnane præfecto præ-
 sidii interfecto, præda omnis primo in forum con-
 lata, deinde in naves inposita: carcer etiam ab Rho- Direptam
 diis refractus: emi sique captivi, quos Philippus relinquunt.
 tamquam in tutissimam custodiam condiderat. Sta-
 tuis inde regis dejectis truncatisque, signo receptui
 dato, conscenderunt naves, et Piræum, unde pro-
 fecti erant, redierunt. Quod si tantum militum
 Romanorum fuisset, ut et Chalcis teneri, et non
 deseri præsidium Athenarum potuisset; magna res
 principio statim belli, Chalcis et Euripus ademta
 regi forent: nam ut terra Thermopylarum angustię
 Græciam, ita mari fretum Euripi claudit.

XXIV. Demetriade tum Philippus erat: quo Advolat
 quum esset nunciata clades sociæ urbis, quamquam Philippus,
 serum auxilium perditis erat, tamen, quæ proxima sed sero.
 auxilio est, ultionem petens, cum expeditis quinque
 millibus peditum, et trecentis equitibus extemplo
 profectus, cursu prope Chalcidem contendit, haud-
 quaquam dubius obprimi Romanos posse: a qua
 destitutus spe, nec quidquam aliud, quam ad de-
 forme spectaculum semirutæ ac fumantis sociæ ur-

U. C. 552. bis quum venisset, paucis vix, qui sepelirent bello
 A. C. 200. absuntos, relictis, æque raptim ac venerat, trans-
 Ducit gressus ponte Euripum, per Bœotiam Athenas du-
 Athenas. cit, pari incepto haud disparem eventum ratus re-
 sponsurum: et respondisset, ni speculator, (heme-
 rodromos vocant Græci, ingens die uno cursu eme-
 tientes spatium,) contemplatus regium agmen e
 specula quadam, prægressus nocte media Athenas
 pervenisset. Idem ibi somnus, eademque negligencia
 erat, quæ Chalcidem dies ante paucos prodiderat.
 Excitati nuncio trepido et prætor Atheniensium,
 et Dioxippus præfectus cohortis mercede militantium
 auxiliorum, convocatis in forum militibus, tuba signum
 ex arce dari jubent, ut hostes adesse omnes scirent:
 ita undique ad portas, ad muros discurrunt. Pauca
 post horas Philippus, aliquanto tamen ante lucem,
 adpropinquans urbi, conspectis luminibus erebris,
 et fremitu hominum trepidantium (ut in tali tumultu)
 exaudito, sustinuit signa: et considerare ac con-
 quiescere agmen jussit, vi aperta propalam usurus,
 quando parum dolus profuerat. Ab Dipylo accessit:
 porta ea, velut in ore urbis posita, major aliquanto
 patentiorque, quam ceteræ, est: et intra eam extraque
 latæ sunt viæ, ut et oppidani dirigere aciem a foro
 ad portam possent: et extra limes mille ferme passus,
 in Academiæ gymnasium ferens, pediti equitque
 hostium liberum spatium præberet. Eo limite Athenienses
 cum Attali præsidio et cohorte Dioxippi, acie intra
 portam instructa, signa extulerunt. Quod ubi Philip-
 pus vidit, habere se hostes in potestate ratus, et diu
 optata cæde (neque enim ulli Græcarum civitatum
 infestior erat) expleturum, cohortatus milites, *ut, se*

intuentes, pugnarent, scirentque ibi signa, ibi aciem esse debere, ubi rex esset, concitat in hostes equum, non ira tantum, sed etiam gloria elatus; quod, ingenti turba completis etiam ad spectaculum muris, conspici se pugnantem egregium ducebat. Aliquantum ante aciem cum equitibus paucis evectus in medios hostes, ingentem quum suis ardorem, tum pavorem hostibus, iniecit: plurimos manu sua cominus eminusque vulneratos compulsosque in portam, consecutus et ipse, quum majorem in angustiis trepidantium edidisset cædem, in temerario incepto tutum tamen receptum habuit: quia, qui in turribus portæ erant, sustinebant tela, ne in permixtos hostibus suos conjicerent. Intra muros deinde tenentibus milites Atheniensibus, Philippus, signo receptui dato, castra ad Cynosarges (templum Herculis, gymnasiumque, et lucus erat circumjectus) posuit: sed Cynosarges, et Lyceum, et quidquid sancti amœnive circa urbem erat, incensum est, dirutaque non tecta solum, sed etiam sepulcra: nec divini humanive juris quidquam præ inpotenti ira est servatum.

U. C. 552.
A. C. 200.

Prælium
memorable edit.

Diruit omnia circa Athenas.

XXV. Postero die, quum primo clausæ fuissent portæ, deinde subito apertæ, quia præsidium Attali ab Ægina, Romanique ab Piræeo intraverant urbem, castra ab urbe retulit rex tria ferme millia passuum: inde Eleusinem profectus, spe improviso templi castelli que, quod et imminet et circumdatum est templo, capiendi, quum haudquaquam neglectas custodias animadvertisset, et classem a Piræeo subsidio venire, onisso incepto, Megaram, ac protinus Corinthum ducit: et quum Argis Achæorum concilium esse audisset, inopinantibus Achæis, concioni

It Argos ad concilium Achæorum.

U. C. 552. ipsi supervenit. Consultabant de bello adversus
 A. C. 200. Nabin tyrannum Lacedæmoniorum: qui, translato
 imperio a Philopœmene ad Cycliadem, nequaquam
 parem illi ducem, dilapsa cernens Achæorum auxi-
 lia, redintegraverat bellum, agrosque finitimorum
 vastabat; et jam urbibus quoque erat terribilis.
 Adversus hunc hostem, quum, quantum ex quaque
 civitate militum scriberetur, consultarent; Philip-
 pus, demturum se eis curam, quod ad Nabin et La-
 cedæmonios adtineret, pollicitus; nec tantum agros
 sociorum populationibus prohibitorum, sed terro-
 rem omnem belli in ipsam Laconicam, ducto eo
 extemplo exercitu, translaturum. Hæc oratio quum
 ingenti hominum adsensu acciperetur: *Ita tamen
 æquum est, inquit, me vestra meis armis tutari, ne
 mea interim nudentur præsidiis. Itaque, si vobis vide-
 tur, tantum parate militum, quantum ad Oreum, et
 Chalcidem, et Corinthum tuenda satis sit: ut, meis
 ab tergo tutis, securus bellum Nabidi inferam et Lace-
 dæmoniis. Non fefellit Achæos, quo spectasset tam
 benigna pollicitatio, auxiliumque oblatum adversus
 Lacedæmonios: id quæri, ut obsidem Achæorum
 juventutem educeret ex Peloponneso, ad inligan-
 dam Romano bello gentem: et id quidem coarguere
 Cycliadas prætor Achæorum nihil adtinere ratus, id
 modo quum dixisset, non licere legibus Achæorum
 de aliis rebus referre, quam propter quas convocati
 essent; decreto de exercitu parando adversus Nabin
 facto, concilium fortiter ac libere habitum dimisit;
 inter adsentatores regio ante eam diem habitus.
 Philippus, magna spe depulsus, voluntariis paucis
 militibus conscriptis, Corinthum atque in Atticam
 terram rediit.*

XXVI. Per eos ipsos dies, quibus Philippus in U. C. 552.
 Achaia fuit, Philocles praefectus regius, ex Eubœa A. C. 200.
 profectus cum duobus millibus Thracum Macedo-
 numque ad depopulandos Atheniensium fines, e re-
 gione Eleusinis saltum Cithæronis transcendit: inde
 dimidia parte militum ad prædandum passim per
 agros dimissa, cum parte ipse occultus loco ad
 insidias opportuno consedit, ut, si ex castello ab
 Eleusine in prædantes suos inpetus fieret, repente
 hostes effusos ex improviso adoriretur. Non fefel-
 lere insidiæ: itaque revocatis, qui discurrerant ad
 prædandum, militibus, instructisque, ad obpugna-
 dum castellum Eleusinem profectus, cum multis inde
 vulneribus recessit, Philippoque se venienti ex A-
 chaia conjunxit. Tentata et ab ipso rege obpugna-
 tio ejus castelli est: sed naves Romanæ, a Piræeo
 venientes, intromissumque præsidium absistere in-
 cepto coëgerunt. Diviso deinde exercitu, rex cum
 parte Philoclem Athenas mittit, cum parte ipse
 Piræeum pergit: ut, quum Philocles subeundo mu-
 ros, et comminanda obpugnatione contineret urbe
 Athenienses, ipsi Piræeum levi cum præsidio relic-
 tum expugnandi facultas esset. Ceteram nihilo ei
 Piræei, quam Eleusinis, facilior, iisdem fere defen-
 dentibus, obpugnatio fuit. A Piræeo Athenas re-
 pente duxit: inde eruptione subita peditum equi-
 tumque inter angustias semiruti muri, qui brachiis
 duobus Piræeum Athenis jungit, repulsus; omissa
 obpugnatione urbis, diviso cum Philocle rursus
 exercitu, ad vastandos agros profectus, quum prior-
 em populationem sepulcris circa urbem diruendis
 exercuisset, ne quid inviolatum relinqueret, templa
 Dcûm, quæ pagatim sacrata habebant, dirui atque

Philippus
 Athenas et
 Piræeum
 frustra ten-
 tat.

U. C. 552. incendi jussit. Exornata eo genere operum eximie
 A. C. 200. terra Attica, et copia domestici marmoris, et ingeniiis artificum, præbuit huic furori materiam: neque enim diruere modo ipsa templa, ac simulacra evertere satis habuit; sed lapides quoque, ne integri cumularent ruinas, frangi jussit: et postquam non tam ira satiata, quam iræ exercendæ materia hæc deerat, agro hostium in Bœotiam excessit, nec aliud quidquam dignum memoria in Græcia egit.

XXVII. Consul Sulpicius eo tempore inter Apolloniam ac Dyrrachium ad Apsum flumen habebat castra: quo arcessitum L. Apustium legatum, cum parte copiarum ad depopulandos hostium fines mittit. Apustius, extrema Macedoniæ populatus, Corrago, et Gerrunio, et Orgesso castellis primo inpetu captis, ad Antipatriam in faucibus angustis sitam urbem, venit: ac primo evocatos principes ad colloquium, ut fidei Romanorum se committerent, perlicere est conatus: deinde, ubi, magnitudine ac mœnibus situque urbis freti, dicta adspernabantur, vi atque armis adortus, expugnavit; puberibusque interfectis, præda omni militibus concessa, diruit muros, atque urbem incendit. Hic metus Codrionem, satis validum et munitum oppidum, sine certamine ut dederetur Romanis, effecit. Præsidio ibi relicto, Ilion (nomen propter alteram in Asia urbem, quam oppidum, notius) vi capitur. Revertentem legatum ad consulem cum satis magna præda, Athenagoras quidam regius præfectus in transitu fluminis a novissimo agmine adortus, postremos turbavit: ad quorum clamorem et trepidationem quem reiectus equo prope legatus signa convertisset, conjectisque in medium sarcinis aciem di-

Romani
 populan-
 tur Mace-
 doniæ ri-
 nes.

rexisset; non tulere inpetum Romanorum militum U. C. 552.
regii: multi ex iis occisi, plures capti. Legatus, A. C. 200.
incolumi exercitu reducto ad consulem, remittitur
inde extemplo ad classem.

XXVIII. Hac satis felici expeditione bello com-
misso, reguli ac principes adcolæ Macedonum in
castra Romana veniunt, Pleuratus Scerdilædi filius,
et Amynander Athamanum rex, et ex Dardanis
Bato, Longari filius. Bellum suo nomine Longa-
rus cum Demetrio Philippi patre gesserat. Polli-
centibus auxilia respondit consul, Dardanorum et
Pleurati opera, quum exercitum in Macedoniam in-
duceret, se usurum. Amynandro Ætolos concitan-
dos ad bellum adtribuit. Attali legatis (nam ii quo-
que per id tempus venerant) mandat, ut Æginæ rex,
ubi hibernabat, classem Romanam obperiretur:
qua adjuncta, bello maritimo, sicut ante, Philippum
urgeret. Ad Rhodios quoque missi legati, ut capes-
serent partem belli. Nec Philippus segnius (jam Philippi
enim in Macedoniam pervenerat) adparabat bellum. adparatus.
Filium Persea, puerum admodum, datis ex amico-
rum numero, qui ætatem ejus regerent, cum parte
copiarum ad obsidendas angustias, quæ ad Pelago-
niam sunt, mittit. Sciathum et Peparethum, haud
ignobiles urbes, ne classi hostium prædæ ac præmio
essent, diruit. Ad Ætolos mittit legatos, ne gens
inquieta adventu Romanorum fidem mutaret.

XXIX. Concilium Ætolorum statuta die, quod
Panætolum vocant, futurum erat. Huic ut occur-
rerent, et legati regis iter adcelerarunt, et ab con-
sule missus L. Furius Purpureo legatus venit. Athe-
niensium quoque legati ad id concilium obcurrerunt.
Primi Macedones, cum quibus recentissimum fœdus

U. C. 552. erat, auditi sunt: qui, *nulla nova re, nihil se novi*
 A. C. 200. *habere, quod adferrent, dixerunt: quibus enim de*
 Oratio *caussis, experta inutili societate Romana, pacem cum*
 Macedo- *Philippo fecissent, compositam semel servare eos de-*
 num lega- *bere. An imitari, inquit unus ex legatis, Romano-*
 torum in *rum licentiam, an levitatem dicam, maxultis? qui,*
 concilio *quum legatis vestris Romæ responderi ita jussissent,*
 Ætolo- *Quid ad nos venitis, Ætoli, sine quorum auctoritate*
 rum. *pacem cum Philippo fecistis? iidem nunc, ut bellum*
secum adversus Philippum geratis, postulant: et antea
propter vos, et pro vobis arma eunta adversus eum
simulabant; nunc vos in pace esse cum Philippo pro-
hibent. Messanæ ut auxilio essent, primo in Siciliam
conscenderunt: iterum, ut Syracusas obpressas ab Kar-
thaginiensibus in libertatem eximerent. Et Messanam,
et Syracusas, et totam Siciliam ipsi habent, vectiga-
lemque provinciam securibus et fascibus subjecerunt.
Scilicet, sicut vos Naupacti legibus vestris per magis-
tratus a vobis creatos concilium habetis, socium hostem-
que libere, quem velitis, lecturi, pacem ac bellum arbi-
trio habituri vestro; sic Siculorum civitatibus, Syra-
cusas, aut Messanam, aut Lilybæum indicitur conci-
lium. Prætor Romanus conventus agit: eo imperio
evocati conveniunt: excelso in subgestu superba jura
reddentem, stipatum lictoribus vident: virgæ tergo,
securæ cervicibus imminent: et quotannis alium atque
alium dominum sortiuntur. Nec id mirari debent,
aut possunt, quum Italiæ urbes Rhogium, Tarentum,
Capuam, ne finitimas nominem, quarum ruinis crevit
urbs Romana, ejusdem subjectas videant imperio. Ca-
pua quidem, sepulcrum ac monumentum Campani po-
puli, elato et extorri ejecto ipso populo, superest; urbs
irunca, sine senatu, sine plebe, sine magistratibus, pro-

digium; relicta crudelius habitanda, quam si deleta foret. Furor est, si alienigenæ homines, plus lingua et moribus et legibus, quam maris terrarumque spatio, discreti, hæc tenuerint, sperare, quidquam eodem statu mansurum. Philippi regnum obficere aliquid videtur libertati vestræ; qui, quum merito vestro vobis infestus esset, et nihil a vobis ultra, quam pacem, petiit, fidemque hodie pacis pactæ desiderat? Adsuefacite his terris legiones externas, et jugum accipite: sero ac nequidquam, quum dominum Romanum habebitis, socium Philippum quæretis. Ætolos, Acarnanas, Macedonas, ejusdem linguæ homines, leves ad tempus ortæ causæ disjungunt conjunguntque; cum alienigenis, cum barbaris æternum omnibus Græcis bellum est, eritque: natura enim, quæ perpetua est, non mutabilibus in diem causis, hostes sunt. Sed, unde cæpit oratio mea, ibi desinet. Hoc eodem loco iidem homines de ejusdem Philippi pace triennio ante decrevistis, iisdem improbantibus eam pacem Romanis, qui nunc pactam et compositam turbare volunt: in qua consultatione nihil fortuna mutavit, cur vos mutetis, non video.

XXX. Secundum Macedonas, ipsis Romanis ita concedentibus jubentibusque, Athenienses, qui fœda passi justius in crudelitatem sævitiamque regis invehi poterant, introducti sunt. Deploraverunt vastationem populationemque miserabilem agrorum. Neque id se queri, quod hostilia ab hoste passi forent: esse enim quadam belli jura; quæ ut facere, ita pati sit fas: sata exuri, dirui tecta, prædas hominum pecorumque agi, misera magis, quam indigna, patienti esse. Verum enim vero id se queri, quod is, qui Romanos alienigenas et barbaros vocet, adeo omnia simul divina humanaque jura polluerit, ut priore populatione

U. C. 352.
A. C. 200.

Atheniensium oratio.

U. C. 552. cum infernis Diis, secunda cum superis bellum nefarium gesserit: omnia sepulcra monumentaque diruta esse in finibus suis, omnium nudatos manes, nullius ossa terra tegi: delubra sibi fuisse, quæ quondam pagatim habitantes in parvis illis castellis vicisque consecrata, ne in unam urbem quidem contributi majores sui deserta reliquerint; circa ea omnia templa Philippum infestos circumtulisse ignes: semiusta et truncata simulacra Deum inter prostratos jacere postes templorum. Qualem terram Atticam fecerit, exornatam quondam opulentamque, talem eum, si liceat, Ætoliâ, Græciamque omnem facturum. Urbis quoque suæ similem deformitatem futuram fuisse, nisi Romani subvenissent: eodem enim scelere urbem colentes Deos, præsidemque arcis Minervam petitam: eodem Eleusine Cereris templum, eodem Piræei Jovem Minervamque; sed ab eorum non templis modo, sed etiam mœnibus vi atque armis repulsum, in ea delubra, quæ sola religione tuta fuerint, sævisse. Itaque se orare atque obsecrare Ætolos, ut, miserti Atheniensium, ducibus Diis immortalibus, deinde Romanis, qui secundum Deos plurimum possint, bellum susciperent.

Legati Romani oratio.

XXXI. Tum Romanus legatus: Totam orationis meæ formam Macedones primum, deinde Athenienses mutarunt. Nam et Macedones, quum ad conquendas Philippi injuriis in tot socias nobis urbes venissem, ultro accusando Romanos, defensionem ut accusatione potiolem haberem, effecerunt: et Athenienses in Deos superos inferosque nefanda atque inhumana scelera ejus referendo, quid mihi aut cuiquam reliquerunt, quod objicere ultra possim? Eadem Cianos, Abydenos, Æneos, Maronitas, Thasios, Parios, Samios, Larisenses, Messenios hinc ex Achaia, existimate queri;

graviora etiam acerbioraque eos, quibus nocendi major- U. C. 552.
 rem facultatem habuit. Nam quod ad ea adtinet, quæ A. C. 200.
 nobis objecit; nisi gloria digna sunt, fateor ea defendi
 non posse. Rhegium, et Capuam, et Syracusas nobis
 objecit. Rhegium Pyrrhi bello legio a nobis, Rheginis
 ipsis, ut mitteremus, orantibus, in præsidium missa,
 urbem, ad quam defendendam missa erat, per scelus
 possedit. Comprobavimus ergo id facinus? an bello
 persecuti sceleratam legionem, in potestatem nostram
 redactam tergo et cervicibus pænas sociis pendere quum
 coëgissemus, urbem, ugiuo, suaque omnia cum libertate
 legibusque Rheginis reddidimus? Syracusanis obpressis
 ab externis tyrannis, quo indignius esset, quum tulisse-
 mus opem, et fatigati prope per triennium terra mari-
 que urbe munitissima obpugnanda essemus, quum jam
 ipsi Syracusani servire tyrannis, quam capi a nobis
 mallent, captam iisdem armis et liberatam urbem red-
 didimus. Neque inficias imus, Siciliam provinciam
 nostram esse, et civitates, quæ in parte Karthaginien-
 sium fuerunt, et uno animo cum illis adversus nos bel-
 lum gesserunt, stipendiarias nobis ac vectigales esse:
 quin contra, hoc et vos et omnes gentes scire volumus,
 pro merito cuique erga nos fortunam esse. An Cam-
 panorum pænæ, de qua neque ipsi quidem queri pos-
 sunt, nos peniteat? Ii homines, quum pro iis bellum
 adversus Samnites per annos prope septuaginta cum
 magnis nostris cladibus gessissemus, ipsos fœdere pri-
 mum, deinde connubio, atque inde cognationibus, post-
 remo civitate nobis conjunxissemus, tempore nostro ad-
 verso primi omnium Italiæ populorum, præsidio nostro
 fœde interfecto, ad Hannibalem defeccrunt: deinde,
 indignati se obsideri a nobis, Hannibalem ad obpug-
 nandam Romam miserunt. Horum si neque urbs ipsæ,

U. C. 552. *neque homo quisquam superesset, quis durius, quam*
 A. C. 200. *pro merito ipsorum, statutum indignari posset? Plures sibi met ipsi conscientium scelerum mortem consciverunt, quam a nobis supplicio adfecti sunt. Ceteris ita oppidum, ita agros ademimus, ut agrum locumque ad habitandum daremus; urbem innoxiam stare incolumem pateremur; ut, qui hodie videat eam, nullum obpugnatae captare ibi vestigium inveniat. Sed quid ego Capuam dico? quum Karthagini victae pacem ac libertatem dederimus. Magis illud est periculum, ne, nimis facile victis ignoscendo, plures ob id ipsum ad experiendam adversus nos fortunam belli incitemus. Hæc pro nobis dicta sint, hæc adversus Philippum: cujus domestica parricidia, et cognatorum amicorumque cædes, et libidinem inhumaniorem prope, quam crudelitatem, vos, quo propiores Macedoniae estis, melius nostis. Quod ad vos adinet, Ætoli, nos pro vobis bellum suscepimus adversus Philippum: vos sine nobis cum eo pacem fecistis. Et forsitan dicatis, bello Punico occupatis nobis, coactos metu vos leges pacis ab eo, qui tum plus poterat, accepisse: et nos, quum alia majora urgerent, depositum a vobis bellum et ipsi omisimus. Nunc et nos, Deum benignitate Punico perfecto bello, totis viribus nostris in Macedoniam incubuimus: et vobis restituendi vos in amicitiam societatemque nostram fortuna oblata est; nisi perire cum Philippo, quam vincere cum Romanis, mavultis.*

XXXII. Hæc dicta ab Romano quum essent, inclinatis omnium animis ad Romanos, Damocritus prætoris Ætolorum prætor Ætolorum, pecunia, ut fama est, ab rege accepta, nihil aut huic aut illi parti adsensus, Rem magni discriminis consiliis nullam esse tam inimicam, quam celeritatem, dixit. Celerem enim penitentiam,

Damocriti
 prætoris
 Ætolorum
 sententia.

sed eandem seram atque inutilem, sequi; quum præcipitata raptim consilia neque revocari, neque in integrum restitui possint. Deliberationis autem ejus, cujus ipse maturitatem exspectandam putaret, tempus ita jam nunc statui posse: quum legibus cautum esset, ne de pace bello, nisi in Panætologico et Pylaico concilio, ageretur, decernerent extemplo, ut prætor sine fraude, quum de bello aut de pace agere velit, advocet concilium: et, quod tum referatur decernaturque, ut perinde jus ratumque sit, ac si in Panætologico aut Pylaico concilio actum esset. Dimissis ita suspensa re legatis, egregie consultum genti aiebat: nam, utrius partis melior fortuna belli esset, ad ejus societatem inclinatos. Hæc in concilio Ætolorum acta.

XXXIII. Philippus in pigre terra marique parabat bellum: navales copias Demetriadem in Thesaliam contrahebat. Attalum Romanamque classem principio veris ab Ægina ratus moturos, navibus maritimæque oræ præfecit Heraclidem, quem et ante præfecerat: ipse terrestres copias comparabat, magna se duo auxilia detraxisse Romanis credens, ex una parte Ætolos, ex altera Dardanos, faucibus ad Pelagoniam a filio Perseo interclusis. Ab consule non parabatur, sed gerebatur jam bellum: per Dassaretiorum fines exercitum ducebat, frumentum, quod ex hibernis extulerat, integrum vehens; quod in usum militi satis esset, præbentibus agris. Op-pida vicique partim voluntate, partim metu se tradebant: quædam vi expugnata, quædam deserta, in montes propinquos refugientibus barbaris, inveniebantur. Ad Lyncum stativa posuit prope flumen Bevum: inde frumentatum circa horrea Dassaretiorum mittebat. Philippus consternata quidem omnia

U. C. 552.
A. C. 200.

Philippus
in pigre bel-
lum adpar-
rat.

Consul per
Dassaretio-
rum fines
ducit exer-
citurum.

U. C. 552. circa, pavoremque ingentem hominum cernebat : sed
 A. C. 200. parum gnarus, quam partem petisset consul, alam
 equitum ad explorandum, quonam hostes iter inten-
 dissent, misit. Idem error apud consulem erat.
 Movisse ex hibernis regem sciebat, quam regionem
 petisset ignorans : is quoque speculatum miserat
 equites. Hæ duæ alæ ex diverso, quum diu incertis
 itineribus vagatæ per Dassaretios essent, tandem in
 unum iter convenerunt. Neutros fefellit, ut fremi-
 tus procul hominum equorumque exauditus est, hos-
 tes adpropinquare. Itaque prius, quam in conspec-
 tum venirent, equos armaque expedierant : nec mo-
 ra, ubi primum hostem videre, concurrendi facta
 est. Forte et numero et virtute, utpote lecti utrim-
 que, haud in pares, æquis viribus per aliquot horas
 pugnarunt. Fatigatio ipsorum equorumque, incerta
 victoria, diremit prælium. Macedonum quadraginta
 equites, Romanorum quinque et triginta ceciderunt.
 Neque eo magis explorati quidquam, in qua regione
 castra hostium essent, aut illi ad regem, aut hi ad
 consulem retulerunt : per transfugas cognitum est,
 quos levitas ingeniorum, ad cognoscendas hostium
 res, in omnibus bellis præbet.

Explora-
tores Ro-
mani et
Macedo-
nes con-
currunt.

Macedo-
nes terren-
tur con-

XXXIV. Philippus, aliquid et ad caritatem suo-
 rum, et ut promptius pro eo periculum adirent, ratus
 profecturum se, si equitum, qui ceciderant in expe-
 ditione, sepeliendorum curam habuisset, adferri eos
 in castra jussit, ut conspiceretur ab omnibus funeris
 honos. Nihil tam incertum nec tam inæstimabile
 est, quam animi multitudinis : quod promptiores ad
 subeundam omnem dimicationem videbatur factu-
 rum, id metum pigritiamque incussit : nam, qui has-
 tis sagittisque et rara lanceis vulnera facta vidissent,

cum Græcis Illyriisque pugnare adsueta, postquam U. C. 552.
 gladio Hispaniensi detruncata corpora brachiis ab- A. C. 200.
 scisis, aut tota cervice desecta divisa a corpore ca- spectis vul-
 pita, patentiaque viscera, et fœditatem aliam vulne- neribus
 rum viderunt, adversus quæ tela quosque viros pug- suorum.
 nandum esset, pavidi vulgo cernebant. Ipsum quo-
 que regem terror cepit, nondum justo prælio cum
 Romanis congressum: itaque, revocato filio præsi-
 dioque, quod in Pelagoniæ faucibus erat, ut iis co-
 piis suas augeret, Pleurato Dardanisque iter in Ma-
 cedoniam patefecit. Ipse, cum viginti millibus pe-
 ditum, quatuor equitum, ducibus transfugis, ad hos-
 tem profectus, paullo plus ducentos passus a castris
 Romanis tumulum propinquum Athaco fossa ac
 vallo communivit: ac, subjecta cernens Romana Philippus
 castra, admiratus esse dicitur et universam speciem miratur
 castrorum, et descripta suis quæque partibus, tum Romana
 tendentium ordine, tum itinerum intervallis; et ne- castra.
 gasse, barbarorum ea castra ulli videri posse. Bi-
 duum consul et rex, alter alterius conatus exspec-
 tantes, continuere suos intra vallum: tertio die Ro-
 manus omnes copias in aciem eduxit.

XXXV. Rex vero, tam celerem aleam universi
 certaminis timens, quadringentos Tralles (Illyrio-
 rum id, sicut alio diximus loco, est genus) et Cre-
 tenses trecentos, addito iis peditibus pari numero
 equitum, cum duce Athenagora, uno ex purpuratis,
 ad lacessendos hostium equites misit. Ab Romanis
 autem (aberat acies eorum paullo plus quingentos
 passus) velites et equitum duæ ferme alæ emissæ:
 ut numero quoque eques pedesque hostem æquarent.
 Credidere regii, genus pugnae, quo adsuerant, fore, Equestris
 ut equites, in vicem insequentes refugientesque, pugna.

U. C. 552. nunc telis uterentur, nunc terga darent; Illyriorum
 A. C. 200. velocitas ad excursiones et inpetus subitos usui
 esset, Cretenses in invehentem se effuse hostem sagittas conjicerent. Turbavit hunc ordinem pugnandi non acrior, quam pertinacior, inpetus Romanorum: nam haud secus, quam si tota acie dimicarent, et velites, emissis hastis, cominus gladiis rem gerebant, et equites, ut semel in hostem eveci sunt, stantibus equis, partim ex ipsis equis, partim desiliantes inmiscentesque se peditibus, pugnabant: ita nec eques regius equiti par erat, insuetus ad stabilem pugnam; nec pedes concursator et vagus, et prope seminudus genere armorum, veliti Romano parmam gladiumque habenti, pariterque et ad se tuendum, et ad hostem petendum armato. Non tulere itaque dimicationem; nec alia re, quam velocitate, tutantes se, in castra refugerunt.

XXXVI. Uno deinde intermisso die, quum omnibus copiis equitum levisque armaturæ pugnaturus rex esset, nocte cætratos, quos peltastas vocant, loco opportuno inter bina castra in insidiis abdiderat; præceperatque Athenagoræ et equitibus, ut, si aperto prælio procederet res, uterentur fortuna: si minus, cedendo sensim ad insidiarum locum hostem pertraherent. Et equitatus quidem cessit: duces cætratae cohortis, non satis expectato signo, ante tempus excitatis suis, occasionem bene gerendæ rei amisere. Romanus, et aperto prælio victor, et tutus a fraude insidiarum, in castra sese recepit. Postero die omnibus copiis consul in aciem descendit, ante prima signa locatis elephantis: quo auxilium primum Romani, quia captos aliquot bello Punico habebant, usi sunt. Ubi latentem intra vallum

Insidiæ
 Philippi
 irritæ.

sensit, exprobrans metum successit. Postquam ne
 tum quidem potestas pugnandi dabatur, quia ex tam
 propinquis stativis parum tuta frumentatio erat, dis-
 persos milites per agros equitibus extemplo invasu-
 ris; octo ferme inde millia, intervallo tutiorem fru-
 mentationem habiturus, castra ad Octolophum (id
 est loco nomen) movit. Quum in propinquo agro
 frumentarentur Romani, primo rex intra vallum
 suos tenuit, ut cresceret simul et negligentia cum
 audacia hosti. Ubi effusos vidit, cum omni equitatu
 et Cretensium auxiliaribus, quantum equitem velo-
 cissimi pedites cursu æquare poterant, citato pro-
 fectus agmine, inter castra Romana et frumentato-
 res constituit signa. Inde, copiis divisis, partem ad
 consecrandos vagos frumentatores emisit, dato signo,
 ne quem vivum relinquerent; cum parte ipse sub-
 stitit, itineraque, quibus ad castra recursuri vide-
 bantur hostes, obsedit. Jam passim cædes ac fuga
 erat, necdum quisquam in castra Romana nuncius
 cladis pervenerat; quia refugientes in regiam statio-
 nem incidebant; et plures ab obsidentibus vias,
 quam ab emissis ad cædem, interficiebantur: tan-
 dem inter medias hostium stationes elapsi quidam
 trepidi, tumultum magis, quam certum nuncium,
 intulerunt castris.

XXXVII. Consul, equitibus jussis, qua quisque
 posset, opem ferre laborantibus, ipse legiones e
 castris educit, et agmine quadrato ad hostem ducit.
 Dispersi equites per agros quidam aberrarunt, de-
 cepti clamoribus aliis ex alio existentibus loco.
 Pars obvios habuerunt hostes: pluribus locis simul
 pugna cœpit. Regia statio atrocissimum prælium
 edebat: nam et ipsa multitudine equitum peditum-

U. C. 552.
 A. C. 200.
 Tum pri-
 mum uoi
 elephantis
 Romani.

Prælium.

U. C. 552. que prope justa acies erat: et Romanorum, quia
 A. C. 200. medium obsederat iter, plurimi in eam inferebantur. Eo quoque superiores Macedones erant, quod et rex ipse hortator aderat, et Cretensium auxiliares multos ex inproviso vulnerabant, conferti præparatique in dispersos et effusos pugnantes. Quod si modum in insequendo habuissent, non in præsentis modo certaminis gloriam, sed in summam etiam belli profectum foret: nunc, aviditate cædis intemperantius insecuti, in prægressas cum tribunis militum cohortes Romanas incidere; et fugiens eques, ut primo signa suorum vidit, convertit in effusum hostem equos: versaque momento temporis fortuna pugnae est, terga dantibus, qui modo secuti erant. Multi cominus congressi, multi fugientes interfecti: nec ferro tantum perire, sed in paludes quidam coniecti, profundo limo cum ipsis equis hausti sunt. Rex quoque in periculo fuit: nam, ruente saucio equo, præceps ad terram datus, haud multum abfuit, quin jacens obprimeretur. Saluti fuit eques, qui raptim ipse desiluit, pavidumque regem in equum subjecit. Ipse, quum pedes æquare cursu fugientes non posset equites, ab hostibus ad casum regis concitatis confossus periit. Rex, circumvectus paludes pervias inviasque trepida fuga, in castra tandem, jam desperantibus plerisque incolumem evasurum, pervenit. Ducenti Macedonum equites eo prælio perire, centum ferme capti; octoginta admodum ornati equi, spoliis simul armorum relatis, abducti.

Judicium
 de eo præ-
 lio.

XXXVIII. Fuerunt, qui hoc die regem temeritatis, consulem segnitiae accusarent: nam et Philippo quiescendum fuisse, quum paucis diebus hostes, exhausto circa omni agro, ad ultimum inopiae

venturos sciret: et consulem, quum equitatum hostium levemque armaturam fudisset, ac prope regem ipsum cepisset, protinus ad castra hostium ducere debuisse: nec enim mansuros ita percussos hostes fuisse, debellarique momento temporis potuisse. Id dictu, quam re, ut pleraque, facilius: nam, si omnibus peditum quoque copiis rex congressus fuisset, forsitan inter tumultum, quum omnes victi metuque percussi ex prælio intra vallum, protinus inde supervadentem munimenta victorem hostem fugerent, exui castris potuerit rex: quum vero integræ copię peditum in castris mansissent, stationes ante portas, præsidiaque disposita essent, quid, nisi ut temeritatem regis, effuse paullo ante secuti percussos equites, imitaretur, profecisset? neque enim ne regis quidem primum consilium, quo inpetum in frumentatores palatos per agros fecit, reprehendendum foret, si modum prosperæ pugnæ inposuisset. Eo quoque minus est mirum, tentasse eum fortunam, quod fama erat, Pleuratum Dardanosque, ingentibus copiis profectos domo, jam in Macedoniam transcendisse. Quibus si undique circumventus copiis foret, sedentem Romanum debellaturum, credi poterat. Itaque, secundum duas adversas equestres pugnas, multo minus tutam moram in iisdem stativis fore Philippus ratus, quum abire inde et fallere abiens hostem vellet, caduceatore sub occasum solis ad consulem misso, qui inducias ad sepeliendos equites peteret, frustratus hostem, secunda vigilia, multis ignibus per tota castra relictis, silenti agmine abiit.

U. C. 552.

A. C. 200.

Philippus
recedit.

XXXIX. Corpus jam curabat consul, quum, venisse caduceatorem, et quid venisset, nunciatum

U. C. 552. est : responso tantum dato, mane postero die fore

A. C. 200. copiam conveniendi, id quod quæsitum erat, nox dieique insequentis pars ad præcipiendum iter Philippo data est: montes, quam viam non ingressurum gravi agmine Romanum sciebat, petit. Consul, prima luce caduceatore datis induciis dimisso, haud ita multo post abisse hostem quum sensisset, ignarus qua sequeretur, iisdem stativis frumentando dies aliquot consumsit. Stuberam deinde petit, atque ex Pelagonia frumentum, quod in agris erat, convexit: inde ad Pluinam est progressus, nondum comperto, quam regionem hostes petissent. Philippus, quum primo ad Bryanium stativa habuisset, profectus inde transversis limitibus, terrorem præbuit subitum hosti. Movere itaque ex Pluvina Romani, et ad Osphagum flumen posuerunt castra. Rex haud procul inde et ipse, vallo super ripam amnis ducto, (Erigonum incolæ vocant) consedit.

Occupat
angustias
qua iter in
Eordæam
erat.

Inde satis comperto, Eordæam petituros Romanos, ad occupandas angustias, ne superare hostes artis faucibus inclusum aditum possent, præcessit: ibi alia vallo, alia fossa, alia lapidum congerie, ut promuro essent, alia arboribus objectis, ita ut locus postulabat, aut materia subpeditabat, permuniit; atque (ut ipse rebatur) viam suapte natura difficilem, objectis per omnes transitus operibus inexpugnabilem fecit. Erant pleraque silvestria circa, incommoda phalangi maxime Macedonum: quæ, nisi ubi prælongis hastis velut vallum ante clipeos objecit, (quod ut fiat, libero campo opus est) nullius admodum usus est. Thracas quoque romphææ, ingentis et ipsæ longitudinis, inter objectos undique ramos inpediebant. Creteusium una cohors non

inutilis erat: sed ea quoque ipsa ut, si quis inpetum U. C. 552.
 faceret, in patentem vulneri equum equitemque sa- A. C. 200.
 gittas conjicere poterat, ita adversus scuta Romana
 nec ad trajiciendum satis magnam vim habebat, nec
 aperti quidquam erat, quod peteret. Itaque id ut
 vanum teli genus senserunt esse, saxis passim tota
 valle jacentibus incessebant hostem: ea, majore
 cum sonitu, quam vulnere ullo, pulsatio scutorum
 parumper succedentes Romanos tenuit. Deinde, Perrumpunt Ro-
 iis quoque spretis partim, testudine facta, per ad- mani an-
 versos vadunt hostes: partim, brevi circuitu quum gustias.
 in jugum collis evasissent, trepidos ex præsiis sta-
 tionibusque Macedonas deturbant: et, ut in locis
 inpeditis difficili fuga, plerosque etiam obtruncant.

XL. Ita angustiarum minore certamine, quam quod
 animis proposuerant, superatae, et in Eordæam per-
 ventum; ubi pervastatis passim agris, in Elimeam
 se recepit: inde inpetum in Orestidem fecit; et
 oppidum Celetrum est adgressus, in peninsula si-
 tum. Lacus mœnia cingit: angustis faucibus unum
 ex continenti iter est. Primo situ ipso freti, clausis
 portis, imperium abnuere: deinde, postquam signa
 ferri, ac testudine succedi ad portam, obsessasque
 fauces agmine hostium viderunt, priusquam experi-
 rentur certamen, metu in deditionem venerunt. Ab
 Celetro in Dassaretios processit, urbemque Pelium
 vi cepit: servitia inde cum cetera præda abduxit, et
 libera capita sine pretio dimisit; oppidumque iis
 reddidit, præsidio valido inposito: nam et sita op-
 portune urbs erat ad inpetum in Macedoniam facien-
 dos. Ita peragratis hostium agris, consul in loca
 jam pacata ad Apolloniam, unde orsus bellum erat,
 copias reduxit. Philippum averterant Ætoli, et

U. C. 552. Athamanes, et Dardani, et tot bella repente alia ex
 A. C. 200. aliis locis exorta. Adversus Dardanos, jam reci-
 pientes ex Macedonia sese, Athenagoram cum ex-
 peditis peditibus ac majore parte equitatus misit,
 jussum instare ab tergo abeuntibus, et, carpendo
 postremum agmen, segniore eos ad movendos do-
 mo exercitus efficere. Ætolos Damocritus prætor,
 qui moræ ad decernendum bellum ad Naupactum
 auctor fuerat, idem proximo concilio ad arma con-
 civerat: post famam equestris ad Octolophum pug-
 næ, Dardanorumque et Pleurati cum Illyriis transi-
 tum in Macedoniam, ad hæc classis Romanæ ad-
 ventum in Oreum, et, super circumfusas tot Mace-
 doniæ gentes, maritimam quoque instantem obsidio-
 nem.

Ætoli et
 Athama-
 nes bel-
 lum infe-
 runt Phi-
 lippo.

XLI. Hæ causæ Damocritum Ætolosque resti-
 tuerant Romanis: et, Amynandro rege Athamanum
 adjuncto, profecti Cercinium obsedere. Clauserant
 portas, incertum vi, an voluntate: quia regium ha-
 bebant præsidium. Ceterum intra paucos dies cap-
 tum est Cercinium, atque incensum: qui super-
 fuerant e magna clade, liberi servique, inter ceteram
 prædam abducti. Is timor omnes, qui circumco-
 lunt Bæben paludem, relictis urbibus, montes coëgit
 petere. Ætoli, inopia prædæ inde aversi, in Per-
 rhæbiam ire pergunt. Cyretias ibi vi capiunt, fœ-
 deque diripiunt: qui Mallæam incolunt, voluntate
 in deditionem societatemque accepti. Ex Perrhæ-
 bia Gomphos petendi Amynander auctor erat: et
 inminet Athamania huic urbi, videbaturque expug-
 nari sine magno certamine posse. Ætoli campos
 Thessaliæ opimos ad prædam petiere: sequente,
 quamquam non probante, Amynandro, nec effusas

Thessa-
 liam po-
 pulantur.

populationes Ætolorum, nec castra, quo fors tulis-^{U. C. 552.}
 set loco, sine ullo discrimine ac cura muniendi, po-^{A. C. 200.}
 sita: itaque, ne temeritas eorum negligentiaque sibi
 ac suis etiam cladis alicujus causa esset, quum cam-
 pestribus locis subjicientes eos castra Phecado urbi
 videret, ipse paullo plus quingentorum passuum
 inde tumulum suis, quamvis levi munimento tutum,
 cepit. Quum Ætoli, nisi quod populabantur, vix
 meminisse viderentur, se in hostium agro esse; alii
 palati semiermes vagarentur, alii in castris sine sta-
 tionibus per somnum vinumque dies noctibus æqua-
 rent, Philippus inopinantibus advenit: quem quum
 adesse refugientes ex agris quidam pavidi nuncias-<sup>Obprimun-
 tur a Philip-
 po.</sup>
 sent, trepidare Damocritus ceterique duces: et erat
 forte meridianum tempus, quo plerique graves cibo
 sopiti jacebant. Excitare igitur alii alios, jubere
 arma capere, alios dimittere ad revocandos, qui pa-
 lati per agros prædabantur: tantaque trepidatio
 fuit, ut sine gladiis quidam equitum exirent, loricas
 plerique non induerent. Ita raptim educti, quum
 universi sexcentorum ægre simul equites peditesque
 numerum explessent, incidunt in regium equitatum,
 numero, animis, armisque præstantem. Itaque pri-
 mo inpetu fusi, vix tentato certamine, turpi fuga
 repetunt castra: cæsi captique quidam, quos equi-
 tes ab agmine fugientium interclusere.

XLII. Philippus, suis jam vallo adpropinquantibus, receptui cani jussit: fatigatos enim equos vi-
 rosque non tam prælio, quam itineris simul longi-
 tudine, simul præpropera celeritate, habebat. Ita-
 que turmatim equites, in vicemque manipulos levis
 armaturæ, aquatum ire et prandere jubet: alios in
 statione armatos retinet, obperiens agmen peditum

U. C. 552. tardius ductum propter gravitatem armorum. Quod
 A. C. 200. ubi advenit, et ipsis imperatum, ut, statutis signis
 armisque ante se positis, raptim cibum caperent,
 binis ternisve summum ex manipulis aquandi causa
 missis: interim eques cum levi armatura paratus in-
 structusque stetit, si quid hostis moveret. Ætoli,
 (jam enim et, quæ per agros multitudo sparsa
 fuerat, receperat se in castra) ut defensuri muni-
 menta, circa portas vallumque armatos disponunt,
 dum quietos hostes ipsi feroces ex tuto spectabant:
 postquam mota signa Macedonum sunt, et succe-
 dere ad vallum parati atque instructi cœpere, omnes
 repente, relictis stationibus, per aversam partem
 castrorum ad tumulum, ad castra Athamanum per-
 fugiunt: multi in hac quoque tam trepida fuga
 capti cæsique sunt Ætolorum. Philippus, si satis
 diei superesset, non dubius, quin Athamanes quo-
 que exui castris potuissent, die per prælium, deinde
 per direptionem castrorum absumto, sub tumulo in
 proxima planitie consedit, prima luce insequentis
 diei hostem adgressurus. Sed Ætoli eodem pavore,
 quo sua castra reliquerant, nocte proxima dispersi
 fugerunt. Maximo usui fuit Amynder, quo duce
 Athamanes, itinerum periti, summis montibus per
 calles ignotos sequentibus eos hostibus in Ætoliam
 perduxerunt: non ita multos in dispersa fuga error
 intulit in Macedonum equites, quos luce prima Phi-
 lippus, ut desertum tumulum vidit, ad carpendum
 hostium agmen misit.

XLIII. Per eos dies et Athenagoras regius præ-
 fectus, Dardanos recipientes se in fines adeptus,
 postremum agmen primo turbavit: dein, postquam

Dardani
 male mul-
 tati.

Dardani conversis signis direxere aciem, æqua pugna

justo prælio erat: ubi rursus procedere Dardani cœpissent, equite et levi armatura regii, nullum talis auxilii genus habentes Dardanos, oneratos immobilibus armis, vexabant: et loca ipsa adjuvabant. Occisi perpauci sunt, plures vulnerati, captus nemo, quia non excedunt temere ordinibus suis, sed confertim et pugnant, et cedunt. Ita damna Romano accepta bello, duabus per opportunas expeditiones cœrcitis gentibus, restituerat Philippus, incepto forti, non prospero solum eventu. Minuit deinde ei forte oblata res hostium Ætolorum numerum. Scopas princeps gentis, ab Alexandria magno cum pondere auri ab rege Ptolemæo missus, sex millia peditum et equites mercede conductos Ægyptum avexit: nec ex juventute Ætolorum quemquam reliquisset, ni Damocritus, nunc belli, quod instaret, nunc futuræ solitudinis admonens, (incertum cura gentis, an ut adversaretur Scopæ, parum donis cultus) partem juniorum castigando domi continuisset. Hæc ea æstate ab Romanis Philippoque gesta erant.

XLIV. Classis a Coreyra ejusdem principio æstatis cum L. Apustio legato profecta, Malea superata, circa Seyllæum agri Hermionici Attalo regi conjuncta est. Tum vero Atheniensium civitas, cui odio in Philippum per metum jam diu moderata erat, id omne in auxilii præsentis spem effudit: nec umquam ibi desunt linguæ promptæ ad plebem concitandam: quod genus, quum in omnibus liberis civitatibus, tum præcipue Athenis, ubi oratio plurimum pollet, favore multitudinis alitur. Rogationem extemplo tulerunt, plebesque scivit, ut *Philippi statuæ, imagines omnes, nominaque earum, item majores*

U. C. 552.
A. C. 200.

Ætolorum
juventus in
Ægyptum
avecta.

Res mari
gestæ.

Decreta A-
theniensium
in Phi-
lippum.

U. C. 552. *rum ejus virilis ac muliebris sexus omnium tollerentur,*
 A. C. 200. *delerenturque: dies festi, sacra, sacerdotes, quæ ipsius
 majorumve ejus honoris causa instituta essent, omnia
 profanarentur. Loca quoque, in quibus positum ali-
 quid inscriptumve honoris ejus causa fuisset, detesta-
 bilia esse, neque in iis quidquam postea poni dedicari-
 que placere eorum, quæ in loco puro poni dedicarique
 fas esset. Sacerdotes publicos, quotiescumque pro po-
 pulo Atheniensi, sociisque, et exercitibus, et classibus
 eorum precarentur, toties detestari atque execrari Phi-
 lippum, liberos ejus, regnumque, terrestres navalesque
 copias, Macedonum genus omne nomenque. Additum
 decreto, Si quis quid postea, quod ad notam ignomi-
 niamque Philippi pertineret, ferret, id omne populum
 Atheniensem jussurum: si quis contra ignominiam,
 prove honore ejus dixisset, fecissetve, qui occidisset
 eum, jure cæsurum. Postremo inclusum, Ut omnia,
 quæ adversus Pisistratidas decreta quondam erant,
 eadem in Philippo servarentur. Athenienses quidem
 literis verbisque, quibus solis valent, bellum adver-
 sus Philippum gerebant.*

XLV. Attalus Romanique, quum Piræcum primo
 ab Hermione petissent, paucos ibi morati dies, one-
 ratique æque inmodicis ad honores sociorum, atque
 in ira adversus hostem fuerant, Atheniensium de-
 cretis, navigant a Piræeo Andrum: et quum in
 portu, quem Gaureleon vocant, constitissent, missis,
 qui tentarent oppidanorum animos, si voluntate tra-
 dere urbem, quam vim experiri, mallent; postquam
 præsidio regio arcem teneri, nec se potestatis suæ
 esse respondebant; expositis copiis, omnique adpa-
 ratu urbium obpugnandarum, diversis partibus rex
 et legatus Romanus ad urbem subeunt. Plus ali-

quanto Græcos Romana signa armaque non ante
 visa animique militum, tam promte succedentium
 muros, terruere. Itaque fuga extemplo in arcem
 facta est: urbe hostes potiti: et in arce quum bi-
 dum loci se magis, quam armorum, fiducia tenuis-
 sent, tertio die pacti ipsi præsidiumque, ut cum sin-
 gulis vestimentis Delium Bœot'æ transveherentur.
 Ea ab Romanis regi Attalo concessa: prædam or-
 namentaue urbis ipsi avexerunt. Attalus, ne de-
 sertam haberet insulam, et Macedonum fere omni-
 bus, et quibusdam Andriorum, ut manerent, persua-
 sit: postea et ab Delio, qui ex pacto transvecti eo
 fuerant, promissis regis, quum desiderium quoque
 patriæ facilius ad credendum inclinaret animos, re-
 vocati. Ab Andro Cythnum trajecerunt: ibi dies
 aliquot obpugnanda urbe nequidquam absumti: et,
 quia vix operæ pretium erat, abscessere. Ad Pra-
 sias (continentis Atticæ is locus est) Issæorum vi-
 ginti lembi classi Romanorum adjuncti sunt: ii
 missi ad populandos Carystiorum agros: cetera
 classis Geræstum, nobilem Eubœæ portum, dum a
 Carysto Issæi redirent, tenuit. Inde omnes, velis in
 altum datis, maris medio præter Scyrum insulam
 Icum pervenere: ibi paucos dies, sæviente Borea,
 retenti; ubi prima tranquillitas data est, Sciathum
 trajecere, vastatam urbem direptamque nuper a Phi-
 lippo. Per agros palati milites frumentum, et si
 qua alia usui esse ad vescendum poterant, ad naves
 retulere: prædæ nec erat quidquam, nec meruerant
 Græci, cur diriperentur. Inde Cassandream peten-
 tes, primo ad Mendin, maritimum civitatis ejus vi-
 cum, tenuere: inde quum, superato promontorio,
 ad ipsa mœnia urbis circumagere classem vellent,

U. C. 552.
 A. C. 200.

Andros
 capta a Ro-
 manis.

U. C. 552. sæva coorta tempestate, prope obruti fluctibus, dis-
 A. C. 200. persi, magna ex parte amissis armamentis, in ter-
 ram effugerunt. Omen quoque ea maritima tem-
 pestas ad rem terra gerendam fuit: nam, conlectis
 in unum navibus, expositisque copiis, adgressi ur-
 bem, cum multis vulneribus repulsi, (et erat vali-
 dum ibi regium præsidium) irrito incepto regressi
 Canastræum Pallenes trajecere: inde, superato To-
 ronæ promontorio, navigantes Acanthum petiere.
 Ibi primo ager vastatus, deinde ipsa urbs vi capta
 ac direpta: nec ultra progressi (jam enim et graves
 præda naves habebant) retro, unde venerant, Scia-
 thum, et ab Sciatho Eubœam repetunt.

Conloqui-
 um Æto-
 lorum
 cum At-
 talo et Ro-
 manis.

XLVI. Ibi relicta classe, decem navibus expedi-
 tis sinum Maliacum intravere, ad conloquendum
 cum Ætolis de ratione gerendi belli. Sipyrrhicas
 Ætolus princeps legationis ejus fuit, quæ ad com-
 municanda consilia Heracleam cum rege et cum
 Romano legato venit. Petitum ex fœdere ab Attalo
 est, ut mille milites præstaret: tantum enim nume-
 rum bellum gerentibus adversus Philippum debebat.
 Id negatum Ætolis: quod illi quoque gravati prius
 essent ad populandam Macedoniam exire, quo tem-
 pore, Philippo circa Pergamum urente sacra pro-
 fanaque, abstrahere eum inde respectu rerum sua-
 rum potuissent. Ita Ætoli cum spe magis, Roma-
 nis omnia pollicentibus, quam cum auxilio dimissi.
 Apustius cum Attalo ad classem rediit. Inde con-
 sultari de Oreo obpugnando cœptum. Valida ea
 civitas et mœnibus, et, quia ante fuerat tentata,
 firmo erat præsidio. Conjunxerant se iis post ex-
 pugnationem Andri cum præfecto Agesimbrotto vi-
 ginti Rhodiæ naves, tectæ omnes: eam classem in

stationem ad Zelasium miserunt, (Isthmiæ id super U. C. 552.
 Demetriadem promontorium est peropportune ob- A. C. 200.
 jectum) ut, si quid inde moverent Macedonum na-
 ves, in præsidio essent. Heraclides præfectus re-
 gius classem ibi tenebat, magis per occasionem, si
 quam negligentia hostium dedisset, quam aperta vi
 quidquam ausurus. Oreum diversi Romani et rex Oreum ob-
 Attalus obpugnabant: Romani a maritima arce, pugnatum.
 regii adversus vallem inter duas jacentem arces, qua
 et muro intersepta urbs est. Et ut loca diversa, sic
 dispari modo etiam obpugnabant: Romani testu-
 dinibus, et vineis, et ariete admovendo muris: regii
 ballistis, catapultisque, et alio omni genere tormen-
 torum tela ingerentes: et pondere ingenti saxa
 jaciebant, et cuniculos, et quidquid aliud priore ob-
 pugnatione expertum profuerat. Ceterum non plu-
 res tantum Macedones, quam ante, tuebantur ur-
 bem arcesque, sed etiam præsentioribus animis, et,
 castigationibus regis in admissa culpa, simul mina-
 rum, simul promissionum in futurum memores, ita
 ut parum in expugnacione celeri spei esset. Interim
 et aliud agi posse ratus legatus, relictis, quot satis
 videbantur ad opera perficienda, militibus, trajicit
 in proxima continentis: Larissamque (non illam in
 Thessalia nobilem urbem, sed alteram, quam Cre-
 masten vocant) subito adventu, præter arcem, cepit.
 Attalus quoque Ægeleon, nihil minus quam tale
 quidquam in alterius obpugnacione urbis timentibus,
 obpressit. Et jam quum opera in effectu erant
 circa Oreum, tum præsidium, quod intus erat, la- Capitur.
 bore adsiduo, vigiliis diurnis pariter nocturnisque,
 et vulneribus confectum. Muri quoque pars, ariete
 incusso subruta, multis jam locis prociderat: per-

U. C. 552. que apertum ruina iter nocte Romani, quodque su-
 A. C. 200. per portum est, in arcem perruperunt. Attalus luce
 prima, signo ex arce dato ab Romanis, et ipse ur-
 bem invasit, stratis magna ex parte muris: præsi-
 dium oppidanique in alteram arcem perfugere, unde
 biduo post deditio facta: urbs regi, captiva corpora
 Romanis cessere.

XLVII. Jam autumnale æquinoctium instabat:
 et est sinus Euboicus, quem Cœla vocant, suspectus
 nautis: itaque, ante hiemales motus evadere inde
 cupientes, Piræeum, unde profecti ad bellum erant,
 repetunt. Apustius, triginta navibus ibi relictis,
 super Maleam navigat Coreyram. Regem spatium
 Initiorum Cereris, ut sacris interesset, tenuit: se-
 cundum Initia et ipse in Asiam se recepit, Agesim-
 broto et Rhodiis domum remissis. Hæc ea æstate
 terra marique adversus Philippum sociosque ejus a
 consule et legato Romanis, adjuvantibus rege Attalo
 et Rhodiis, gesta. Consul alter C. Aurelius ad con-
 fectum bellum quum in provinciam venisset, haud
 clam tulit iram adversus prætorem, quod absente se
 rem gessisset: misso igitur eo in Etruriam, ipse in
 agrum hostium legiones induxit: populandoque,
 cum præda majore, quam gloria, bellum gessit.

Aurelius
 cos. in
 Gallia.

Furius tri-
 umphum
 petit.

L. Furius, simul quod in Etruria nihil erat rei,
 quod gereret, simul Gallico triumpho imminens,
 quem, absente consule irato atque invidente, faci-
 lius inpetrari posse ratus, Romam inopinato quum
 venisset, senatum in æde Bellonæ habuit: exposi-
 tisque rebus gestis, ut triumphanti sibi in urbem in-
 vehi liceret, petit.

XLVIII. Apud magnam partem senatus et mag-
 nitudine rerum gestarum valebat, et gratia. Majo-

res natu negabant triumphum, et quod alieno exercitu rem gessisset, et quod provinciam reliquisset auiditate rapiendi per occasionem triumphi; id vero eum nullo exemplo fecisse. Consulares præcipue, expectandum fuisse consulem, dicebant: potuisse enim castris, prope urbem positis, tutanda colonia, ita ut acie non decerneret, in adventum ejus rem extrahere: et, quod prætor non fecisset, senatui faciendum esse. Consulem expectarent: ubi coram disceptantes consulem et prætorem audissent, verius de causa existimatos esse. Magna pars senatus nihil præter res gestas, et an in magistratu suisque auspiciis gessisset, censebant spectare senatum debere. Ex duabus coloniis, quæ velut claustra ad cohibendos Gallicos tumultus obpositæ fuissent, quum una direpta et incensa esset, trajecturumque id incendium, velut ex continentibus tectis, in alteram tam propinquam coloniam esset, quid tandem prætori faciendum fuisse? Nam, si sine consule geri nihil oportuerit, aut senatum peccasse, qui exercitum prætori dederit, (potuisse enim, si non cum prætoris, sed consulis, exercitu rem geri voluerit, ita finire senatusconsultum, ne per prætorem, sed per consulem, gereretur,) aut consulem, qui non, quum exercitum ex Etruria transire in Galliam jussisset, ipse Arimini occurrerit, ut bello interesset, quod sine eo geri fas non esset. Non expectare belli temporu moras et dilationes imperatorum: et pugnandum esse interdum, non quia velis, sed quia hostis cogat. Pugnam ipsam eventumque pugnæ spectari oportere: fusos casosque hostes: castra capta ac direpta: coloniam liberatam obsidione: alterius coloniae captivos recuperatos restitutosque suis: debellatum uno prælio esse. Non homines tantum ea victoria lætatos, sed Diis quoque in-

U. C. 559.

A. C. 200.

Variæ sententiae in senatu.

U. C. 552. *mortalibus per triduum supplicationes habitas, quod*
 A. C. 200. *bene ac feliciter, non quod male ac temere, respublica*
a L. Furio prætore gesta esset. Data fato etiam quod-
dam Furia genti Gallica bella.

XLIX. Hujus generis orationibus ipsius amico-
 rumque victa est, præsentis gratia prætoris, absentis
 Furius tri- consulis majestas; triumphumque frequentes L. Fu-
 umphat. rio decreverunt. Triumphavit de Gallis in magis-
 tratu L. Furius prætor. In ærarium tulit trecenta
 viginti millia æris, argenti centum septuaginta mil-
 lia pondo: neque captivi ulli ante currum ducti,
 neque spolia prælata, neque milites secuti: omnia,
 præter victoriam, penes consulem esse adparebat.
 Ludi deinde a P. Cornelio Scipione, quos consul in
 Decretum Africa voverat, magno adparatu facti. Et de agris
 de agris militum ejus decretum, ut, quot quisque eorum an-
 Scipionis. nos in Hispania aut in Africa militasset, in singulos
 annos bina jugera acciperet: eum agrum decemviri
 adsignarent. Triumviri inde creati ad supplendum
 Venusinis colonorum numerum, quod bello Hanni-
 balis adtenuatæ vires ejus coloniæ erant, C. Teren-
 tius Varro, T. Quinctius Flamininus, P. Cornelius
 Cn. F. Scipio: hi colonos Venusiam adscripserunt.
 Eodem anno C. Cornelius Cethegus, qui proconsul
 Hispaniam obtinebat, magnum hostium exercitum
 in agro Sedetano fudit: quindecim millia Hispano-
 rum eo prælio dicuntur cæsa, signa militaria capta
 octo et septuaginta. C. Aurelius consul, quum ex
 provincia Romam comitorum causa venisset, non
 id, quod animis præceperant, questus est, *Non ex-*
spectatum se ab senatu, neque disceptandi cum prætore
consuli potestatem factam: sed ita triumphum decresse
senatum, ut nullius, nisi ejus, qui triumphaturus esset,

haud eorum, qui bello interfuissent, verba audiret. U. C. 552.
Majores ideo instituisse, ut legati, tribuni militum, A. C. 200.
centuriones, milites denique triumpho adessent; ut ve-
ritas rerum gestarum ejus, cui tantus honos haberetur,
publice videretur. Equem ex eo exercitu, qui cum
Gallis pugnaverit, si non militem, lixum saltem fuisse,
quem percunctari posset senatus, quid veri prætor va-
nive referret? Comitii deinde diem edixit: quibus
 creati sunt consules L. Cornelius Lentulus, P. Vil-
 lius Tappulus. Prætores inde facti L. Quinctius
 Flamininus, L. Valerius Flaccus, L. Villius Tappu-
 lus, Cn. Bæbius Tamphilus.

L. Annona quoque eo anno pervilis fuit: fru-
 menti vim magnam ex Africa advectam ædiles curu-
 les M. Claudius Marcellus et Sex. Ælius Pætus bi-
 nis æris in modios populo diviserunt: et ludos Ro-
 manos magno adparatu fecerunt; diem unum in-
 staurarunt: signa ænea quinque ex multatio argen-
 to in ærario posuerunt. Plebei ludi ab ædili-
 bus L. Terentio Massiliota et Cn. Bæbio Tamphilo,
 quem prætorem designaverant, ter toti instaurati.
 Et ludi funebres eo anno per quadriduum in foro,
 mortis M. Valerii Lævini caussa, a P. et M. filiis
 ejus facti: et munus gladiatorium datum ab iis:
 paria quinque et viginti pugnarunt. M. Aurelius
 Cotta, decemvir sacrorum, mortuus: in ejus locum
 M. Acilius Glabrio subfectus. Comitii ædiles cu-
 rules creati sunt forte ambo, qui statim occipere
 magistratum non possent: nam C. Cornelius Ce-
 thegus absens creatus erat, quum Hispaniam obti-
 neret provinciam; C. Valerius Flaccus, quem præ-
 sentem creaverant, quia flamen Dialis erat, jurare
 in leges non poterat: magistratum autem plus quin-

U. C. 552. que dies, nisi qui jurasset in leges, non licebat ge-
A. C. 200. rere. Petente Flacco, ut legibus solveretur, senatus decrevit, ut, si ædilis, qui pro se juraret, arbitrato consulum daret, consules, si eis videretur, cum tribunis plebis agerent, uti ad plebem ferrent. Datus, qui juraret pro fratre, L. Valerius Flaccus, prætor designatus: tribuni ad plebem tulerunt, plebesque scivit, ut periunde esset, ac si ipse ædilis jurasset. Et de altero ædile scitum plebis est factum, rogantibus tribunis, quos duos in Hispaniam cum imperio ad exercitus ire juberent, ut C. Cornelius ædilis curulis ad magistratum gerendum veniret, et L. Manlius Acidinus decederet de provincia multos post annos: plebes Cn. Cornelio Lentulo et L. Stertino pro consulibus imperium esse in Hispania jussit.

EPITOME LIBRI XXXII.

COMPLURA prodigia ex diversis regionibus nunciata referuntur: inter quæ, in Macedonia in puppi longæ navis lauream esse natam. T. Quinctius Flaminius consul adversus Philippum feliciter pugnavit in faucibus Epiri, fugatumque cœgit in regnum reverti. Ipse Thessaliam, quæ est vicina Macedonia, sociis Ætolis et Athamanibus, vexavit. L. Quinctius Flaminius consulis frater, Attalo rege et Rhodiis adjuvantibus, in Eubæam et maritimam oram trajectus, Eretriam expugnavit. Achæi in amicitiam recepti sunt. Conjuratio servorum, facta de solvendis Karthaginensium obsidibus, obpressa est; duo millia necati sunt. Prætorum numerus ampliatus est, ut seni crearentur. Cornelius Cethegus consul Gallos Insubres prælio fudit. Cum Lacedæmoniis et tyranno eorum Nabide amicitia juncta est. Præterea expugnationes urbium in Macedonia referuntur.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XXXII.

U. C. 555.
A. C. 199.

CONSULES prætoresque, quum Idibus Martiis magistratum inissent, provincias sortiti sunt. L. Cornelio Lentulo Italia, P. Villio Macedonia; prætoribus, L. Quintio urbana, Cn. Bæbio Ariminum, L. Valerio Sicilia, L. Villio Sardinia evenit. Lentulus consul novas legiones scribere jussus; Villius a P. Sulpicio exercitum accipere: in supplementum ejus, quantum militum videretur, ut scriberet, ipsi permissum. Prætori Bæbio legiones, quas C. Aurelius consul habuisset, ita decretæ, ut retineret eas, donec consul novo cum exercitu succederet; in Galliam ubi is venisset, omnes milites exauctorati domum dimitterentur, præter quinque millia sociûm: his obtineri circa Ariminum provinciam satis esse. Prorogato imperio prætoribus prioris anni, (Cn. Sergio, ut militibus, qui in Hispania, Sicilia, Sardinia stipendia per multos annos fecissent, agrum adsignandum curaret; Q. Minucio, ut in Brutiis idem de conjurationibus quæstiones, quas prætor cum fide curaque exercuisset, perficeret; et eos, quos sacrilegii compertos in vinculis Romam misisset, Locros mitteret ad supplicium; quæque sublata ex delubro Proserpinæ essent, reponenda

cum piaculis curaret) feriæ Latinæ pontificum de-
 creto instauratæ sunt; quod legati ab Ardea questi
 in senatu erant, sibi in monte Albano Latinis car-
 nem, ut adsolet, datam non esse. Ab Suessa nun-
 ciatum est, duas portas, quodque inter eas muri erat,
 de cælo tactum; et Formiani legati ædem Jovis,
 item Ostienses ædem Jovis, et Veliterni Apollinis et
 Sanci ædes, et in Herculis æde capillum enatum: et
 ex Bruttis ab Q. Minucio proprætore scriptum,
 equuleum cum quinque pedibus, pullos gallinaceos
 tres cum ternis pedibus, natos esse. Inde a P. Sul-
 picio præconsule ex Macedonia literæ adlatæ, in
 quibus inter cetera scriptum erat, lauream in puppi
 navis longæ enatam. Priorum prodigiorum causa
 senatus censuerat, ut consules majoribus hostiis, qui-
 bus Diis videretur, sacrificarent: ob hoc unum pro-
 digium aruspices in senatum vocati, atque ex re-
 sponso eorum supplicatio populo in diem unum edic-
 ta, et ad omnia pulvinaria res divinæ factæ.

II. Karthaginienses eo anno argentum in stipen-
 dium inpositum primum Romam advexerunt: id
 quia probum non esse quæstores renunciaverant,
 experientibusque pars quarta decocta erat, pecunia
 Romæ mutua sumta, intertrimentum argenti supple-
 verunt. Petentibus deinde, ut, si jam videretur se-
 natui, obsides sibi redderentur, centum redditu obsi-
 des: de ceteris, si in fide permanerent, spes facta.
 Petentibus iisdem, qui non reddebantur obsides, ut
 ab Norba, ubi parum commode essent, alio traduce-
 rentur, concessum, ut Signiam et Ferentinum trans-
 irent. Gaditanis item petentibus remissum, ne præ-
 fectus Gades mitteretur, adversus quod iis, in fidem
 populi Romani venientibus, cum L. Marcio Septimo

U. C. 558.

A. C. 199.

Karthagi-
nienses pri-
mam tri-
buti pen-
sionem
solvunt.Obsidum
pars iis
reddita.

U. C. 553. convenisset. Et Narniensium legatis, quærentibus
 A. C. 199. ad numerum sibi colonos non esse, et inmixtos quos-
 dam non sui generis pro colonis se gerere, earum
 rerum causa tresviros creare L. Cornelius consul
 jussus : creati P. et Sex. Ælii (Pætis fuit ambobus
 cognomen) et C. Cornelius Lentulus : quod Narni-
 ensibus datum erat, ut colonorum numerus cogere-
 tur, id Cosani petentes non inpetraverunt.

Seditio
 militum
 in Ma-
 cedonia.

III. Rebus, quæ Romæ agendæ erant, perfectis,
 consules in provincias profecti. P. Villium in Ma-
 cedoniam quum venisset, atrox seditio militum, jam
 ante irritata, nec satis in principio compressa, exce-
 pit : duo millia ea militum fuere, qui ex Africa post
 devictum Hannibalem in Siciliam, inde anno fere
 post in Macedoniam pro voluntariis transportati
 erant : id voluntate factum negabant : *Ab tribunis
 recusantes in naves inpositos : sed utcumque, seu in-
 juncta, seu suscepta foret militia, et eam exhaustam, et
 finem aliquem militandi fieri æquum esse. Multis annis
 sese Italiam non vidisse : consenuisse sub armis in Si-
 cilia, Africa, Macedonia. Confectos jam se labore,
 opere, exsanguis tot acceptis vulneribus esse. Consul,
 causam postulandæ missionis probabilem, si modeste
 peteretur, videri, dixit : seditionis nec eam, nec ullam
 aliam satis justam causam esse. Itaque si manere ad
 signa, et dicto parere velint, se de missione eorum ad
 senatum scripturum. Modestia facilius, quam perti-
 nacia, quod velint, inpetratos.*

Thauma-
 cos frustra
 tentatos
 deserit
 Philippus.

IV. Thaumacos eo tempore Philippus summa vi
 obpugnabat aggeribus vineisque ; et jam arietem
 muris admoturus erat : ceterum incepto absistere eum
 coëgit subitus Ætolorum adventus, qui, Archidamo
 duce inter custodias Macedonum mœnia ingressi,

nec die, nec nocte finem ullum erumpendi, nunc in stationes, nunc in opera Macedonum, faciebant : et adjuvabat eos natura ipsa loci : namque Thaumacia Pylis sinuque Maliaco per Lamiam eunti loco alto siti sunt, ipsis faucibus imminentes, quas Cœla vocant : Thessaliæque transeunti confragosa loca implicatasque flexibus vallium vias, ubi ventum ad hanc urbem est, repente, velut maris vasti, sic immensa panditur planities, ut subjectos campos terminare oculis haud facile queas. Ab eo miraculo Thaumaci adpellati : nec altitudine solum tuta urbs, sed quod, saxo undique absciso, rupibus inposita est. Hæ difficultates, et quod haud satis dignum tanti laboris periculique pretium erat, ut absisteret incepto Philippus, effecerunt : hiems quoque jam instabat, quum inde abscessit, et in Macedoniam in hiberna copias reduxit.

V. Ibi ceteri quidem, data quantacumque quiete temporis, simul animos corporaque remiserant. Philippum quantum ab adsiduis laboribus itinerum pugnarumque laxaverat annus, tanto magis intentum in universum eventum belli curæ angunt, non hostes modo timentem, qui terra marique urgebant ; sed nunc sociorum, nunc etiam popularium animos, ne et illi ad spem amicitiae Romanorum deficerent, et Macedonas ipsos cupido novandi res caperet : itaque et in Achaiam legatos misit, simul qui jusjurandum (ita enim pepigerant, quotannis juraturos in verba Philippi) exigent ; simul qui redderent Achæis Orchomenon, et Heræam, et Triphyliam ; Eleis Alipheram, contententibus, numquam eam urbem fuisse ex Triphylia, sed sibi debere restitui, quia una esset ex iis, quæ ad condendam Megalopolim et concilio Arcadum contributæ forent. Et cum Achæis

U. C. 553
A. C. 199.

Philippi
curæ et
anxietas.

U. C. 553. quidem per hæc societatem firmabat. Macedonum
 A. C. 199. animos sibi conciliavit cum Heraclide: nam quum
 eum maximæ invidiæ sibi esse cerneret, multis cri-
 minibus oneratum in vincula conjecit, ingenti popu-
 larium gaudio. Bellum, si quando umquam ante
 alias, tum magna cura adparavit, exercuitque in ar-
 mis et Macedonas, et mercenarios milites: princi-
 pioque veris cum Athenagora omnia externa auxi-
 lia, quodque levis armaturæ erat, in Chaoniam per
 Epirum ad occupandas, quæ ad Antigoneam fauces
 sunt, (Stena vocant Græci) misit. Ipse post paucis
 diebus graviore secutus agmine, quum situm omnem
 regionis adspexisset, maxime idoneum ad munien-
 dum locum credidit esse præter amnem Aoum: is
 inter montes, quorum alterum Æropum, alterum As-
 naum incolæ vocant, angusta valle fluit, iter exigu-
 um super ripam præbens. Asnaum Athenagoram
 cum levi armatura tenere ac communire jubet: ipse
 in Æropo posuit castra. Qua abscisæ rupes erant,
 statio paucorum armatorum tenebat; quæ minus
 tuta erant, alia fossis, alia vallis, alia turribus muni-
 ebat. Magna tormentorum etiam vis, ut missilibus
 procul arcerent hostem, idoneis locis disposita est:
 tabernaculum regium pro vallo, in conspecto maxi-
 me tumulo, ut terrorem hostibus, suisque spem ex
 fiducia faceret, positum.

Castra ad
 Aoum
 ponit.

Consul
 mox
 adest.

VI. Consul, per Charopum Epiroten certior fac-
 tus, quos saltus cum exercitu insedisset rex, et ipse,
 quum Corcyræ hibernasset, vere primo in continen-
 tem trajectus, ad hostem ducere perguit: quinque
 millia ferme ab regiis castris quum abesset, loco
 munito relictis legionibus, ipse cum expeditis pro-
 gressus ad speculanda loca, postero die consilium

habuit, utrum per insessum ab hoste saltum, quamquam labor ingens periculumque proponeretur, transitum tentaret; an eodem itinere, quo priore anno Sulpicius Macedoniam intraverat, circumduceret copias. Hoc consilium per multos dies agitati nuncius venit, T. Quinctium consulem factum, sortitumque provinciam Macedoniam, maturato itinere jam Corcyram trajecisse. Valerius Antias intrasse saltum Villium tradit, quia recto itinere nequirit, omnibus a rege insessis, secutum vallem, per quam mediam fertur Aous annis; ponte raptim facto, in ripam, in qua erant castra regia, transgressum acie conflixisse: fusum fugatumque regem, castris exutum: duodecim millia hostium eo prælio cæsa, capta duo millia et ducentos, et signa militaria centum triginta duo, equos ducentos triginta: ædem etiam Jovi in eo prælio votam, si res prospere gesta esset. Ceteri Græci Latiniq̄ue auctores, quorum quidem ego legi annales, nihil memorabile a Villio actum, integrumque bellum insequentem consulem T. Quinctium accepisse tradunt.

VII. Dum hæc in Macedonia geruntur, consul alter L. Lentulus, qui Romæ substiterat, comitia censoribus creandis habuit. Multis claris potentibus viris, creati censores P. Cornelius Scipio Africanus et P. Ælius Pætus: hi, magna inter se concordia, et senatum sine ullius nota legerunt, et portoria venalium Capuæ Puteolisque, item Castrorum portorium, quo in loco nunc oppidum est, fruendum locarunt: colonosque eo trecentos (is enim numerus finitus ab senatu erat) adscripserunt, et sub Tifatis Capuæ agrum vendiderunt. Sub idem tempus L. Manlius Acidinus, ex Hispania decedens, prohibitus

U. C. 553. a P. Porcio Læca tribuno plebis, ne ovans rediret,
 A. C. 199. quum ab senatu inpetrasset, privatus urbem ingre-
 diens mille ducenta pondo argenti, triginta pondo
 ferme auri in ærarium tulit. Eodem anno Cn. Bæ-
 bius Tamphilus, qui ab C. Aurelio consule anni
 prioris provinciam Galliam acceperat, temere in-
 gressus Gallorum Insubrium fines, prope cum toto
 exercitu est circumventus: supra sex millia et sex-
 centos milites amisit: tanta ex eo bello quod jam
 timeri desierat, clades accepta est. Ea res L. Len-
 tulum consulem ab urbe excivit: qui, ut in provin-
 ciam venit plenam tumultus, trepido exercitu accep-
 to, prætorem multis probris increpitem provincia de-
 cedere, atque abire Romam jussit. Neque ipse con-
 sul memorabile quidquam gessit, comitiorum causa
 Romam revocatus; quæ ipsa per M. Fulvium et
 M. Curium tribunos plebis inpediebantur, quod T.
 Quinctium Flamininum consulatum ex quæstura pe-
 tere non patiebantur. *Jam ædilitatem præturamque
 fastidiri: nec per honorum gradus, documentum sui
 dantes, nobiles homines tendere ad consulatum, sed
 transcendendo media, summa imis continuare.* Res
 ex campestri certamine in senatum venit. Patres
 censuerunt, *Qui honorem, quem sibi capere per leges
 liceret, peteret, in eo populo creandi, quem velit, po-
 testatem fieri æquum esse.* In auctoritate Patrum fu-
 ere tribuni. Creati consules Sex. Ælius Pætus et
 T. Quinctius Flamininus. Inde prætorum comitia
 habita: creati L. Cornelius Merula, M. Claudius
 Marcellus, M. Porcius Cato, C. Helvius, qui ædiles
 plebis fuerant: ab iis ludi plebeii instaurati: et epu-
 lum Jovis fuit ludorum causa. Et ab ædilibus cu-
 rilibus C. Valerio Flacco flamine Diali et C. Cor-

Cn. Bæbius
 circumven-
 tus a Gallis.

T. Quinc-
 tius ex
 quæstura
 consul.

nelio Cethego ludi Romani magno adparatu facti. U. C. 553.
A. C. 199.
Ser. et C. Sulpicii Galbæ pontifices eo anno mortui
sunt: in eorum locum M. Æmilius Lepidus et Cn.
Cornelius Scipio pontifices subfecti sunt.

VIII. Sex. Ælius Pætus, T. Quinctius Flaminius U. C. 554.
A. C. 198.
consules, magistratu inito, senatum in Capitolio
quum habuissent, decreverunt Patres, *ut provincias
Macedoniam atque Italiam consules comp rarent inter
se, sortirenturve. Utri eorum Macedonia evenisset, in
supplementum legionum tria millia militum Romano-
rum scriberet, et trecentos equites: item sociorum La-
tini nominis quinque millia peditum, quingentos equites.*
Alteri consuli novus omnis exercitus decretus. L.
Lentulo prioris anni consuli prorogatum imperium
est; vetitusque aut ipse provincia decedere prius,
aut veterem exercitum deducere, quam cum legioni-
bus novis consul venisset. Sortiti consules provin-
cias: Ælio Italia, Quinctio Macedonia evenit. Præ-
tores, L. Cornelius Merula urbanam, M. Claudius
Siciliam, M. Porcius Sardiniam, C. Helvius Galliam
est sortitus. Delectus inde haberi est cœptus: nam,
præter consulares exercitus, prætores quoque jussi
scribere milites erant. Marcello in Siciliam quatuor
millia peditum sociûm Latini nominis, et trecentos
equites; Catoni in Sardiniam ex eodem genere mili-
tum tria millia peditum, ducentos equites: ita ut hi
prætores ambo, quum in provincias venissent, veteres
dimitterent pedites equitesque. Attali deinde regis Attali lega-
ti senatum
aducunt.
legatos in senatum consules introduxerunt. Hi,
regem classe sua copiisque omnibus terra marique
Romanam rem juvare, quæque imperarent Romani
consules, inpigre atque obedienter ad eam diem fe-
cisse, quum exposuissent, *Vereri, dixerunt, ne id*

U. C. 554. *præstare ei per Antiochum regem ultra non liceret :*

A. C. 198. *vacuum namque præsiidiis navalibus terrestribusque regnum Attali Antiochum invasisse. Itaque Attalum orare Patres conscriptos, si sua classe, suaque opera uti ad Mæccdonicum bellum vellent, mitterent ipsi præsidium ad regnum ejus tutandum : si id nollent, ipsum ad sua defendenda cum classe ac reliquis copiis redire pate-*

Responsum
senatus.

rentur. Senatus legatis ita responderi jussit, Quod rex Attalus classe copiisque aliis duces Romanos juvisset, id gratum senatui esse. Auxilia nec ipsos missuros Attalo adversus Antiochum, socium et amicum populi Romani : nec Attali auxilia retenturos, ultra quam regi commodum esset. Semper populum Romanum alienis rebus, arbitrio alieno, usum : et principium et finem in potestate ipsorum, qui ope sua velint adjutos Romanos, esse. Legatos ad Antiochum missuros, qui nuncient, Attali naviumque ejus et militum opera adversus Philippum communem hostem uti populum Romanum. Gratum eum facturum et senatui, si regno Attali abstineat, belloque absistat. Æquum esse, socios et amicos populi Romani reges inter se quoque ipsos pacem servare.

IX. Consulem T. Quinctium, ita habito delectu, ut eos fere legeret, qui in Hispania aut Africa meruissent spectatæ virtutis milites, properantem in provinciam prodigia nunciata atque eorum procuratio Romæ tenuerunt. De cælo tacta erant via publica Veis, forum et ædes Jovis Lannvii, Herculis ædes Ardeæ, Capuæ murus et tures et ædes, quæ Alba dicitur : cælum ardere visum erat Arretii : terra Velitris trium jugerum spatio caverna ingenti desederat. Suessæ Auruncæ nunciabant agnum cum duobus capitibus natum, et Sinuessæ porcum humano capite.

Eorum prodigiorum caussa supplicatio unum diem U. C. 554.
A. C. 198. habita: et consules rebus divinis operam dederunt. placatisque Diis, profecti in provincias sunt. Ælius cof.
it in Galliam. Ælius cum C. Helvio prætore in Galliam: exercitumque ab L. Lentulo acceptum, quem dimittere debebat, prætori tradidit; ipse novis legionibus, quas secum adduxerat, bellum gesturus: neque memorabilis rei quidquam gessit. Et T. Quinctius alter consul Quinctius
in Macedoniam. maturius, quam priores soliti erant consules, a Brundisio quum transmisisset, Coreyram tenuit cum octo millibus peditum, equitibus octingentis. Ab Coreyra in proxima Epiri quinquere mi trajecit: et in castra Romana magnis itineribus contendit; inde Villio dimisso, paucos moratus dies, dum se copiæ ab Coreyra adsequerentur, consilium habuit, utrum recto itinere per castra hostium vim facere conaretur: an, ne tentata quidem re tanti laboris ac periculi, per Dassaretios potius Lyeumque tuto circuitu Macedoniam intraret. Vicissetque ea sententia, ni timuisset, ne, quum a mari longius recessisset, misso e manibus hoste, si (quod antea fecerat) solitudinibus silvisque se tutari rex voluisset, sine ullo effectu æstas extraheretur. Utcumque esset igitur, illo ipso tam iniquo loco adgredi hostem placuit: sed magis fieri id placebat, quam, quomodo fieret, satis expediebat.

X. Dies quadraginta sine ullo conatu sedentes in Consulis et
Philippi
conloquium. conspectu hostium absunserant. Inde spes data Philippo est, per Epirotarum gentem tentandæ pacis: habitoque consilio delecti ad eam rem agendam, Pausanias prætor, et Alexander magister equitum, consulem et regem, ubi in artissimas ripas Aous cogitur amnis, in conloquium adduxerunt. Summa

U. C. 554. postulatorum consulis erat, præsidia ex civitatibus
 A. C. 198. rex deduceret : iis, quorum agros urbesque popula-
 tus esset, redderet res, quæ comparerent: ceterorum
 æquo arbitrio æstimatio fieret. Philippus *aliam ali-*
arum civitatum conditionem esse respondit. *Quas*
ipse cepisset, eas liberaturum. Quæ sibi traditæ a ma-
ioribus essent, earum hæreditaria ac justa possessione
non excessurum : si quas quererentur belli clades eæ ci-
vitates, cum quibus bellatum foret ; arbitrio, quo vel-
lent, populorum, cum quibus pax utrisque fuisset, se
usurum. Consul, *Nihil ad id quidem arbitro aut ju-*
dice opus esse, dicere. Cui enim non adparere, ab eo,
qui prior arma intulisset, injuriam ortam ? nec Philip-
pum ab ullis bello lacessitum, ipsum priorem vim omni-
bus fecisse. Inde quum ageretur, quæ civitates libe-
 randæ essent, Thessalos primos omnium nominavit
 consul : ad id vero adeo accensus indignatione est
 rex, ut exclamaret, *quid victo gravius imperares, T.*
Quincti ? atque ita se ex conloquio proripuit : et
 temperatum ægre est, quin missilibus, quia diremti
 medio anni fuerant, pugnam inter se consererent.
 Postero die per excursions ab stationibus primo in
 planitie, satis ad id patenti, multa levia commissa
 prælia sunt : deinde recipientibus se regiis in arta
 et confragosa loca, aviditate accensi certaminis eo
 quoque Romani penetravere. Pro his ordo, et mi-
 litaris disciplina, et genus armorum erat, aptum ur-
 gendis regiis : pro hoste loca, et catapultæ ballistæ-
 que, in omnibus prope rupibus, quasi in muris, dis-
 positæ. Multis hinc atque illinc vulneribus acceptis,
 quum etiam, ut in prælio justo, aliquot cecidissent,
 nox pugnæ finem fecit.

Irrito
 eventu.

XI. Quum in hoc statu res esset, pastor quidam,

a Charopo principe Epirotarum missus, deducitur ad consulem. *Is se in eo saltu, qui regiis tunc oneratus castris erat, armentum pascere ait : omnes montium eorum amfractus callesque nosse. Si secum aliquos mittere velit, non iniquo nec perdifficili aditu supra caput hostium deducturum.* Hæc, Charopus renunciari jubet, *ita crederet, ut suæ potius omnia, quam illius, potestatis essent.* Quum magis vellet credere, quam auderet, consul, mixtumque gaudio ac metu animum gereret, auctoritate motus Charopi, experiri spem oblatam statuit : et, ut averteret rem a suspitione, biduo insequenti lacessere hostem, dispositis ab omni parte copiis, succedentibusque integris in locum defessorum, non destitit. Quatuor millia inde lecta peditum et trecentos equites tribuno militum tradit. Equites, quoad loca patiantur, ducere jubet : ubi ad invia equiti ventum sit, in planitie aliqua locari equitatum ; pedites, qua dux monstraret viam, ire : ubi, ut polliceretur, super caput hostium perventum sit, fumo dare signum : nec ante clamorem tollere, quam ab se signo accepto pugnam cœptam arbitrari posset. Nocte itinera fieri jubet, (et pernox forte luna erat) interdium cibi quietisque sumeret tempus : ducem promissis ingentibus oneratum, si fides exstet, vinctum tamen tribuno tradit. His copiis ita dimissis, eo intentius Romanus undique instat capi stationes.

XII. Interim die tertio quum verticem, quem petierant, Romani cepisse ac tenere se fumo significant ; tum vero, trifariam divisis copiis, consul valle media cum militum robore succedit : cornua dextra lævaque admovet castris : nec segnius hostes obviam eunt : et, dum, aviditate certaminis provecti, extra

U. C. 554.
A. C. 198.
A pastore
via ostenditur
Quinctio.

Quinctius
agitur
Philippum.

U. C. 554. munitiones pugnant, haud paullo superior est Ro-
 A. C. 198. manus miles, et virtute, et scientia, et armorum ge-
 nere. Postquam, multis vulneratis interfectisque,
 recepere se regii in loca, aut munimento, aut natura
 A tergo Romanae verterat periculum in Romanos, temere in loca
 regios iniqua, nec faciles ad receptum angustias progres-
 invadunt sos: neque in punita temeritate inde recepissent sese,
 et fugant. ni clamor primum ab tergo auditus, dein pugna
 etiam cepta, amentes repentino terrore regios fe-
 cisset. Pars in fugam effusi sunt: pars magis, quia
 locus fugae deerat, quam quod animi satis esset ad
 pugnam, quum substitissent, ab hoste, et a fronte et
 ab tergo urgente, circumventi sunt. Deleri totus
 exercitus potuit, si fugientes persecuti victores es-
 sent: sed equitem angustiae locorumque asperitas,
 peditem armorum gravitas impediit. Rex primo
 effuse ac sine respectu fugit: dein, quinque millium
 spatium progressus, quum ex iniquitate locorum, id
 quod erat, suspicatus esset, sequi non posse hostem,
 substitit in tumulo quodam, dimisitque suos per
 omnia juga vallesque, qui palatos in unum conlige-
 rent. Non plus duobus millibus hominum amissis,
 cetera omnis multitudo, velut signum aliquod secuta,
 in unum quum convenisset, frequenti agmine petunt
 Thessaliam. Romani, quoad tutum fuit insecti,
 caedentes spoliantesque caesos, castra regia, etiam
 sine defensoribus difficili aditu, diripiunt: atque ea
 nocte in suis castris manserunt.

Rex in
Thessali-
am fugit.

Sequitur
consul.

XIII. Postero die consul per ipsas angustias, qua
 se inter valles flumen insinuat, hostem sequitur. Rex
 primo die ad Castra Pyrrhi pervenit: locus, quem
 ita vocant, est in Triphylia terrae Melotidis: inde
 postero die (ingens iter agminis, sed metus urgebat)

in montem Lingon perrexit: ipsi montes Epiri sunt, U. C. 554.
interjecti Macedoniae Thessaliaeque. Latus, quod A. C. 198.
vergit in Thessaliam, oriens spectat: septentrio a
Macedonia objicitur. Vestiti frequentibus silvis
sunt: juga summa campos patentes aquasque per-
ennes habent. Ibi, stavis, rex, per aliquot dies
habitis, fluctuatus animo est, utrum protinus in reg-
num se reciperet, an reverti in Thessaliam posset:
inclinavit sententia, suum in Thessaliam agmen de-
mittere, Triccamque proximis limitibus petit: inde
obvias urbes raptim peragravit. Homines, qui sequi
possent, sedibus excibat: oppida incendebat: rerum
suarum, quas possent, ferendarum secum dominis
jus fiebat: cetera militis praeda erat: nec, quod ab
hoste crudelius pati possent, reliqui quidquam fuit,
quam quae ab sociis patiebantur. Haec etiam fa-
cienti Philippo acerba erant, sed e terra, mox futura
hostium, corpora saltem eripere sociorum volebat:
ita evastata sunt oppida, Phacium, Iresiae, Eahydri-
um, Eretria, Palæpharus. Pheras quum peteret, ex-
clusus, quia res egebat mora, si expugnare vellet,
nec tempus erat, omissis incepto, in Macedoniae
transcendit. Nam etiam Aetolos adpropinquare fama Aetoli vas-
erat: qui, audito proelio, quod circa amnem Aoum tant Thes-
factum erat, proximis prius evastatis circa Sperchias salam.
et Macran (quam vocant) Comen, transgressi inde in
Thessaliam, Cymines et Angeas primo inpetu potiti
sunt: a Metropoli, dum vastant agros, concursu
oppidanorum ad tuenda mœnia facto, repulsi sunt.
Callithera inde adgressi, similem inpetum oppidano-
rum pertinacius sustinuerunt: compasisque intra
mœnia, qui eruperant, contenti ea victoria, quia
spes nulla admodum expugnandi erat, abscesserunt.

U. C. 554. Theuma inde et Calathana vicos expugnant diripi-
 A. C. 198. untque. Acharras per deditionem receperunt. Xyniæ simili metu a cultoribus desertæ sunt. Hoc sedibus suis extorre agmen in præsidium incidit, quod Athamanni, quo tutior frumentatio esset, ducebatur: incondita inermisque multitudo, mixta inbelli turba, ab armatis cæsa est. Xyniæ desertæ diripiuntur. Cyphara inde Ætoli capiunt, opportune Doloipiæ imminens castellum. Hæc raptim intra paucos dies ab Ætolis gesta. Nec Amynder atque Athamanes, post famam prosperæ pugnæ Romanorum, quieverunt.

Amynderi
 res gestæ.

XIV. Ceterum Amynder, quia suo militiarum fidebat, petito ab consule modico præsidio, quum Gomphos peteret, oppidum protinus nomine Phecæcam, situm inter Gomphos faucesque angustas, quæ ab Athamania Thessalian dirimunt, vi cepit: inde Gomphos adortus, et per aliquot dies summa vi urbem tuentes, quum scalas ad mœnia erexisset, eodem metu perpulit ad deditionem. Hæc traditio Gomphorum ingentem terrorem Thessalis intulit: dedere deinceps sese, qui Argenta, quique Pherinum, et Thimarum, et Lisinas, et Stimonem, et Lampsum habent, aliaque castella juxta ignobilia. Dum Athamanes Ætolique, submoto Macedonum metu, in aliena victoria suam prædam faciunt, Thessaliaque a tribus simul exercitibus, incerta quem hostem, quemve socium crederet, vastatur; consul faucibus, quas fuga hostium aperuerat, in regionem Epiri transgressus, etsi probe scit, cui parti, Charopo principe excepto, Epirotæ favissent; tamen, quia ab satisfaciendi quoque cura imperata enise facere videt, ex præsentem eos potius, quam ex præterito, æstimat ha-

Epirotis
 ignoscit
 consul.

bitu, et ea ipsa facilitate veniæ animos eorum in posterum conciliat. Missis deinde nunciis Coreyram, ut onerariæ naves in sinum venirent Ambracium; ipse, progressus modicis itineribus, quarto die in monte Cercetio posuit castra, eodem Amyndro cum suis auxiliis adcito; non tam virium ejus egens, quam ut duces in Thessaliam haberet: ab eodem consilio et plerique Epirotarum voluntarii inter auxilia accepti.

U. C. 554.
A. C. 198.

XV. Primam urbium Thessaliæ Phaloriam est adgressus: duo millia Macedonum in præsidio habebat, qui primo summa vi restiterunt, quantum arma, quantum mœnia tueri poterant: sed obpugnatione continua, non die, non nocte remissa, (quum consul in eo verti crederet ceterorum Thessalorum animos, si primi vim Romanam non sustinuissent) vicit pertinaciam Macedonum. Capta Phaloria, legati a Metropoli et a Piera dedentes urbes venerunt: venia eisdem petentibus datur. Phaloria incensa ac direpta est. Inde Æginium petit: quem locum quum vel modico præsidio tutum ac prope inexpugnabilem vidisset, paucis in stationem proximam telis conjectis, ad Gomphorum regionem agmen vertit: degressusque in campos Thessaliæ, quum jam omnia exercitui deessent, quia Epirotarum pepercerat agris, explorato ante, utrum Leucadem, an sinum Ambracium onerariæ tenuissent, frumentatum Ambraciam in vicem cohortes misit: et est iter a Gomphis Ambraciam, sicut inpeditum ac difficile, ita spatio perbrevis. Intra paucos itaque dies, transvectis a mari com meatibus, repleta omni rerum copia sunt castra. Inde Atracem est profectus: decem ferme millia ab Larissa abest: ex Perrhæbia oriundi sunt: sita est

Phaloriam
in Thessa-
lia capit.

Atrax
obsessa.

U. C. 554. urbs super Peneum amnem. Nihil trepidavere Thes-
 A. C. 198. sali ad primum adventum Romanorum. Et Phi-
 lippus, sicut in Thessaliam ipse progredi non aude-
 bat, ita, intra Tempe stativis positis, ut quisque lo-
 cus ab hoste tentabatur, præsidia per occasiones
 submittebat.

L. Quinctii
 de gestis.

XVI. Sub idem fere tempus, quo consul adversus
 Philippum primum in Epiri faucibus castra posuit,
 et L. Quinctius, frater consulis, cui classis cura ma-
 ritimæque oræ imperium mandatum ab senatu erat,
 cum duabus quinquereimis Corcyram transvectus,
 postquam profectam inde classem audivit, nihil mo-
 randum ratus, quum ad Zamam insulam adsecutus
 esset, dimisso L. Apustio, cui successerat, tarde inde
 ad Maleam, trahendis plerumque remulco navibus,
 quæ cum comæatu sequebantur, pervenit. A Ma-
 lea, jussis ceteris, quantum maxime possent matu-
 rate, sequi, ipse tribus quinquereimis expeditis Pi-
 ræeum præcepit, accepitque naves ibi relictas ab L.
 Apustio legato ad præsidium Athenarum. Eodem
 tempore duæ ex Asia classes profectæ, una cum
 Attalo rege; (eæ quatuor et viginti quinquereimes
 erant) Rhodia altera, viginti navium tectarum;
 Agesimbrotus præerat. Hæ circa Andrum insulam
 classes conjunctæ Eubœam, inde exiguo distantem-
 freto, trajecerunt. Carystiorum primum agros vas-
 tarunt: deinde, ubi Carystus, præsidio a Chalcide
 raptim misso, firma visa est, ad Eretriam accesser-
 unt. Eodem et L. Quinctius cum iis navibus, quæ
 Piræei fuerant, Attali regis adventu audito, venit,
 jussitque, ut, quæ ex sua classe venissent naves,
 Eubœam peterent. Eretria summa vi obpugnaba-
 tur: nam et trium junctarum classium naves omnis

classis At-
 tali et Rho-
 dia.

Eretria ob-
 pugnat.

generis tormenta machinasque ad urbium excidia secum portabant, et agri adfatim materiæ præbebant ad nova molienda opera. Oppidani primo haud impigre tuebantur mœnia: deinde fessi vulneratique aliquot, quum et muri partem eversam operibus hostium cernerent, ad deditiōem inclinarunt: sed præsidium erat Macedonum, quos non minus, quam Romanos, metuebant: et Philocles regius præfectus a Chalcide nuncios mittebat, se in tempore adfuturum, si sustinerent obsidionem. Hæc mixta metu spes ultra, quam vellent, aut quam possent, trahere eos tempus cogebat: deinde, postquam Philoclem repulsum trepidantemque refugisse Chalcidem acceperunt, oratores extemplo ad Attalum, veniam fidemque ejus petentes, miserunt. Dum in spem pacis intenti segnius munera belli obeunt, et ea modo parte, qua murus dirutus erat, ceteris neglectis, stationes armatas obponunt: Quinctius, noctu ab ea parte, quæ minime suspecta erat, inpetu factò, scalis urbem cepit. Oppidanorum omnis multitudo cum conjugibus ac liberis in arcem confugit: deinde in deditiōem venit. Pecuniæ aurique et argenti haud sane multum fuit: signa, tabulæ priscae artis, ornamentaque ejus generis plura, quam pro urbis magnitudine aut opibus ceteris, inventa.

XVII. Carystus inde repetita; unde, priusquam e navibus copiæ exponerentur, omnis multitudo, urbe deserta, in arcem confugit. Inde ad fidem ab Romano petendam oratores mittunt: oppidanis extemplo vita ac libertas concessa est: Macedonibus treceni nummi in capita statutum est pretium, et ut armis traditis abirent. Hac summa redempti, in Bœotiam inermes trajecti. Navales copiæ, duabus cla-

U. C. 554.
A. C. 198.

Capitur.

Carystus
capta.

U. C. 554.
A. C. 198.

Atrax per-
tinaciter
defenditur.

ris urbibus Eubœæ intra dies paucos captis, circumvectæ Sunium Atticæ terræ promontorium, Cenchreas Corinthiorum emporium petierunt. Consul interim omnium spe longiorem atrocioresque obpugnationem habuit: et ea, qua minimum credidisset, resistebant hostes: nam omnem laborem in muro diruendo crediderat fore; si aditum armatis in urbem patefecisset, fugam inde cædemque hostium fore, qualis captis urbibus fieri solet: ceterum postquam, parte muri arietibus decussa, per ipsas ruinas transcenderunt in urbem armati, illud principium velut novi atque integri laboris fuit. Nam Macedones, qui in præsidio erant et multi et delecti, gloriam etiam egregiam rati, si armis potius et virtute, quam mœnibus, urbem tuerentur, conferti, pluribus introrsus ordinibus acie firmata, quum transcendere ruinas sensissent Romanos, per ineditum ac difficilem ad receptum locum expulerunt. Id consul ægre passus, nec eam ignominiam ad unius modo expugnandæ moram urbis, sed ad summam universi belli, pertinere ratus, quod ex momentis parvarum plerumque rerum penderet, purgato loco, qui strage semirutum muri cumulatus erat, turrem ingentis altitudinis, magnam vim armatorum multiplici tabulato portantem, promovit: et cohortes in vicem sub signis, quæ cuneum Macedonum, (phalangem ipsi vocant) si possent, vi perumperent, emittebat. Sed ad loca angusta, haud late patente intervallo diruti muri, genus armorum pugnaeque hosti aptius erat: ubi conferti hastas ingentis longitudinis præ se Macedones objecissent, velut in constructam densitate clipeorum testudinem Romani, pilis nequidquam emissis, quum strinxissent

gladios; neque congregari propius, neque præcidere hastas poterant: et, si quas incidissent, aut præfregissent, hastilia fragmento ipso acuto, inter spicula integrarum hastarum, velut vallum explebant. Ad hoc et muri pars adhuc integra utraque tuta præstabat latera: nec ex longo spatio aut cedendum, aut inpetus faciendus erat; quæ res turbare ordines solet. Accessit etiam fortuita res ad animos eorum firmandos: nam quum turris per aggerem parum densati soli ageretur, rota una in altiore orbitam depressa ita turrim inclinavit, ut speciem ruentis hostibus, trepidationemque insanam superstantibus armatis præbuerit.

XVIII. Quum parum quidquam succederet, consul minime æquo animo comparationem militum generis armorumque fieri patiebatur: simul nec maturam expugnandi spei, nec rationem procul a mari et in evastatis belli cladibus locis hibernandi ullam cernebat: itaque relicta obsidione, quia nullus in tota Acarnaniæ atque Ætoliæ ora portus erat, qui simul et omnes onerarias, quæ comæatum exercitui portabant, caperet, et tecta ad hibernandum legionibus præberet, Anticyra in Phocide, in Corinthium versa sinum, ad id opportunissime sita visa: quia nec procul Thessalia hostiumque locis abibant; et ex adverso Peloponnesum exiguo maris spatio divisam, ab tergo Ætoliæ Acarnaniamque, ab lateribus Locridem ac Bœotiam habebant. Phocidis primo inpetu Phanoteam sine certamine cepit. Anticyra haud multum in obpugnando præbuit moræ. Ambrysus inde Hyampolisque receptæ. Daulis, quia in tumulo excelso si a est, nec scalis, nec operibus capi poterat: lacessendo missilibus eos, qui in præ-

U. C. 554.

A. C. 198.

Re infecta
abit consul.Phocidis
urbes ab
eo captæ.

U. C. 554. sidio erant, quum ad excursiones eliciissent, refugi-
 A. C. 198. endo in vicem insequendoque, et levibus sine effectu
 certaminibus, eo negligentiae et contentus adduxe-
 runt, ut cum refugientibus in portam permixti inpe-
 tum Romani facerent. Sex alia ignobilia castella
 Phocidis terrore magis, quam armis, in potestatem
 venerunt. Elatia clausit portas: nec, nisi vi coge-
 rentur, recepturi mœnibus videbantur aut ducem,
 aut exercitum Romanum.

XIX. Elatiam obsidenti consuli rei majoris spes
 adfulsit, Achæorum gentem ab societate regia ad
 Romanam amicitiam avertendi. Cycliadam, princi-
 pem factionis ad Philippum trahentium res, expu-
 lerant. Aristæus, qui Romanis gentem jungi vo-
 lebat, prætor erat. Classis Romana cum Attalo et
 Rhodiis Cenchreis stabat, parabantque communi
 omnes consilio Corinthum obpugnare. Optimum
 igitur ratus est, priusquam eam rem adgrederentur,
 legatos ad gentem Achæorum mitti, pollicentes, si
 ab rege ad Romanos defecissent, Corinthum iis con-
 tributuros in antiquum gentis concilium. Auctore
 consule, legati a fratre ejus L. Quinctio, et Attalo,
 et Rhodiis, et Atheniensibus, ad Achæos missi. Si-
 cyone datum iis est concilium. Erat autem non ad-
 modum simplex habitus animorum inter Achæos:
 terrebat eos Lacedæmonius, gravis et adsiduus hos-
 tis: horrebant Romana arma: Macedonum bene-
 ficiis et veteribus et recentibus obligati erant: regem
 ipsum suspectum habebant pro ejus crudelitate per-
 fidiaque; neque ex iis, quæ tum ad tempus faceret,
 æstimantes, graviolem post bellum dominum futu-
 rum cernebant: neque solum, quid in senatu quis-
 que civitatis suæ, aut in communibus conciliis gentis

Legati a
 Romanis
 et eorum
 sociis ad
 Achæos.

Achæorum
 fluctuans
 et incerta
 mens.

pro sententia dicerent, ignorabant; sed ne ipsis U. C. 554.
 quidem secum cogitantibus, quid vellent, aut quid A. C. 198.
 optarent, satis constabat. Ad homines ita incertos
 introductis legatis potestas dicendi facta est. Ro-
 manus primum legatus L. Calpurnius, deinde Attali Audiunt
 regis legati, post eos Rhodii disseruerunt. Philippi legatos.
 deinde legatis dicendi potestas facta est: postremi
 Athenienses, ut refellerent Macedonum dicta, auditi
 sunt. Ii fere atrocissime in regem, quia nulli nec
 plura, nec tam acerba passi erant, invecti sunt. Et
 illa quidem concio sub occasum solis, tot legatorum
 perpetuis orationibus die absumto, dimissa est.

XX. Postero die advocatur concilium; ubi quum
 per præconem, sicut Græcis mos est, suadendi, si
 quis vellet, potestas a magistratibus facta esset, nec
 quisquam prodiret: diu silentiam aliorum alios in- Silentium
 tumentium fuit: neque mirum, si, quibus sua sponte, inter A-
 volutantibus res inter se pugnantes, obtorpuerant chæos.
 quodammodo animi, eos orationes quoque insuper
 turbaverant, utrimque quæ difficilia essent, promendo
 admonendoque, per totum diem habitæ. Tandem
 Aristæus prætor Achæorum, ne tacitum concilium
 dimitteret, *Ubi, inquit, illa certamina animorum, Aristæus*
Achæi, sunt, quibus in convivis et circulis, quum de prætor eos
Philippo et Romanis mentio incidit, vix manibus tem- hortatur ut
perabatis? Nunc in concilio, ad eam rem unam indicto, expromant
quum legatorum utrimque verba audieritis, quum refe- quid fen-
rant magistratus, quum præco ad suadendum vocet, ob- tiant.
mutuistis. Si non cura communis salutis, ne studia
quidem, quæ in hanc aut illam partem animos vestros
inclinaverunt, vocem cuiquam possunt exprimere? quum
præsertim nemo tam hebes sit, qui ignorare possit, di-
cendi ac suadendi, quod quisque aut velit, aut optimum.

U. C. 554. *putet, nunc occasionem esse, priusquam quidquam de-*
 A. C. 198. *cernamus. Ubi semel decretum erit, omnibus id, etiam*
quibus ante displicuerit, pro bono atque utili fœdere
defendendum. Hæc adhortatio prætoris non modo
quemquam unum elicit ad suadendum; sed ne fre-
mitum quidem aut murmur concionis tantæ, ex tot
populis congregatæ, movit.

Pergit
 Aristænus.

XXI. Tum Aristænus prætor rursus: *Non magis*
consilium vobis, principes Achæorum, deest, quam lin-
gua: sed suo quisque periculo in commune consultum
non vult. Forsitan ego quoque tacerem, si privatus
essem: nunc prætor video, aut non dandum concilium
legatis fuisse, aut inde sine responso eos dimittendos non
esse. Respondere autem, nisi ex vestro decreto, qui
possum? Et quando nemo vestrûm, qui in hoc concilium
advocati estis, pro sententia quidquam dicere vult, aut
audet; orationes legatorum hesterno die dictas, pro
sententiis percenseamus; perinde ac non postulaverint,
quæ e re sua essent, sed suaserint, quæ nobis censerent
utilia esse. Romani Rhodique et Attalus societatem
amicitiæque nostram petunt: et in bello, quod adver-
sus Philippum gerunt, se a nobis adjuvari æquum cen-
sent. Philippus societatis secum admonet et jurisju-
randi: et modo postulat, ut secum stemus; modo, ne
intersimus armis, contentum ait se esse. Nulline venit
in mentem, cur, qui nondum socii sunt, plus petant,
quam socius? Non fit hoc neque modestia Philippi,
neque impudentia Romanorum. Achæi portus et dant
fiduciam postulantis, et demunt. Philippi præter
legatum videmus nihil. Romana classis ad Cenchreas
stat, urbium Eubææ spolia præ se ferens: consulem
legionesque ejus, exiguo maris spatio disjunctas, Pho-
cidem ac Locridem pervagantes videmus. Miramini,

cur diffidenter Cleomedon legatus Philippi, ut pro rege U. C. 554.
arma caperemus adversus Romanos, modo egerit: qui, A. C. 198.
si ex eodem fœdere ac jurcjurando, cujus nobis religio-
nem injiciebat, rogemus eum, ut nos Philippus et ab
Nabide ac Lacedæmoniis et ab Romanis defendat, non
modo præsidium, quo nos tueatur, sed ne quid respon-
deat quidem nobis, sit inventurus: non, Hercle, magis,
quam ipse Philippus priore anno, qui, pollicendo se ad-
versus Nabidem bellum gesturum, quum tentasset nos-
tram juventutem hinc in Eubæam extrahere; postquam
nos neque decernere id sibi præsidium, neque velle in-
ligari Romano bello vidit, oblitus societatis ejus, quam
nunc jactat, vastandos depopulandosque Nabidi ac La-
cedæmoniis reliquit. Ac mihi quidem minime conve-
niens inter se oratio Cleomedontis visa est. Elevabat
Romanum bellum, eventumque ejus eundem fore, qui
prioris belli, quod cum Philippo gesserint, dicebat. Cur
igitur nostrum ille auxilium absens petit potius, quam
præsens nos veteres socios simul ab Nabide ac Romanis
tueatur? Nos, dico? quid ita passus est Eretriam Ca-
rystumque capi? quid ita tot Thessaliæ urbes? quid
ita Locridem Phocidemque? quid ita nunc Elatiam
obpugnari patitur? cur excessit faucibus Epiri claus-
trisque illis inexpugnabilibus super Aoum amnem, aut
vi, aut metu, aut voluntate, relictoque, quem insidebat,
salto, penitus in regnum abiit? Si sua voluntate tot
socios reliquit hostibus diripiendos, quid recusare po-
test, quin et socii sibi consulant? si metu, nobis quoque
ignoscat timentibus: si victus armis cessit, Achæi arma
Romana sustinebimus, Cleomedon, quæ vos Macedones
non sustinuistis? An tibi potius credamus, Romanos
non majoribus copiis nec viribus nunc bellum gerere,
quam antea gesserint, potius quam res ipsas intueamur?

U. C. 554. *Ætolos tum classe adjuverunt : nec duce consulari, nec*
 A. C. 198. *exercitu bellum gesserunt : sociorum Philippi maritimæ*
urbes in terrore ac tumultu erant : mediterraneu adeo
tuta ab Romanis armis fuerunt, ut Philippus Ætolos,
nequidquam opem Romanorum inplorantes, depopula-
retur. Nunc autem defuncti bello Punico Romani,
quod per sexdecim annos velut intra viscera Italiæ tole-
raverunt, non præsidium Ætolis bellantibus miserunt,
sed ipsi duces belli arma terra marique simul Macedo-
niæ intulerunt. Tertius jam consul summa vi gerit
bellum. Sulpicius, in ipsa Macedonia congressus, fudit
fugavitque regem ; partem opulentissimam regni ejus
depopulatus : nunc Quinctius tenentem claustra Epiri,
natura loci, munimentis, exercituque fretum, castris
exiit : fugientem in Thessaliam persecutus, præsidia
regia sociasque ejus urbes prope in conspectu regis ip-
sius expugnavit. Ne sint vera, quæ Athenienses modo
legati de crudelitate, avaritia, libidine regis dixerunt :
nihil ad nos pertineant, quæ in terra Attica scelera in
superos inferosque Deos sunt admissa : multo minus,
quæ Ciani Abydenique, qui procul a nobis absunt, passi
sunt : nostrorum ipsi vulnerum, si vultis, obliviscimur ;
cædes direptionesque bonorum Messenæ in media Pelo-
ponneso factas ; et hospitem Cyparissæ Garitenem
contra jus omne ac fas inter epulas prope ipsas occisum :
et Aratum patrem filiumque Sicyonios, quum senem
infelicem parentem etiam adpellare solitus esset, inter-
fectos ; filii etiam uxorem libidinis causa in Macedo-
niam asportatam : cetera supra virginum matrona-
rumque oblivioni dentur : ne sint cum Philippo res,
cujus crudelitatis metu obmutuistis omnes : (nam quæ
alia tacendi advocatis in concilium causa est ?) cum
Antigono, mitissimo ac justissimo rege, et de nobis om-

*ribus optime merito, existimemus disceptationem esse : U. C. 554.
num id postularet facere nos, quod tum fieri non posset? A. C. 198.*

*Peninsula est Peloponnesus, angustis Isthmi faucibus
continenti adhærens, nulli apertior neque opportunior,
quam navali, bello: si centum tectæ naves, et quinquaginta
leviores apertæ, et triginta Issaici lembi maritimam oram
vastare, et expositas prope in ipsis litoribus urbes caperint
obpugnare, in mediterraneas scilicet nos urbes recipiemus?
tamquam non intestino et hærente in ipsis visceribus uramur
bello? Quum terra Nabis et Lacedæmonii, mari Romana
classis urgebunt; unde regiam societatem et præsidia
Macedonum implorem? an ipsi nostris armis ab hoste Romano
tutabimur urbes, quæ obpugnabuntur? egregie enim Dymas
priori bello sumus tutati. Satis exemplorum nobis alienæ
clades præbent: ne quæramus, quemadmodum ceteris exemplo
simus. Nolite, quia ultro Romani petunt amicitiam, id,
quod optandum vobis ac summa ope petendum erat, fastidire:
metu enim videlicet compulsi in aliena terra, quia sub
umbra auxilii vestri latere volunt, in societatem vestram
confugiunt, ut portibus vestris recipiantur, ut comitatibus
utantur. Mare in potestate habent; terras, quascumque
adventum, extemplo ditionis suæ faciunt. Quod rogant,
cogere possunt: quia pepercisse volunt, committere vos,
cur percatis, non patiuntur. Nam quod Cleomedon modo,
tamquam mediam et tutissimam vobis viam consilii, ut
quiesceretis abstineretisque armis, ostendebat; ea non
media, sed nulla via est. Etenim, præterquam quod aut
accipienda, aut adspicienda vobis Romana societas est,
quid aliud quam nusquam gratia stabili, velut qui eventum
expectaverimus, ut fortunæ adplicarem nostram consilia,
præda victoris erimus? Nolite, si, quod omnibus votis
petendum erat,*

U. C. 554. *ultro obfertur, fastidire. Non, quemadmodum hodie*
 A. C. 198. *utrumque vobis licet, sic semper liciturum est: nec sæpe,*
nec diu eadem occasio erit. Liberare vos a Philippo
jamdiu magis vultis, quam audetis. Sine vestro labore
et periculo qui vos in libertatem vindicarent, cum mag-
nis classibus exercitibusque mare trajecerunt. Hos si
socios adspernamini, vix sanæ mentis estis: sed, aut
socios, aut hostes habeatis, oportet.

Dissensio
 inter
 Achæos.

XXII. Secundum orationem prætoris murmur or-
 tum aliorum cum adsensu, aliorum inclementer ad-
 sentientes increpantium; et jam non singuli tantum,
 sed populi universi, inter se altercabantur: tum in-
 ter magistratus gentis (damiurgos vocant: decem
 numero creantur) certamen nihilo segnius, quam
 inter multitudinem, esse: quinque relatores se de
 societate Romana aiebant, suffragiumque duros:
 quinque lege cautum testabantur, ne quid, quod ad-
 versus Philippi societatem esset, aut referre magis-
 tratibus, aut decernere concilio jus esset. Hic quo-
 que dies jurgiis est consumtus. Supererat unus
 justii concilii dies: (tertio enim lex jubebat decretum
 fieri) in quem adeo exarsere studia, ut vix parentes
 ab liberis temperaverint. Rhisiasus (Pellenensis
 erat) filium daniurgum, nomine Memnonem, habe-
 bat, partis ejus, quæ decretum recitari, perrogari-
 que sententias prohibebat. Is, diu obtestatus filium,
 ut consulere Achæos communi saluti pateretur, neu
 pertinacia sua gentem universam perditum iret, post-
 quam parum proficiebant preces, juratus se eum sua
 manu interemturum, nec pro filio, sed pro hoste,
 habiturum, minis pervicit, ut postero die conjunge-
 ret iis se, qui referebant: qui quum plures facti re-
 ferrent, omnibus fere populis haud dubie adproban-

tibus relationem, ac præ se ferentibus, quid decreturi essent; Dymæi ac Megalopolitani, et quidam Argivorum, priusquam decretum fieret, consurrexerunt, ac reliquerunt concilium, neque mirante ullo, neque inprobante. Nam Megalopolitanos, avorum memoria pulsos ab Lacedæmoniis, restituerat in patriam Antigonus: et Dymæis, captis nuper direptisque ab exercitu Romano, quum redimi eos, ubicumque servirent, Philippus jussisset, non libertatem modo, sed etiam patriam, reddiderat. Jam Argivi, præterquam quod Macedonum reges ab se oriundos credunt, privatis etiam hospitiiis familiarique amicitia plerique inligati Philippo erant. Ob hæc concilio, quod inclinaverat ad Romanam societatem jubendam, excesserunt: veniaque iis hujus secessionis fuit, et magnis et recentibus obligatis beneficiis.

XXIII. Ceteri populi Achæorum, quum sententias perrogarentur, societatem cum Attalo ac Rhodiis præsentis decreto confirmarunt: cum Romanis, quia injussu populi non poterat rata esse, in id tempus, quo Romam mitti legati possent, dilata est: in præsentia tres legatos ad L. Quinctium mitti placuit, et exercitum omnem Achæorum ad Corinthum ad moveri; captis Cenchræis, jam urbem ipsam Quinctio obpugnante. Et hi quidem e regione portæ, quæ fert Sicyonem, posuerunt castra. Romani ad Cenchræas versam partem urbis, Attalus, traducto per Isthmum exercitu, ab Lechæo, alterius maris portu, obpugnabant; primo segnius, sperantes seditionem intus fore inter oppidanos ac regium præsidium: postquam mox animo omnes, et Macedones tamquam communitatem patriam tuebantur, et Corinthii ducem præsidii Androsthenum, haud secus

U. C. 554.
A. C. 198

Pacta inter
Achæos et
Romanos
societas.

Corinthus
obpugna-
tur.

U. C. 554. quam civem et suffragio creatum suo, imperio justo
 A. C. 198. patiebantur; omnis inde spes pugnantis in vi, et
 armis, et operibus erat: undique aggeres haud facili
 aditu ad mœnia admovebantur. Aries ex ea parte,
 quam Romani obpugnabant, aliquantum muri diru-
 erat: in quem locum, quia nudatus munimento erat,
 protegendum armis quum Macedones concurrissent,
 atrox prælium inter eos ac Romanos ortum est. Ac
 primo multitudine facile expellebantur Romani: ad-
 sumtis deinde Achæorum Attalique auxiliis, æqua-
 bant certamen: nec dubium erat, quin Macedonas
 Græcosque facile loco pulsuri fuerint. Transfuga-
 rum Italicorum magna multitudo erat; pars ex
 Hannibalis exercitu metu pœnæ a Romanis Philip-
 pum secuti, pars navales socii, relictis nuper classi-
 bus, ad spem honoratioris militiæ transgressi; hos
 desperata salus, si Romani vicissent, ad rabiem ma-
 gis, quam audaciam, accendebat. Promontorium est
 adversus Sicyonem, Junonis quam vocant Acræam,
 in altum excurrentis; trajectus inde Corinthum, sep-
 tem millia ferme passuum: eo Philocles, regius et
 ipse præfectus, mille et quingentos milites per Bœ-
 otiam duxit: præsto fuere ab Corintho lembi, qui
 præsidium id acceptum Lechæum trajicerent. Auc-
 tor erat Attalus, incensis operibus, omittendæ ex-
 templo obpugnationis. Pertinacius Quinctius in
 incepto perstabat: is quoque ut pro omnibus portis
 disposita vidit præsidia regia, nec facile erumpen-
 tium inpetus sustineri posse, in Attali sententiam
 concessit: ita irritum incepto, dimissis Achæis, redi-
 tum ad naves est. Attalus Piræcum, Romani Cor-
 cyram petierunt.

Relicta
 Corinthi
 obpugna-
 tio.

XXIV. Dum hæc ab navali exercitu geruntur,

consul, in Phocide ad Elatiam castris positus, primo conloquiis rem per principes Elatiensium tentavit: postquam, nihil esse in manu sua, et plures validioresque esse regios, quam oppidanos, respondebatur, tum simul ab omni parte operibus armisque urbem est adgressus. Ariete admoto, quantum inter turres muri erat prorutum, quum ingenti fragore ac strepitu nudasset urbem, simul et cohors Romana per apertum recenti strage iter invasit; et ex omnibus oppidi partibus, relictis suis quisque stationibus, in eum, qui premebatur inpetu hostium, locum concurrerunt. Eodem tempore Romani et ruinas muri supervadebant, et scalas ad stantia mœnia inferebant: et, dum in unam partem oculos animosque hostium certamen averterat, pluribus locis scalis capitur murus, armatique in urbem transcenderunt: quo tumultu audito, territi hostes, relicto, quem conferti tuebantur, loco, in arcem omnes metu, inermi quoque insequente turba, confugerunt. Ita urbe potitur consul: qua direpta, missis in arcem, qui vitam regiis, si abire vellent inermes, libertatem Elatiensibus pollicerentur, fideque in hæc data, post paucos dies arcem recepit.

U. C. 554.

A. C. 198.

Elatiam capit consul.

XXV. Ceterum adventu in Achaiam Philocli regii præfecti non Corinthus tantum liberata obsidione, sed Argivorum quoque civitas per quosdam principes Philocli prodita est, tentatis prius animis plebis. Mos erat, comitiorum die primo velut omnis causa prætores pronunciare Jovem, Apollinemque, et Herculem: additura legi erat, ut iis Philip-
Philocli Argos proditus.

Romanis societatem quia præco non adjecit, fremitus primo multitudinis ortus: deinde clamor subji-

U. C. 551. cientium Philippi nomen, jubentiumque legitimum
 A. C. 198. honorem usurpare; donec cum ingenti adsensu no-
 men recitatum est. Hujus fiducia favoris Philocles
 arcessitus nocte occupat collem imminentem urbi,
 (Larissam eam arcem vocant) positoque ibi præsi-
 dio, quum lucis principio signis infestis ad subjek-
 tum arcis forum vaderet, instructa acies ex adverso
 obcurrit. Præsidium erat Achæorum nuper inposi-
 tum, quingenti fere juvenes delecti omnium civita-
 tium. Ænesidemus Dymæus præerat. Adhortator
 a præfecto regio missus, qui excedere urbe juberet,
 (neque enim pares eos oppidanis solis, qui idem
 quod Macedones sentirent, nedum adjunctis Mace-
 donibus, esse, quos ne Romani quidem ad Corin-
 thum sustinuissent) primo nihil, nec ducem, nec
 ipsos movit: post paullo, ut Argivos quoque arma-
 tos ex parte altera venientes magno agmine viderunt,
 certam perniciem cernentes, omnem tamen
 casum, si pertinacior dux fuisset, videbantur subituri.
 Ænesidemus, ne flos Achæorum juventutis
 simul cum urbe amitteretur, pactus cum Philocle,
 ut abire illis liceret, ipse, quo loco steterat armatus,
 cum paucis clientibus non excessit. Missus a Phi-
 locle, qui quæreret, quid sibi vellet? nihil fatus,
 tantummodo, quum projecto præ se clipeo staret,
in præsidio credite urbis moriturum se armatum, re-
 spondit: tum jassu præfecti a Thracibus conjecta
 tela, interfectique omnes. Et post pactam inter
 Achæos et Romanos societatem duæ nobilissimæ
 civitates, Argi et Corinthus, in potestate regis erant.
 Hæc ab Romanis ea ætate in Græcia terra marique
 gesta.

Ælio consule gestum : quum duos exercitus in provin- U. C. 554.
 vincia habuisset, unum retentum, quem dimitti oport- A. C. 198.
 tebat, cui L. Cornelius proconsul præfuerat, (ipse
 ei C. Helvium prætorem præfecit) alterum, quem in
 provinciam adduxit; totum prope annum Cremo-
 nensibus Placentinisque cogendis redire in colonias,
 unde belli casibus dissipati erant, consumsit. Quem-
 admodum Gallia præter spem quæta eo anno fuit,
 ita circa urbem servilis prope tumultus excitatus est. Servilis
tumultus.
 Obsides Karthaginensium Setiæ custodiebantur :
 cum iis, ut principum liberis, magna vis servorum
 erat : augebant eorum numerum, ut ab recenti
 Africo bello, et ab ipsis Setinis captiva aliquot na-
 tionis ejus ex præda einta mancipia. Quum conju-
 rationem fecissent, missis ex eo numero, qui in Se-
 tino agro, deinde circa Norbam et Circeios, servitia
 sollicitarent; satis jam omnibus præparatis, ludis,
 qui Setiæ prope diem futuri erant, spectaculo inten-
 tum populum adgredi statuerant : Setia per cædem
 et-repentinum tumultum capta, Norbam et Circeios
 occupare. Hujus rei tam fædæ indicium Romam
 ad L. Cornelium Merulam prætorem urbis delatum
 est. Servi duo ante lucem ad eum venerunt, atque
 ordine omnia, quæ acta futuraque erant, exposue-
 runt. Quibus domi custodiri jussis, prætor. senatu
 vocato edoctoque, quæ indices adferrent, proficisci ad
 eam conjurationem quærendam atque obprimendam
 jussus, cum quinque legatis profectus, obvios in
 agris sacramento rogatos arma capere et sequi co-
 gebat. Hoc tumultuario delectu duobus millibus
 ferme hominum armatis, Setiam, omnibus, quo per- Obpressus.
 geret, ignaris, venit : ibi raptim principibus conjura-
 tionis comprehensis, fuga servorum ex oppido facta

U. C. 554. est: dimissi deinde per agros, qui vestigarent. Egre-
 A. C. 198. gia duorum opera servorum indicum et unius liberi
 fuit. Ei centum millia gravis æris dari Patres jus-
 serunt: servis vicena quina millia æris, et liberta-
 tem: pretium eorum ex ærario solutum est dominis.
 Haud ita multo post, ex ejusdem conjurationis reli-
 quiis, nunciatum est, servitia Præneste occupatura.
 Eo L. Cornelius prætor profectus, de quingentis
 fere hominibus, qui in ea noxa erant, supplicium
 sumsit: in timore civitas fuit, obsides captivosque
 Pœnorum ea moliri. Itaque et Romæ vigiliæ per
 vicos servatæ; jussique circumire eas minores ma-
 gistratus: et triumviri carceris lautumiarnm inten-
 tiorem custodiam habere jussi: et circa nomen La-
 tinum a prætore literæ missæ, ut et obsides in pri-
 vato servarentur, neque in publicum prodeundi fa-
 cultas daretur; et captivi ne minus decem pondo
 compedibus vincti in nulla alia, quam in carceris
 publici, custodia essent.

XXVII. Eodem anno legati ab rege Attalo coro-
 nam auream ducentûm quadraginta sex pondo in
 Capitolio posuerunt, gratiasque senatui egerunt,
 quod Antiochus, legatorum Romanorum auctoritate
 motus, finibus Attali exercitum deduxisset. Eadem
 æstate equites ducenti, et elephantum decem, et tritici
 modiûm ducenta millia, ab rege Masinissa ad exer-
 citum, qui in Græcia erat, pervenerunt. Item ex
 Sicilia Sardiniaque magni commeatus et vestimenta
 exercitui missa. Siciliam M. Marcellus, Sardiniam
 M. Porcius Cato obtinebat; sanctus et innocens,
 asperior tamen in fœnore coërcendo habitus. Fu-
 gatique ex insula fœneratores, et sumtus, quos in
 cultum prætorum socii facere soliti erant, circum-

cisi, aut sublati. Sex. Ælius consul ex Gallia comi- U. C. 554.
 tiorum caussa Romam quum redisset, creavit con- A. C. 198.
 sules C. Cornelium Cethegum et Q. Minucium Ru-
 fum. Biduo post prætorum comitia habita. Sex præ- Sex præ-
 tores illo anno primum creati, crescentibus jam pro- tores.
 vinciiis, et latius patescente imperio: creati autem hi,
 L. Manlius Vulso, C. Sempronius Tuditanus, M. Ser-
 gius Silus, M. Helvius, M. Minucius Rufus, L. Atilius.
 Sempronius et Helvius ex iis ædiles plebis erant: cu-
 rules ædiles Q. Minucius Thermus et Ti. Sempronius
 Longus. Ludi Romani eo anno quater instaurati.

XXVIII. C. Cornelio et Q. Minucio consulibus, U. C. 555.
 omnium primum de provinciis consulum prætorum- A. C. 197.
 que actum. Prius de prætoribus transacta res, quæ
 transigi sorte poterat: urbana Sergio, peregrina ju-
 risdictio Minucio obtigit. Sardiniam Atilius, Sici-
 liam Manlius, Hispaniam Sempronius citeriorem,
 Helvius ulteriorem est sortitus. Consulibus Italiam
 Macedoniamque sortiri parantibus, L. Oppius et
 Q. Fulvius tribuni plebis inpedimento erant, quod
*longinqua provincia Macedonia esset: neque ulla alia
 res majus bello inpedimentum ad eam diem fuisset,
 quam quod, vixdum inchoatis rebus, in ipso conatu ge-
 rendi belli prior consul revocaretur. Quartum jam
 annum esse ab decreto Macedonico bello. Quærendo
 regem et exercitum ejus Sulpicium majorem partem anni
 absumsisse. Villium, congregientem cum hoste, re infec-
 ta revocatum. Quinctium, rebus divinis Romæ majorem
 partem anni retentum, ita gessisse tamen res, ut, si aut
 maturius in provinciam venisset, aut hiems magis sera
 fuisset, potuerit debellare. Nunc prope in hiberna pro-
 fectum, ita comparare dici bellum, ut, nisi successor
 inpediat, perfecturus æstate proxima videatur.* His

U. C. 555. orationibus pervicerunt, ut consules in senatus auctoritate fore dicerent se, si idem tribuni facerent. Permittentibus utrisque liberam consultationem, Patres consulibus ambobus Italianam provinciam decreverunt. T. Quinctio prorogarunt imperium, donec successor ei venisset. Consulibus binæ legiones decretæ, et ut bellum cum Gallis Cisalpinis, qui defecissent a populo Romano, gererent. Quinctio in Macedoniam supplementum decretum, peditum quinque millia et trecenti equites, et sociorum navalium tria millia. Præesse idem, qui præerat, classi L. Quinctius Flaminius jussus. Prætoribus in Hispanias octona millia peditum sociùm ac Latini nominis data, et quadringenti equites, ut dimitterent veterem ex Hispaniis militem: et terminare jussi, qua ulterior citeriorve provincia servaretur. Macedoniæ legatos P. Sulpicium et P. Villium, qui consules in ea provincia fuerant, adjecerunt.

XXIX. Priusquam consules prætoresque in provincias proficiscerentur, prodigia procurari placuit: quod ædes Vulcani Summanique Romæ, et quod Fregellis murus et porta de cælo tacta erant: et Frusinone inter noctem lux orta: et Asculo agnus biceps cum quinque pedibus natus: et Formiis duo lupi, oppidum ingressi, obvios aliquot laniaverant: Romæ non in urbem solum, sed in Capitolium penetraverat lupus. C. Acilius tribunus plebis tulit, ut quinque coloniæ in oram maritimam deducerentur: duæ ad ostia fluminum Vulturini Liternique: una Puteolos: una ad castrum Salerni. His Buxentum adjectum: trecenæ familiæ in singulas colonias jubebantur mitti: triumviri deducendis iis, qui per triennium magistratum haberent, creati, M. Servi-

Quinctio
proroga-
tum im-
perium.

bus Geminus, Q. Minucius Thermus, Ti. Semp-
 rius Longus. Delectu rebusque aliis divinis huma-
 nisque, quæ per ipsos agenda erant, perfectis, con-
 sules ambo in Galliam profecti. Cornelius recta ad
 Insubres via, qui tum in armis erant, Cenomanis
 adsumtis, Q. Minucius in leva Italiæ ad inferam
 mare flexit iter, Genuamque exercitu abducto, ab
 Liguribus orsus est bellum. Oppida Clastidium et
 Litubium, utraque Ligurum, et duæ gentis ejusdem
 civitates, Celetates Cerdiciatesque, sese dediderunt.
 Et jam omnia cis Padum, præter Gallorum Boios,
 Ilvates Ligurum, sub ditione erant: quindecim op-
 pida, hominum viginti millia esse dicebantur, quæ se
 dediderant. Inde in agrum Boiorum legiones duxit.

U. C. 555.
 A. C. 197.
 Consulum
 res gestæ
 in Gallia.

XXX. Boiorum exercitus haud ita multo ante
 trajecerat Padum, junxeratque se Insubribus et
 Cenomanis: quod ita acceperant, conjunctis legioni-
 bus consules rem gesturos, ut et ipsi conlatas in
 unum vires firmarent. Postquam fama accidit, al-
 terum consulem Boiorum urere agros, seditio ex-
 templo orta est. Postulare Boii, ut laborantibus
 opem universi ferrent. Insubres negare, se sua de-
 serturos. Ita divisæ copiæ, Boiisque in agrum
 suum tutandum profectis, Insubres cum Cenomanis
 super amnis Mincii ripam consederunt. Infra eum
 locum quinque millia passuum, et consul Cornelius
 eidem flumini castra adplicuit: inde mittendo in
 vicos Cenomanorum Brixiamque, quod caput gentis
 erat, ut satis comperit, non ex auctoritate seniorum
 juventutem in armis esse, nec publico consilio Insu-
 brium defectioni Cenomanos se adjunxisse; excitis
 ad se principibus, id agere ac moliri cœpit, ut de-
 sciscerent ab Insubribus Cenomani, et, ignis subla-

U. C. 555. tis, aut domos redirent, aut ad Romanos transirent.
 A. C. 197. Et id quidem inpetrari nequii: in id data fides consuli est, ut in acie aut quiescerent, aut, si qua etiam occasio fuisset, adjuvarent Romanos. Hæc ita convenisse Insubres ignorabant: suberat tamen quædam suspicio animis, labare fidem sociorum. Itaque, quum in aciem eduxissent, neutrum iis cornu committere ausi, ne, si dolo cessissent, rem totam inclinarent, post signa in subsidiis eos locaverunt. Consul principio pugnae vovit ædem Sospitæ Junoni, si eo die hostes fusi fugatique essent. A militibus clamor sublatus, compotem voti consulem se facturos, et inpetus in hostes est factus. Non tulerunt Insubres primum concursum: quidam et a Cenomanis, terga repente in ipso certamine adgressis, tumultum ancipitem injectum auctores sunt, cæsaque in medio quinque et triginta millia hostium, quinque millia et septingentos vivos captos; in iis Hamilcarem Pœnorum imperatorem, qui belli causa fuisset: signa militaria centum triginta, et carpenta supra ducenta. Oppida, quæ defectionem secuta erant, dediderunt se Romanis.

XXXI. Minucius consul primo effusis populacionibus peragraverat fines Boiorum: deinde, ut, relictis Insubribus, ad sua tuenda receperant sese, castris se tenuit, acie dimicandum cum hoste ratus. Nec Boii detractassent pugnam, ni fama victos Insubres adlata animos fregisset. Itaque, relicto duce castrisque, dissipati per vicos, sua ut quisque defenderent, rationem gerendi belli hosti mutarunt: ommissa enim spe per unam dimicationem rei decernendæ, rursus populari agros, et urere tecta, vicosque expugnare cœpit. Per eosdem dies Clastidium in-

censum: inde in Ligustinos Ilvates, qui soli non U. C. 555.
 parebant, legiones ductæ. Ea quoque gens, ut In- A. C. 197.
 subres acie victos, Boios, ita ut tentare spem certa-
 minis metuerent, territos audivit, in ditionem venit.
 Literæ consulum a Gallia de gestis prospere sub
 idem tempus Romam adlatæ. M. Sergius prætor
 urbis in senatu eas, deinde ex auctoritate Patrum
 ad populum recitavit: supplicatio in quadriduum
 decreta. Hiems jam eo tempore erat.

XXXII. Quum T. Quinctius, capta Elatia, in
 Phocide ac Locride hiberna disposita haberet,
 Opunte seditio orta est. Factio una Ætolos, qui
 propiores erant; altera Romanos arcessebat. Ætoli
 priores venerunt: sed opulentior factio, exclusis
 Ætolis, missoque ad imperatorem Romanum nun-
 cio, usque in adventum ejus tenuit urbem. Arcem
 regium tenebat præsidium: neque, ut descenderent
 inde, aut Opuntiorum minis, aut auctoritate impe-
 rantis consulis Romani, perpelli potuerunt. Mora,
 cur non extemplo obpugnarentur, ea fuit, quod ca-
 duceator ab rege venerat, locum ac tempus petens
 conloquio. Id gravate concessum regi est: non
 quin cuperet Quinctius per se partim armis, partim
 conditionibus confectum videri bellum: necdum
 enim sciebat, utrum successor sibi alter ex novis
 consulibus mitteretur; an, quod, summa vi ut ten-
 derent, amicis et propinquis mandaverat, imperium
 prorogaretur: aptum autem fore conloquium crede-
 bat, ut sibi liberum esset, vel ad bellum manenti,
 vel ad pacem decedenti rem inclinare. In sinu Ma- Quinctii
 liaco prope Nicæam litus elegere: eo rex ab Deme- conloqui-
 triade cum quinque lembis et una nave rostrata ve- um cum
 nit. Erant cum eo principes Macedonum, et Achæo- Philippo.

U. C. 555. rum exsul vir insignis Cycliadas. Cum imperatore
 A. C. 197. Romano rex Amynder erat, et Dionysodorus At-
 tali legatus, et Agesimbrotus præfectus Rhodiæ
 classis, et Phæncas princeps Ætolorum, et Achæi
 duo, Aristænnus et Xenophon. Inter hos Romanus,
 ad extremum litus progressus, quum rex in proram
 navis in anchoris stantis processisset, *Commodius,*
inquit, si in terram egrediaris, et ex propinquo dicamus
in vicem, audiamusque. Quum rex facturum se id
 negaret; *Quem tandem,* inquit Quinctius, *times?* Ad
 hoc ille superbo et regio animo: *Neminem equidem*
timeo, præter Deos immortales: non omnium autem
credo fidei, quos circa te video, atque omnium minime
Ætolis. *Istud quidem,* ait Romanus, *par omnibus*
periculum est, qui cum hoste ad colloquium congre-
diuntur, ut nulla fides sit. *Non tamen,* inquit rex,
T. Quincti, par perfidiæ præmium est, si fraude aga-
tur, Philippus et Phæneas: neque enim æque difficul-
ter Ætoli prætorem alium, ac Macedones regem in
meum locum substituant. Secundum hæc silentium
 fuit.

XXXIII. Quum Romanus eum æquum censeret
 priorem dicere, qui petisset colloquium; rex, ejus
 esse priorem orationem, qui daret pacis leges, non
 qui acciperet; tum Romanus, *Simplicem suam ora-*
tionem esse: ea enim se dicturum, quæ ni fiant, nulla
sit pacis conditio. Deducenda ex omnibus Græciæ
civitatum regi præsidia esse: captivos et transfugas
sociis populi Romani reddendos: restituenda Romanis
ea Illyrici loca, quæ post pacem in Epiro factam occu-
passet. Ptolemao regi Ægypti reddendas urbes, quas
post Philopatoris Ptolemæi mortem occupasset. Suas
populique Romani conditiones has esse: ceterum et so-

Leges pa-
 cis Philip-
 pæ dictæ.

ciorum audiri postulata verum esse. Attali regis le- U. C. 555.
 gatus, Naves captivosque, quæ ad Chium navali prælio A. C. 197.
 capta essent, et Nicephorium, Venerisque templum,
 quæ spoliasset evastassetque, pro inconruptis restitui.
 Rhodii Peræam (regio est continentis adversus in-
 sulam, vetustæ eorum ditionis) repetebant, postula-
 bantque præsidia deduci ab Iasso, et Bargyliis, et Eu-
 romcusium urbe, et in Hellesponto Sesto atque Abydo,
 et Panopolim Byzantiis in antiqui formulam juris re-
 stitui, et liberari omnia Asiæ emporia portusque. Achæi
 Corinthum et Argos repetebant. Prætor Ætolorum
 Phæneas quum eadem fere, quæ Romani, ut Græcia
 decederetur, postulasset, redderenturque Ætolis ur-
 bes, quæ quondam juris ac ditionis eorum fuissent;
 excepit orationem ejus princeps Ætolorum Alexander, vir, ut inter Ætolos, faciundus. Alexandri Ætoli ora-
 tio in Phi-
 lippum. Jamdudum se
 reticere, ait, non quo quidquam agi putet eo colloquio,
 sed ne quem sociorum dicentem interpellet. Neque de
 pace cum fide Philippum agere, neque bella vera vir-
 tute umquam gessisse. In colloquiis insidiari et cap-
 ture: in bello non congregi æquo campo, neque conla-
 tis signis dimicare, sed refugientem incendere ac diri-
 pere urbes, et vincientium præmia victum corrumpere.
 At non sic antiquos Macedonum reges, sed acie bellare
 solitos, urbibus parcere, quantum possent, quo opulen-
 tius imperium haberent. Nam de quorum possessione
 dimicetur tollentem, nihil sibi præter bellum relinquere,
 quod consilium esse? Plures priore anno sociorum ur-
 bes in Thessalia evastasse Philippum, quam omnes, qui
 umquam hostes Thessaliæ fuerint: ipsis quoque Ætolis
 eum plura socium, quam hostem, ademisse. Lysima-
 chiam, pulso prætore et præsidio Ætolorum, occupasse
 eum. Chium item suæ ditionis urbem fuulitas ever-

U. C. 555. *tisse ac delesse. Eadem fraude habere eum Thebas*
 A. C. 197. *Phthias, Echinum, Larissam, et Pharsalum.*

Respon-
sum Phi-
lippi.

XXXIV. Motus oratione Alexandri Philippus
 navem, ut exaudiretur, propius terram adplicuit.
 Orsum eum dicere, in Ætolos maxime, violenter,
 Phæneas interfatus, *Non in verbis rem verti, ait:
 aut bello vincendum, aut melioribus parendum esse.*
Adparet id quidem, inquit Philippus, etiam cæco;
 jocatus in valetudinem oculorum Phæneæ: et erat
 dicacior natura, quam regem decet, et ne inter seria
 quidem risu satis temperans. Indignari inde cœpit,
 Ætolos, tamquam Romanos, decedi Græcia jubere:
*qui, quibus finibus Græcia sit, dicere non possint. Ip-
 sius enim Ætolie Agræos, Apodotosque, et Amphilo-
 chos, quæ permagna eorum pars sit, Græciam non esse.*
*An, quod a sociis eorum non abstinuerim, justam que-
 relam habent, quum ipsi pro lege hunc antiquitus mo-
 rem serrent, ut adversus socios ipsi suos, publica tan-
 tum auctoritate demta, juventutem suam militare si-
 nant, et contrariæ persæpe acies in utraque parte Æto-
 lica auxilia habeant? Neque ego Chium expugnari, sed
 Prusiam socium et amicum obpugnantem adjuvi: et
 Lysimachiam ab Thracibus vindicari: sed, quia me
 necessitas ad hoc bellum a custodia ejus avertit, Thra-
 ces habent. Et Ætolis hæc. Attalo autem Rhodiis-
 que nihil jure debeo: non enim a me, sed ab illis, prin-
 cipium belli ortum est. Romanorum autem honoris
 causa, Peræam Rhodiis, et naves Attalo cum captivis,
 qui comparebunt, restituiam. Nam quod ad Nicepho-
 rium Feucrisque templi restitutionem adinet; quid ea
 restitui postulantibus respondeam? nisi, quo uno modo
 luci silvæque cæsæ restitui possunt, curam inpensamque
 rationis me præstaturum: quoniam hæc inter se reges*

postulare et respondere placet. Extrema ejus oratio U. C. 555.
 adversus Achæos fuit: in qua, orsus ab Antigoni A. C. 197.
 primum, suis deinde erga eam gentem meritis, reci-
 tari decreta eorum jussit, omnes divinos humanos-
 que honores complexa: atque ad ea adjecit recens
 de exercitu, quo ab se descivissent: inveetusque
 graviter in perfidiam eorum, *Argos tamen se redditu-
 rum eis, dixit.* *De Corintho cum imperatore Romano
 deliberaturum esse; quasitumque simul ab eo, utrum
 iis tantum urbibus decedere se æquum censeat, quas a
 se ipso captas jure belli habeat, an iis etiam, quas a
 majoribus suis accepisset.*

XXXV. Parantibus Achæis Ætolisque ad ea re-
 spondere, quum prope occasum sol esset, dilato in
 posterum diem conloquio, Philippus in stationem,
 ex qua profectus erat, Romani sociique in castra
 redierunt. Quinctius postero die ad Nicæam (is Alter con-
 loquii dies.
 enim locus placuerat) ad constitutum tempus venit.
 Philippi nullus usquam nec nuncius ab eo per ali-
 quot horas veniebat: et jam desperantibus ventu-
 rum repente adparuerunt naves. At ipse quidem,
*quum tam gravia et indigna imperarentur, inopem con-
 siliū diem se consumsisse deliberando, aiebat.* Vulgo
 credebatur, de industria rem in serum tractam, ne
 tempus dari posset Achæis Ætolisque ad responden-
 dum: et eam opinionem ipse adfirmavit, petendo,
 ut, submotis aliis, ne tempus altercando tereretur,
 et aliquis finis rei inponi posset, cum ipso impera-
 tore Romano liceret sibi conloqui. Id primo non
 acceptum, ne excludi conloquio viderentur socii:
 deinde, quum haud absisteret petere, ex omnium
 consilio Romanus imperator cum Ap. Claudio tri-
 buno militum, ceteris submotis, ad extremum litus

U. C. 555. processit. Rex cum duobus, quos pridie adhibue-
 A. C. 197. rat, in terram est egressus. Ibi quum aliquamdiu secreto locuti essent, quæ acta ad suos Philippus retulerit, minus compertum est. Quinctius hæc retulit ad socios. *Romanis eum cedere tota Illyrici ora; perfugas remittere, ac si qui essent captivi. At-talo naves, et cum iis captos navales socios; Rhodiis regionem, quam Peræam vocant, reddere: Iasso et Bargyliis non cessurum. Ætolis Pharsalum Larissamque reddere, Thebas non reddere. Achaïs, non Argis modo, sed etiam Corintho cessurum. Nulli omnium placere, partium, quibus cessurus, aut non cessurus esset, destinatio: plus enim amitti in iis, quam adquiri: nec unquam, nisi tota deduxisset Græcia prasidia, causas certaminum deponere.*

XXXVI. Quum hæc toto ex concilio certatim omnes vociferarentur, ad Philippum quoque procul stantem vox est perlata: itaque a Quinctio petit, ut rem totam in posterum diem differret: profecto aut persuasurum se, aut persuaderi sibi passurum. Litus ad Thronium conloquio destinatur: eo mature conventum est. Ibi Philippus primo et Quinctium et omnes, qui aderant, rogare, ne spem pacis turbare vellent. Postremo petere tempus, quo legatos Romanam ad senatum mittere posset. *Aut his conditionibus se pacem impetraturum, aut, quascumque senatus dedisset, leges pacis accepturum.* Id ceteris haudquam placebat: nec enim aliud, quam moram et dilationem ad conligendas vires, quæri. Quinctius, *verum id futurum fuisse, dicere, si æstas et tempus rerum gerendarum esset: nunc, hieme instante, nihil amitti, dato spatio ad legatos mittendos. Nam neque sine auctoritate senatus quidquam eorum ratum fore,*

quæ cum rege ipsi pepigissent: et explorari (dum bello U. C. 555.
necessariam quietem ipsa hiems daret) A. C. 197. *senatus auctori-*
tatem posse. In hanc sententiam et ceteri sociorum
 principes concesserunt: induciisque datis in duos Induciæ in
 menses, et ipsos mittere singulos legatos ad edocen- duos men-
 dum senatum, ne fraude regis caperetur, placuit. ses.
 Additum induciarum pacto, ut regia præsidia Pho-
 cide ac Locride extemplo deducerentur. Et ipse
 Quinctius cum sociorum legatis Amyndrum Atha-
 manum regem, ut speciem legationi adjiceret; Q.
 Fabium, (uxoris Quinctii sororis filius erat) et Q.
 Fulvium, et Ap. Claudium misit.

XXXVII. Ut ventum Romam est, prius socio-
 rum legati, quam regis, auditi sunt: cetera eorum
 oratio conviciis regis consumpta est. Moverunt eo
 maxime senatum, demonstrando maris terrarumque
 regionis ejus situm: ut omnibus adpareret, si Deme-
 triadem in Thessalia, Chalcidem in Eubœa, Corin-
 thum in Achaia rex teneret, non posse liberam Græ-
 ciam esse: et ipsum Philippum, non contumeliosius,
 quam verius, compedes eas Græciæ adpellare. Le- Legati regii
 gati deinde regis intromissi: quibus, longiorem ex- a senatu re-
 orsis orationem, brevis interrogatio, cessurusne iis infecta di-
 missi.
 tribus urbibus esset, sermonem incidit, quum man-
 dati sibi de his nominatim negarent quidquam: sic
 infecta pace, regii dimissi. Quinctio liberum arbi-
 trium pacis ac belli permissum. Quod ut satis ad-
 paruit, non tædere belli senatum, et ipse, victoriæ,
 quam pacis, avidior, neque conloquium postea Phi-
 lippo dedit, neque legationem aliam, quam quæ om-
 ni Græcia decedi nunciaret, admissurum dixit.

XXXVIII. Philippus, quum acie decernendum Philippifec-
 videret, et undique ad se contrahendas vires, maxime usus cum
 Nabide.

U. C. 555. de Achaïæ urbibus, regionis ab se diversæ, et magis
 A. C. 197. tamen de Argis, quam de Corintho, sollicitus, opti-
 mum ratus Nabidi eam Lacedæmoniorum tyranno
 velut fiduciarium dare, ut victori sibi restitueret; si
 quid adversi accidisset, ipse haberet; Philocli, qui
 Corintho Argisque præerat, scribit, ut tyrannum
 ipse conveniret. Philocles, præterquam quod jam
 veniebat cum munere, adjicit ad pignus futuræ regi
 cum tyranno amicitiaë, filias suas regem Nabidis
 filiis matrimonio conjungere velle. Tyrannus primo
 negare, aliter urbem eam se accepturum, nisi Argi-
 vorum ipsorum decreto accessit ad auxilium urbis
 esset: deinde, ut frequenti concione non adsperna-
 tos modo, sed abominatos etiam nomen tyranni au-
 divit, causam se spoliandi eos naetum ratus, tradere,
 ubi vellet, urbem, Philoclem jussit. Nocte, ignaris
 omnibus, acceptus in urbem est tyrannus: prima
 luce occupat superiora omnia loca: portæque clau-
 sæ. Paucis principum tumultum inter primum elap-
 sis, eorum absentium direptæ fortunæ: præsentibus
 aurum atque argentum ablatum: pecuniæ imperatæ
 ingentes: qui non cunctanter contulere, sine contu-
 melia et laceratione corporum sunt dimissi: quos
 occulere aut retrahere aliquid suspicio fuit, in servi-
 lem modum lacerati atque extorti. Concione inde
 advocata, rogationem promulgavit; unam de tabu-
 lis novis, alteram de agro viritim dividendo; duas
 faces novantibus res ad plebem in optimates accen-
 dendam.

Argi Na-
 bidi tra-
 duntur.

Nabidis
 avaritia et
 crudelitas.

XXXIX. Postquam in potestate Argivorum civi-
 tas erat, nihil ejus memor tyrannus, a quo eam civi-
 tatem, et quam in conditionem accepisset, legatos
 Elatiam ad Quinctium, et Attalum Æginæ hiber-

mantem mittit, qui nunciarent, *Argos in potestate sua* U. C. 555.
esse: eo si veniret Quinctius ad colloquium, non diffi- A. C. 197.
dere, sibi omnia cum eo conventura. Quinctius, ut eo
 quoque præsidio Philippum nudaret, quum adnuisset
 se venturum, mittit ad Attalum, ut ab Ægina Sicyo-
 nem sibi obcurreret, ipse ab Anticyra decem quin-
 queremibus, quas iis forte ipsis diebus L. Quinctius
 frater ejus adduxerat ex hibernis Corcyræ, Sicyonem
 transmisit. Jam ibi Attalus erat; qui, quum tyran-
 no ad Romanum imperatorem, non Romano ad ty-
 rannum, eundem diceret, in sententiam suam Quinc-
 tium traduxit, ne in urbem ipsam Argos iret. Haud Nabidis
 præcul urbe Mycenica vocatur: in eo loco ut con- cum
 grederentur, convenit. Quinctius cum fratre et tri- Quinctio
 bunis militum paucis, Attalus cum regio comitatu, conloqui-
um.
 Nicostratus Achæorum prætor cum auxiliariis pau-
 cis venit: tyrannum ibi cum omnibus copiis obpe-
 rientem invenerunt: progressus armatus cum satel-
 litibus armatis est in medium fere interjacentis
 campi: inermis Quinctius cum fratre et duobus tri-
 bunis militum; inermi item regi prætor Achæorum
 et unus ex purpuratis latus cingebant. Initium
 sermonis ab excusatione tyranni ortum, *quod arma-*
tus ipse armatisque septus, quum inermes Romanum
imperatorem regemque cerneret, in colloquium venis-
set: neque enim se illos timere, dixit, sed exsules Argi-
vorum. Inde, ubi de conditionibus amicitiae cœp-
 tum agi est, Romanus duas postulare res: unam, ut
 bellum cum Achæis finiret: alteram, ut adversus
 Philippum mitteret secum auxilia. Ea se niissurum
 dixit: pro pace cum Achæis, induciæ impetratæ, do-
 nec bellum cum Philippo finiretur.

U. C. 555. XL. De Argis quoque disceptatio ab Attalo rege
 A. C. 197. est nata: quum fraude Philoclis proditam urbem vi
 ab eo teneri argueret; ille, ab ipsis Argivis, ut se
 defenderet, adcitum. Concionem Argivorum rex
 postulabat, ut id sciri posset. Nec tyrannus ab-
 nuere: sed, deductis ex urbe præsiidiis, liberam
 concionem, non inmixtis Lacedæmoniis, declaratu-
 ram, quid Argivi vellent, præberi debere dicebat
 rex. Tyrannus negavit deducturum. Hæc discep-
 tatio sine exitu fuit. De conloquio discessum, sex-
 centis Cretensibus ab tyranno datis Romano, indu-
 ciisque inter Nicostratum prætorem Achæorum et
 Lacedæmoniorum tyrannum in quatuor menses fac-
 tis. Inde Quinctius Corinthum est profectus: et ad
 portam cum Cretensium cohorte accessit, ut Philo-
 cli præfecto urbis adpareret, tyrannum a Philippo
 descisse. Philocles et ipse ad imperatorem Roma-
 num in conloquium venit: hortantique, ut exem-
 plo transiret, urbemque traderet, ita respondit, ut
 distulisse rem magis, quam negasse, videretur. A
 Corintho Quinctius Anticyram trajecit: inde fra-
 trem ad tentandam Acarnanum gentem misit. At-
 talus ab Argis Sicyonem est profectus. Ibi et civi-
 tas novis honoribus veteres regis honores auxit: et
 rex ad id, quod sacrum Apollinis agrum grandi
 quondam pecunia redemerat eis; tum quoque, ne
 sine aliqua munificentia præteriret civitatem sociam
 atque amicam, decem talenta argenti dono dedit,
 et decem millia medimnûm frumenti: atque ita
 Cenchreas ad naves rediit. Et Nabis, firmato præ-
 sidio Argis, Lacedæmonem regressus, quum ipse
 viros spoliasset, ad feminas spoliandas uxorem Ar-

gos remisit. Ea nunc singulas illustres, nunc si- U. C. 587.
 mul plures genere inter se junctas domum arcessen- A. C. 197.
 do, blandiendoque ac minando, non aurum modo Uxor Na-
 iis, sed postremo vestem quoque mundumque om- bidis Argi-
 nem muliebrem ademit. vas spoliat.

EPITOME LIBRI XXXIII.

T. QUINCTIUS FLAMININUS proconsul cum Philippo ad Cynoscephalas in Thessalia acie victo debellavit. L. Quinctius Flaminius, frater proconsulis, Acarnanes, Leucade urbe, quod caput est Acarnanum, expugnata, in deditionem accepit. C. Sempronius Tuditanus prætor a Celtiberis cum exercitu cæsus est. Attalus, a Thebis ob subitam valetudinem Pergamum translatus, decessit. Pax petenti Philippo, Græciæ libertas data est. L. Furius Purpureo et Claudius Marcellus consules Boios et Insubres Gallos subegerunt. Marcellus triumphavit. Hannibal, frustra in Africa bellum molitus, et ob hoc Romanis per epistolas adversæ factionis principum delatus, propter metum Romanorum, qui legatos ad Karthaginensium senatum de eo miserant, profugus ad Antiochum regem Syriæ se contulit, bellum contra Romanos parantem.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XXXIII.

HÆC per hiemem gesta. Initio autem veris U. C. 555.
Quinctius, Attalo Elatiam excito, Bœotorum A. C. 197.
gentem, incertis ad eam diem animis fluctuantem, Quinctius
ditionis suæ facere cupiens, profectus per Phocidem, in Bœotiam
quinque millia ab Thebis, quod caput est Bœotiæ, it.
posuit castra. Inde postero die cum unius signi
militibus, et Attalo, legationibusque, quæ frequen-
tes undique convenerant, pergit ire ad urbem, jussis
legionis hastatis (ea duo millia militum erant) sequi
se, mille passuum intervallo distantes. Ad medium
ferme viæ Bœotorum prætor Antiphilus obvius fuit:
cetera multitudo e muris adventum imperatoris Ro-
mani regisque prospeculabatur: rara arma paucique
milites circa eos adparebant: hastatos, sequentes
procul, amfractus viarum vallesque interjectæ occu-
lebant. Quum jam adpropinquaret urbi, velut ob-
viam egredientem turbam salutaret, tardius incede-
bat. Causa erat moræ, ut hastati consequerentur.
Oppidani, ante lictorem turba acta, insecutum con-
festim agmen armatorum non ante, quam ad hospiti-
um imperatoris ventum est, conspexere. Tum,

U. C. 555. velut prodita dolo Antiphili prætoris urbe captaque,
A. C. 197. obstupuerunt omnes. Et adparebat, nihil liberæ
consultationis concilio, quod in diem posterum in-
dictum erat Bœotis, relictum. Texerunt dolorem,
quem et nequidquam, et non sine periculo ostendis-
sent.

In concilio Bœoto-
rum Attalus verba
faciens
concidit.

II. In concilio Attalus primus verba fecit. Orsus a majorum suorum suisque, et communibus in omnem Græciam, et propriis in Bœotorum gentem, meritis, segnior jam et infirmior, quam ut contentionem dicendi sustineret, obmutuit et concidit. Et, dum regem auferunt perferuntque parte membrorum captum, paullisper concio intermissa est. Aristæus inde, Achæorum prætor, eo cum majore auctoritate auditus, quod non alia, quam quæ Achæis suaserat, Bœotis suadebat. Pauca ab ipso Quinctio adjecta, fidem magis Romanam, quam arma aut opes, extollente verbis. Rogatio inde, a Plataënsi Dicæarcho lata recitataque, de societate cum Romanis jungenda, nullo contra dicere audente, omnium Bœotiæ civitatum suffragiis accipitur jabeturque. Concilio dimisso, Quinctius tantum Thebis moratus, quantum Attali repens casus coëgit, postquam non vitæ præsens periculum vis morbi adtulisse, sed membrorum debilitatem visa est, relicto eo ad curationem necessariam corporis, Elatiam, unde profectus erat, redit; Bœotis quoque, sicut prius Achæis, ad societatem adseitis, et quando tuta ea pacataque ab tergo relinquebantur, omnibus jam cogitationibus in Philippum, et quod reliquum belli erat, conversis.

Societas
cum Ro-
manis de-
creta.

Philippi
adparatus.

III. Philippus quoque primo vere, postquam le-

gati ab Roma nihil pacati retulerant, delectum per omnia oppida regni habere instituit, in magna inopia juniorum: absunserant enim per multas jam ætates continua bella Mædonas: ipso quoque regnante, et navalibus bellis adversus Rhodios Attalumque, et terrestribus adversus Romanos ceciderat magnus numerus: ita et tirones ab sedecim annis milites scribebat, et emeritis quidam stipendiis, quibus modo quidquam reliqui roboris erat, ad signa revocabantur. Ita suppleto exercitu, secundum vernum æquinoctium omnes copias Diem contraxit; ibique stavis positis, exercendo quotidie milite, hostem obperiebatur. Et Quinctius per eosdem ferme dies, ab Elatia profectus, præter Thronium et Scarphæam ad Thermopylas pervenit. Ibi concilium Ætolorum, Heracleam indictum, tenuit, consultantium quantis auxiliis Romanum ad bellum sequerentur. Cognitis sociorum decretis, tertio die ab Heraclea Xynias progressus, in confinio Ænianum Thessalorumque positis castris, Ætolica auxilia obperiebatur. Nihil morati Ætoli sunt. Phænca duce, duo millia peditum cum equitibus quadringentis venerunt. Ne dubium esset, quid exspectasset, confestim Quinctius movit castra. Transgresso in Phthioticum agrum quingenti Gortynii Cretensium, duce Cydante, et trecenti Apolloniatae, haud dispari armatu, se conjungere: nec ita multo post Amynder cum Athamanum peditum ducentis et mille, Philippus, cognita profectioe ab Elatia Romanorum, ut cui de summa rerum adesset certamen, adhortandos milites rates, multa jam sæpe memorata de majorum virtutibus, simul de militari laude Mædonum, quum disseruisset, ad ea, quæ tum maxime

U. C. 555.
A. C. 197.

Quinctius
ad Philip-
pum con-
tendit.

U. C. 555. animos terrebant, quibusque erigi ad aliquam spem
A. C. 197. poterant, venit.

IV. Acceptæ ad Aoum flumen in angustiis cladi, territa Macedonum phalange, ad Atracem vi pulso Romanos obponebat: *et illic tamen, ubi insessas fauces Epiri non tenuissent, primam culpam fuisse eorum, qui negligenter custodias servassent: secundam, in ipso certamine levis armaturæ mercenariorumque militum. Macedonum vero phalangem et tunc stetisse, et loco*

Copiarum
utrimque
numerus.

æquo justaque pugna semper mansuram invictam. Decem et sex millia militum hæc fuere, robur omnivirium et regni. Ad hoc duo millia cætratorum, quos peltastas adpellant, Thracumque et Illyriorum (Trallis nomen est genti) par numerus bina millia erant, et mixti ex pluribus gentibus mercede conducti auxiliares mille ferme, et duo millia equitum. Cum iis copiis rex hostem oberiebatur. Romanis ferme par numerus erat; equitum copiis tantum, quod Ætoli accesserant, superabant.

V. Quinctius ad Thebas Phthioticas castra quum movisset, spem nactus per Timonem principem civitatis prodi urbem, cum paucis equitum levisque armaturæ ad muros successit. Ibi adeo frustrata spes est, ut non certamen modo cum erumpentibus, sed periculum quoque atrox subiret: ni castris exciti repente pedites equitesque in tempore subvenissent. Et postquam nihil conceptæ temere spei succedebat, urbis quidem amplius tentandæ in præsentia conatu absistit: ceterum satis gnarus, jam in Thessalia regem esse, nondum comperto, quam in regionem venisset, milites per agros dimissos vallum cædere et parare jubet. Vallo et Macedones et Græci usi sunt; sed usum nec ad commoditatem ferendi, nec ad ip-

Vallum
Macedo-
num.

suis munitionis firmamentum aptaverunt. Nam et majores et magis ramosas arbores cædebant, quam quas ferre cum armis miles posset; et quum castra his ante objectis sepsissent, facilis molitio eorum valli erat: nam et quia rari stipites magnarum arborum eminebant, multique et validi rami præbebant, quod recte manu caperetur, duo, aut summum tres juvenes connisi arborem unam evellebant: qua evulsa, portæ instar extemplo patebat, nec in promptu erat, quod obmolirentur. Romanus leves et bifurcos plerosque, et trium, aut, quum plurimum, quatuor ramorum vallos cædit, ut et suspensis ab tergo armis ferat plures simul apte miles; et ita densos obfigunt implicantque ramos, ut neque, quæ cujusque stipitis palma sit, pervideri possit; et adeo acuti, aliusque per alium inmissi radii locum ad inserendam manum non relinquunt, ut neque prehendi, quod trahatur, neque trahi, quum inter se innexi rami vinculum in vicem præbeant, possit; et si evulsus forte est unus, nec loci multum aperit, et alium reponere perfacile est.

U. C. 555.
A. C. 197.

Vallum Romanorum.

VI. Quinctius postero die, vallum secum ferente milite, ut paratus omni loco castris ponendis esset, progressus modicum iter, sex ferme millia a Pheris quum consedisset, speculatum, in qua parte Thessaliæ hostis esset, quidve pararet, misit. Circa Larissam erat rex, qui certior jam factus, Romanum ab Thebis Pheras movisse, defungi quamprimum et ipse certamine cupiens, ducere ad hostem pergit, et quatuor millia fere a Pheris posuit castra. Inde postero die quum expediti utrimque ad occupandos super urbem tumulos processissent, pari ferme intervallo ab jugo, quod capiendum erat, quum inter

Pheras uterque exercitus venit.

U. C. 535. se conspecti essent, constiterunt; nuncios in castra
 A. C. 197. remissos, qui, quid sibi, quum præter spem hostis
 obcurrisset, faciendum esset, consulerent, quieti ob-
 perientes. Et illo quidem die, nullo inito certami-
 ne, in castra revocati sunt. Postero die circa
 eosdem tumulos equestre prælium fuit: in quo non
 minimum Ætolorum opera regii fugati, atque in
 castra compulsi sunt. Magnum utrisque inpedi-
 mentum ad rem gerendam fuit ager consitus crebris
 arboribus, hortique, ut in suburbanis locis, et coar-
 tata itinera maceris, et quibusdam locis interclusa.
 Itaque pariter ducibus consilium fuit excedendi ea
 regione, et, velut ex prædicto, ambo Scotussam pe-
 tierunt; Philippus, spe frumentandi inde; Roma-
 nus, ut prægressus conrumperet hosti frumenta. Per
 diem totum, quia colles perpetuo jugo intererant,
 nullo conspecta inter se loco agmina ierunt. Ro-
 mani ad Eretriam Phthiotici agri, Philippus super
 amnem Onchestum posuit castra. Ne postero qui-
 dem die, quum Philippus ad Melambium, quod vo-
 cant Scotussæi agri, Quinctius circa Thetidium
 Pharsaliæ terræ posuisset castra, aut hi, aut illi, ubi
 hostis esset, satis compertum habuerunt. Tertio
 die primo nimbus effusus, dein caligo noctis simili-
 ma Romanos metu insidiarum tenuit.

VII. Philippus maturandi itineris causa, post
 imbrem nubibus in terram demissis nihil deterritus,
 signa ferri iussit: sed tam densa caligo obscæverat
 diem, ut neque signiferi viam, nec signa milites cer-
 nerent; agmen ad incertos clamores vagum velut
 errore nocturno turbaretur. Supergressi tumulos,
 qui Cynoscephalæ vocantur, relicta ibi statione fir-
 ma peditum equitumque, posuerunt castra. Roma-

Prælium
 ad Cynos-
 cephalas.

nus eisdem ad Thetidium castris quum se tenuisset, exploratum tamen, ubi hostis esset, decem turmas equitum et mille pedites misit; monitos, ut ab insidiis, quas dies obscurus apertis quoque locis tecturus esset, præcaverent. Ubi ventum ad insessos tumulos est, pavore mutuo injecto velut torpentes quieverunt: dein, nunciis retro in castra ad duces missis, ubi primus terror ab necopinato visu descendit, non diutius certamine abstinere. Principio a paucis procurrentibus lacessita pugna est, deinde subsidiis tuentium pulsos aucta: in qua quum haudquaquam pares Romani alios super alios nuncios ad ducem mitterent, premi sese; quingenti equites et duo millia peditum, maxime Ætolorum, cum duobus tribunis militum propere missa, rem inclinatum restituerunt: versaque fortuna, Macedones laborantes opem regis per nuncios implorabant. Sed, ut qui nihil minus illo die propter obfusam caliginem, quam prælium, expectasset, magna parte hominum omnis generis pabulatum missa, aliquamdiu inops consilii trepidavit: deinde, postquam nuncii instabant, et jam juga montium detexerat nebula, et in conspectu erant Macedones, in tumulum maxime editum inter alios compulsi, loco se magis, quam armis, tutantes; committendam rerum summam in discrimen utcumque ratus, ne partis indefensæ jactura fieret, Athenagoram ducem mercede militantium cum omnibus, præter Thracas, auxiliis, et equitatu Macedonum ac Thessalorum mittit: eorum adventu depulsi ab jugo Romani non ante restiterunt, quam in planiorem vallem perventum est. Ne effusa detruderentur fuga, plurimum in Ætolis equitibus præsidii fuit: is longe tum opti-

U. C. 555. mus eques in Græcia erat : pedite inter finitimos
 A. C. 197. vincebantur.

VIII. Lætior res, quam pro successu pugnae, nunciata, quum alii super alios recurrentes ex prælio clamarent, fugere pavidos Romanos, invitum et cunctabundum, et dicentem temere fieri, non locum sibi placere, non tempus, perpulit, ut educeret omnes copias in aciem. Idem et Romanus, magis necessitate, quam occasione pugnae inductus, fecit : dextrum cornu, elephantis ante signa instructis, in subsidiis reliquit : lævo cum omni levi armatura in hostem vadit ; simul admonens, *cum iisdem Macedonibus pugnatueros, quos ad Epiri fauces, montibus fluminibusque septos, victa naturali difficultate locorum, expulissent, acieque expugnassent : cum iis, quos P. Sulpicii prius ductu, obsidentes Eordææ aditum vicissent. Fama stetisse, non viribus, Macedoniae regnum. Eam quoque famam tandem evanuisse.* Jam perventum ad suos in ima valle stantes erat, qui adventu exercitus imperatorisque pugnam renovant, inpetuque facto rursus avertunt hostem. Philippus cum cætratis et cornu dextro peditum, robore Macedonici exercitus, quam phalangem vocabant, propero cursu ad hostem vadit. Nicanori, ex purpuratis uni, ut cum reliquis copiis confestim sequatur, imperat. Primo, ut in jugum evasit, et, jacentibus ibi paucis armis corporibusque hostium, prælium eo loco fuisse, pulsosque inde Romanos, et pugnari prope castra hostium vidit, ingenti gaudio est elatus : mox, refugientibus suis, et terrore verso, paullisper, incertus an in castra reciperet copias, trepidavit : deinde, ut adpropinquabat hostis, et, præterquam quod cædebantur aversi, nec, nisi defenderentur, servari

poterant, ne ipsi quidem in tuto jam receptus erat; U. C. 555.
 coactus, nondum adsecuta parte suorum, periculum A. C. 197.
 summæ rerum facere, equites levemque armaturam,
 qui in prælio fuerant, dextro in cornu locat. Cæ-
 tratos et Macedonum phalangem, hastis positis,
 quarum longitudo impedimento erat, gladiis rem ge-
 rere jubet: simul, ne facile perumperetur acies,
 dimidium de fronte demtum introrsus porrectis ordi-
 nibus duplicat, ut longa potius, quam lata, acies
 esset: simul et densari ordines jussit, ut vir viro,
 arma armis jungerentur.

IX. Quinctius, his, qui in prælio fuerant, inter
 signa et ordines acceptis, tuba dat signum. Raro
 alias tantus clamor dicitur in principio pugnæ exor-
 tus. nam forte utraque acies simul conclamavere:
 nec solum qui pugnabant, sed subsidia etiam, quique
 tum maxime in prælium veniebant. Dextro cornu
 rex, loci plurimum auxilio, ex jugis altioribus pug-
 nans, vincebat: sinistro, tum cum maxime adpro-
 pinquante phalangis parte, quæ novissimi agminis
 fuerat, sine ullo ordine trepidabatur. Media acies,
 quæ propior dextrum cornu erat, stabat spectaculo
 velut nihil ad se pertinentis pugnæ intenta: pha-
 lanx, quæ venerat, agmen magis, quam acies, apti-
 orque itineri, quam pugnæ, vixdum in jugum eva-
 serat. In hos incompositos Quinctius, quamquam
 pedem referentes in dextro cornu suos cernebat, ele-
 phantis prius in hostem actis, inpetum facit; ratus
 partem profligatam cetera tracturam. Non dubia res
 fuit: extemplo terga vertere Macedones, terrore primo
 bestiarum aversi: et ceteri quidem hos pulsos seque-
 bantur: unus e tribunis militum, extemplo capto
 consilio, cum viginti signorum militibus, relicta ea

Vincunt
 Romani.

U. C. 555. parte suorum, quæ haud dubie vincebat, brevi cir-
 A. C. 197. cuitu dextrum cornu hostium aversum invadit. Nul-
 lam aciem ab tergo adortus non turbasset; ceterum
 ad communem omnium in tali re trepidationem ac-
 cessit, quod phalanx Macedonum, gravis atque in-
 mobilis, nec circumagere se poterat, nec hoc, qui a
 fronte, paullo ante pedem referentes, tunc ultro ter-
 ritis instabant, patiebantur. Ad hoc, loco etiam
 premebantur, quia jugum, ex quo pugnaverant, dum
 per proclive pulsos insequuntur, tradiderant hosti
 ad terga sua circumducto. Paullisper in medio
 cæsi, deinde, omissis plerique armis, capessunt fu-
 gam.

X. Philippus cum paucis peditum equitumque
 primo tumultum altiore inter ceteros cepit, ut spe-
 cularetur, quæ in læva parte suorum fortuna esset:
 deinde, postquam fugam effusam animadvertit, et
 omnia circa juga signis atque armis fulgere, tum et
 ipse acie excessit. Quinctius, quum institisset ce-
 dentibus, repente quia erigentes hastas Macedonas
 conspexerat, quidnam pararent incertus, paullisper
 novitate rei constituit signa: deinde, ut accepit
 hunc morem esse Macedonum tradentium sese, par-
 cere victis in animum habebat. Ceterum ab ignaris
 militibus omissam ab hoste pugnam, et quid impe-
 rator vellet, impetus in eodem factus, et primis cæ-
 sis, ceteri in fugam dissipati sunt. Rex effuso cursu
 Tempe petit. Ibi ad Gonnos diem unum substitit
 ad excipiendos, si qui prælio superessent. Romani
 victores in castra hostium spe prædæ inruunt: ve-
 rum ea magna jam ex parte direpta ab Ætolis inve-
 niunt. Cæsa eo die octo hostium millia, quin-
 que capta. Ex victoribus septingenti ferme cecide-

runt. Si Valerio quis credat, omnium rerum inmo-
dice numerum augenti, quadraginta millia hostium
eo die sunt cæsa; capta, ubi modestius mendacium
est, quinque millia septingenti, signa militaria du-
centa unum et quadraginta. Claudius quoque duo
et triginta millia hostium cæsa scribit, capta quatuor
millia et trecentos. Nos non minimo potissimum
numero credidimus, sed Polybium secuti sumus, non
incertum auctorem quum omnium Romanarum re-
rum, tum præcipue in Græcia gestarum.

XI. Philippus, conlectis ex fuga, qui, variis casi-
bus pugnae dissipati, vestigia ejus secuti fuerant,
missisque Larissam ad commentarios regios combu-
rendos, ne in hostium venirent potestatem, in Ma-
cedoniam concessit. Quinctius, captivis prædaque
venumdatis, partim militi concessis, Larissam est
profectus, haudem satis gnarus, quam regionem
petisset rex, quidve pararet. Caduceator eo regius
venit, specie ut induciæ essent, donec tollerentur ad
sepulturam, qui in acie cecidissent; re vera ad pe-
tendam veniam legatis mittendis. Utrumque ab
Romano inpetratum. Adjecta et illa vox, *bono ani-
mo esse regem ut juberet*: quæ maxime Ætolos ob-
fendit, jam tumentes querentesque, *mutatum victoria*
imperatorem. Ante pugnam omnia magna parvaque
communicare cum sociis solitum: nunc omnium exper-
tes consiliorum esse: suo ipsum arbitrio cuncta agere:
cum Philippo jam gratiæ privatæ locum quærere; ut
dura atque aspera belli Ætoli exhausserint, pacis gra-
tiam et fructum Romanus in se vertat. Et haud dubie
decesserat iis aliquantum honoris: sed, cur negligere-
rentur, ignorabant. Donis regiis imminere crede-
bant invicti ab ea cupiditate animi virum: sed et

U. C. 555.
A. C. 197.

Caduceator
missus ab
Philippo.

Ætolorum
querelæ et
adrogantia.

U. C. 555. succensebat non inmerito Ætolis, ob insatiabilem
 A. C. 197. aviditatem prædæ, et adrogantiam eorum, victoriæ
 gloriam in se rapientium, quæ vanitate sua omnium
 aures offendeat: et Philippo sublato, fractis opi-
 bus Macedonici regni, Ætolos habendos Græciæ
 dominos cernebat. Ob eas causas multa sedulo,
 ut viliores levioresque apud omnes essent et vide-
 rentur, faciebat.

XII. Induciæ quindecim dierum datæ hosti erant,
 et cum ipso rege constitutum colloquium: cujus
 priusquam tempus veniret, in consilium advocavit
 socios. Retulit, quas leges pacis placeret dici. A-
 mynander Athamanum rex paucis sententiam absol-
 vit; *ita componendam pacem esse, ut Græcia, etiam*
absentibus Romanis, satis potens tuendæ simul pacis li-
bertatisque esset. Ætolorum asperior oratio fuit, qui
pauca præfati, recte atque ordine imperatorem Roma-
num facere, quod, quos belli socios habuisset, cum iis
communicaret pacis consilia: falli autem eum tota re,
si aut Romanis pacem, aut Græciæ libertatem satis fir-
mam se credat relicturum, nisi Philippo aut occiso, aut
regno pulso: quæ utraque proclivis esse, si fortuna uti
vellet. Ad hæc Quintius negare, Ætolos aut moris
Romanorum memores, aut sibi ipsis convenientem sen-
tentiam dixisse; et illos prioribus omnibus conciliis con-
loquiisque de conditionibus pacis semper, non ut ad in-
terneccionem bellaretur, diservisse, et Romanos, præter
vetustissimum morem victis parcendi, præcipuum cle-
mentiæ documentum dedisse, pace Hannibali et Kar-
thaginiensibus datâ. Omittere se Karthaginienses. Cum
Philippo ipso quoties ventum in colloquium? nec um-
quam, ut cederet regno, actum esse? An, quia victus
prælio foret, inexpiabile bellum factum? Cum armato

Consultatio
 de pace.

hoste infestis animis concurrere debere: adversus victos, U. C. 535. mitissimum quemque, animum maximum habere. Libertati Græciæ videri graves Macedonum reges: si regnum gensque tollatur, Thracas, Illyrios, Gallos deinde, gentes ferus et indomitas, in Macedoniam sc et in Græciam effusus. Ne, proxima quæque amoliendo, majoribus gravioribusque aditum ad se facerent. Interfanti deinde Phæneæ prætori Ætolorum, testificantique, si elapsus eo tempore Philippus foret, mox gravius eum rebellaturum, Desistite tumultuari, inquit, ubi consultandum est. Non iis conditionibus intelligabitur pax, ut movere bellum possit.

XIII. Hoc dimisso concilio, postero die rex ad fauces, quæ ferunt in Tempe, (is datus erat locus conloquio) venit: tertio die datur ei Romanorum ac sociorum frequens concilium. Ibi Philippus perquam prudenter, iis, sine quibus pax inpetrari non poterat, sua potius voluntate omissis, quam ut altercando extorquerentur, quæ priore conloquio aut imperata a Romanis, aut postulata ab sociis essent, omnia se concedere, de ceteris senatui permissurum, dixit. Quamquam vel inimicissimis omnibus præclusisse vocem videbatur, Phæneas tamen Ætolus, cunctis tacentibus, *Quid? nobis, inquit, Philippe, reddisne tandem Pharsalum, et Larissam Cremasten, et Echinum, et Thebas Phthias?* Quum Philippus nihil morari diceret, quo minus reciperent; disceptatio inter imperatorem Romanum et Ætolos orta est de Thebis: nam, eas populi Romani jure belli factas esse, Quinctius dicebat, quod, integris rebus, exercitu ab se admoto, vocati in amicitiani, quum potestas libera desciscendi ab rege esset, regiam societatem Romanæ præposuissent. Phæneas, et pro societate belli,

Conloquium ad Tempe cum Philippo.

Disceptatio inter Romanos et Ætolos.

U. C. 555. quæ ante bellum habuissent, restitui Ætolis æquum
 A. C. 197. censebat, et ita in fœdere primo cautum esse, ut
 belli præda, rerumque, quæ ferri agique possent, Ro-
 manos; ager urbesque captæ Ætolos sequerentur.
Vos, inquit, ipsi, Quinctius, societatis istius leges rupis-
tis, quo tempore, relictis nobis, cum Philippo pacem fe-
cistis: quæ si maneret, captarum tamen urbium illa lex
foret. Thessaliæ civitates sua voluntate in ditionem nos-
tram venerunt. Hæc, cum omnium sociorum adsensu
 dicta, Ætolis non in præsentia modo gravia auditu,
 sed mox belli etiam causæ, magnarumque ex eo
 cladum, iis fuerunt. Cum Philippo ita convenit,
 ut Demetrium filium et quosdam ex amicorum nu-
 mero obsides, et ducenta talenta daret: de ceteris
 Romam mitteret legatos: ad eam rem quatuor
 mensium induciæ essent. Si pax non inpetrata ab
 senatu foret, obsides pecuniamque reddi Philippo
 receptum est. Causa Romano imperatori non alia
 major fuisse dicitur pacis maturandæ, quam quod
 Antiochum bellum transitumque in Europam moliri
 constabat.

Pax con-
 venit.

Androsthē-
 nis cum
 Achæis
 pugna.

XIV. Eodem tempore, atque, ut quidam tradi-
 dere, eodem die ad Corinthum Achæi ducem regium
 Androsthēnem justo prælio fuderunt. Eam urbem
 pro arce habiturus Philippus adversus Græciæ civi-
 tates, et principes inde evocatos per speciem conlo-
 quendi, quantum equitum dare Corinthii ad bellum
 possent, retinuerat pro obsidibus, et, præter quin-
 gentos Macedonas mixtosque ex omni genere auxili-
 orum octingentos, quod jam ante ibi fuerat, mille
 Macedonum eo miserat, et mille ac ducentos Illy-
 rios, Thracasque, et Cretenses, qui in utraque parte
 militabant, octingentos. His additi Bœoti, Thessa-

lique, et Acarnanes mille, scutati omnes, et ex ipso-
 rum Corinthiorum juventute, inpleta ut essent sex U. C. 533.
 A. C. 197.
 millia armatorum, fiduciam Androsthēni fecerunt
 acie decernendi. Nicostratus prætor Achæorum Si-
 cyone erat cum duobus millibus peditum, centum
 equitibus: sed, inparem se et numero et genere mi-
 litum cernens, mœnibus non excedebat. Regiæ co-
 piæ peditum equitumque vagæ Pellenensem, et Phli-
 asium, et Cleonæum agrum, depopulabantur. Post-
 remo, exprobrantes metum hosti, in fines Sicyonio-
 rum transcendebant: navibus etiam circumvecti
 omnem oram Achaïæ vastabant. Quum id effusius
 hostes, et, ut fit ab nimia fiducia, negligentius etiam
 facerent, Nicostratus, spem nactus necopinantes eos
 adgrediendi, circa finitimas civitates nuncium occul-
 tum mittit, quo die, et quot, ex quaque civitate ar-
 mati ad Apelaurum (Stymphaliæ terræ is locus est)
 convenirent. Omnibus ad diem edictam paratis,
 profectus inde extemplo, per Phlasiarum fines nocte
 Cleonas, insciis omnibus, quid pararet, pervenit.
 Erant autem cum eo quinque millia peditum, ex
 quibus armaturæ levis, et trecenti equites, cum iis
 copiis dimissi, qui specularentur: quam in partem
 hostes effunderent sese, obperiebantur.

XV. Androsthēnes, omnium ignarus, Corintho
 profectus, ad Nemeam (annis est Corinthium et Si-
 cyonium interfluens agrum) castra locat. Ibi parte
 dimidia exercitus dimissa, dimidiam trifariam divisit,
 et omnes equites discurrere ad depopulandos simul
 Pellenensium Sicyoniumque agros, et Phlasiarum, ju-
 bet. Hæc tria diversa agmina discessere: quod ubi
 Cleonas ad Nicostratum perlatum est, extemplo va-
 lidam mercenariorum manum præmissam ad occu-

U. C. 555. pandum saltum, per quem transitus in Corinthium
 A. C. 197. est agrum, ante signa equitibus ut prægrederentur
 locatis, ipse confestim agmine duplici sequitur.
 Parte una mercenarii milites ibant cum levi arma-
 tura, altera clipeati, dein aliarum gentium exercitus
 robur erat. Jam haud procul castris aberant pedites
 equitesque, et Thracum quidam in vagos palatosque
 per agros hostes inpetum fecerunt, quum repens ter-
 ror castris infertur. Trepidare dux, ut qui hostes
 nusquam, nisi raro in collibus ante Sicyonem, non
 audentes agmen demittere in campos, vidisset; ad
 Cleonas quidem accessuros numquam credidisset:
 revocari tuba jubet vagos a castris dilapsos. Ipse,
 raptim capere arma jussis militibus, infrequenti ag-
 mine porta egressus, super flumen instruit aciem.
 Ceteræ copiae, vix conligi atque instrui quum po-
 tuissent, primum hostium inpetum non tulerunt.
 Macedones et maxime omnium frequentes ad signa
 fuerant, et diu ancipitem victoriae spem fecerunt:
 postremo fuga ceterorum nudati, quum duæ jam
 acies hostium ex diverso, levis armatura ab latere,
 clipeati cætratique a fronte urgerent; et ipsi, re in-
 clinata, primo retulere pedem: deinde impulsî terga
 vertunt, et plerique, abjectis armis, nulla spe castro-
 rum tenendorum relicta, Corinthum petierunt. Ni-
 costratus, mercenariis militibus ad hos persequendos,
 equitibus Thracumque auxiliis in populatores agri
 Sicyonii missis, magnam ubique cædem edidit; ma-
 jorem prope, quam in prælio ipso. Ex iis quoque,
 qui Pellenen Phliuntaque depopulati erant, incom-
 positi partim omniumque ignari, ad castra reverten-
 tes, in hostium stationes, tamquam in suas, inlati
 sunt; partim ex discursu id, quod erat, suspicati,

ita se in fugam passim sparserant, ut ab ipsis agres-
tibus errantes circumvenirentur. Ceciderunt eo die
nulle et quingenti, capti trecenti. Achaia omnis
magno liberata metu.

XVI. Priusquam dimicaretur ad Cynoscephalas, U. C. 555.
A. C. 197.
L. Quinctius, Coreyam excitis Acarnanum princi- Acarna-
num gens
societatem
Romanam
respuit.
pibus, quæ sola Græciæ gentium in societate Mæce-
donum manserat, initium quoddam ibi motus fecit.
Duæ autem maxime causæ eos tenuerant in amicitia
regis; una fides insita genti, altera metus odiumque
Ætolorum. Concilium Leucadem indictum est. Eo
neque cuncti convenere Acarnanum populi; nec ip-
sis, qui convenerant, idem placuit: sed et principes
et magistratus pervicerunt, ut privatum decretum
Romanæ societatis fieret. Id omnes, qui abfuerant,
ægre passi; et in hoc fremitu gentis a Philippo
missi duo principes Acarnanum, Androcles et Eche-
deraus, non ad tollendum modo decretum Romanæ
societatis valuerunt, sed etiam ut Archelaus et Bia-
nor, principes gentis ambo, quod auctores ejus sen-
tentiaë fuissent, proditionis in concilio damnarentur,
et Zeuxidæ prætori, quod de ea re retulisset, impe-
rium abrogaretur. Rem temerariam, sed eventu
prosperam, damnati fecerunt. Suadentibus namque
amicis, cederent tempori, et Coreyam ad Romanos
abirent, statuerunt obferre se multitudini, et aut eo
ipso lenire iras, aut pati, quod casus tulisset. Quum
se frequenti concilio intulissent, primo murmur ac
frenitus admirantium, silentium mox a verecundia
simul pristinaë dignitatis, ac misericordia præsentis
fortunæ, ortum est. Potestate quoque dicendi facta,
principio suppliciter, procedente autem oratione, ubi
ad crimina diluenda ventum est, cum tanta fiducia,

U. C. 555. quantam innocentia dabat, disseruerunt: postremo,
 A. C. 197. ultro aliquid etiam queri, et castigare iniquitatem
 simul in se crudelitatemque ausi, ita adfecerunt ani-
 mos, ut omnia, quæ in eos decreta erant, frequentes
 tollerent: neque eo minus redeundum in societatem
 Philippi, abnuendamque Romanorum amicitiam,
 censerent.

L. Quinc-
 trus Leu-
 cadem ob-
 pugnat.

XVII. Leucade hæc sunt decreta: id caput Acar-
 naniæ erat, eoque in concilium omnes populi conve-
 niebant. Itaque, quam hæc repentina mutatio Cor-
 cyram ad legatum Flaminium perlata esset, ex-
 templo cum classe profectus, Leucade ad Heræum,
 quod vocant, naves adplicuit. Inde cum omni ge-
 nere tormentorum machinarumque, quibus expug-
 nantur urbes, ad muros accessit, ad primum terro-
 rem ratus inclinari animos posse. Postquam pacati
 nihil ostendebatur, tum vineas turresque erigere, et
 arietem adinovere muris cœpit. Acarnania universa,
 inter Ætoliæ atque Epirum posita, solem occiden-
 tem et mare Siculum spectat. Leucadia nunc in-
 sula, et vadoso freto, quod perfossum manu est, ab
 Acarnania divisa, tum peninsula erat, occidentis re-
 gione artis faucibus cohærens Acarnaniæ. Quingentos
 ferme passus longæ fauces erant; latæ haud amplius
 centum et viginti: in his angustiis Leucas posita
 est, colli adplicata verso in orientem et Acarnaniam.
 Ima urbis plana sunt, jacentia ad mare, quo Leuca-
 dia ab Acarnania dividitur. Inde terra marique ex-
 pugnabilis est: nam et vada sunt stagno similiora,
 quam mari: et campus terrenus omnis operique fa-
 cilis. Itaque multis simul locis aut subruti, aut
 ariete decussi ruebant muri. Sed quam urbs ipsa
 opportuna obpugnantibus erat, tam inexpugnabiles

Leucadis
 situs.

hostium animi: die ac nocte intenti reficere quassata
 muri; obstruere, quæ patefacta ruinis erant; prælia
 impigre inire, et armis magis muros, quam se ipsos
 mœnibus, tutari: diutiusque spe Romanorum obsidi-
 onem eam extraxissent, ni exsules quidam Italici ge-
 neris, Leucade habitantes, ab arce milites accepis-
 sent: eos tamen, ex superiore loco magno cum tu-
 multu decurrentes, acie in foro instructa, justo præ-
 lio aliquamdiu Leucadii sustinuerunt. Interim et
 scalis capta multis locis mœnia, et per stragem lapi-
 dum ac ruinas transcensum in urbem: jamque ipse
 legatus magno agmine circumvenerat pugnantes:
 pars in medio cæsi; pars, armis abjectis, dederunt
 sese victori. Et post dies paucos, audito prælio,
 quod ad Cynoscephalas pugnatum erat, omnes po-
 puli Acarnaniæ in deditionem legati venerunt.

U. C. 555.
 A. C. 197.

Acarnania
 pacata.

XVIII. Iisdem diebus, omnia simul inclinante
 fortuna, Rhodii quoque ad vindicandam a Philippo
 continentem regionem, (Peræam vocant) possessam
 a majoribus suis, Pausistratum prætorem cum octin-
 gentis Achæis peditibus, mille et nongentis fere ar-
 matis, ex vario genere auxiliorum collectis, miserunt:
 Galli, et Pisuetæ, et Nisuetæ, et Tamiani, et Arci, ex
 Africa, et Laodiceni ex Asia erant: cum his copiis
 Pausistratus Tendeba in Stratonicensi agro locum
 peropportunum, ignaris regiis, qui tenebant, occu-
 pavit. In tempore et ad id ipsam exitum auxilium,
 mille Achæi pedites cum centum equitibus superve-
 nerunt. Theoxenus iis præerat. Dinocrates, regius
 præfectus, recuperandi castelli causa, primo castra
 ad ipsa Tendeba movit, inde ad alterum castellum,
 item Stratonicensis agri: Astragon vocant: omni-
 busque ex præsidiis, quæ multifariam disjecta erant,

Rhodii
 Peræam
 recuperant.

U. C. 555. devocatis, et ab ipsa Stratonicea Thessalorum auxi-
 A. C. 197 liaribus, Alabanda, ubi hostes erant, ducere perguit. Nec Rhodii pugnam detractaverunt: atque, castris in propinquo conlatis, extemplo in aciem descensum est. Dinocrates quingentos Macedonas dextro cornu, laevo Agrianas locat: in medium accipit contractos ex castellorum (Cares maxime erant) præsidii: equites cornibus circumdat, et Cretensium auxiliares Thracamque. Rhodii Achæos dextro cornu, sinistro mercenarios milites, lectam peditum manum, habere; medios mixta ex pluribus gentibus auxilia: equites levisque armaturæ quod erat, cornibus circumjectem. Eo die steterunt tantum acies utræque super ripam, qui tenui aqua interfluebat, torrentis: paucisque telis emissis, in castra receperunt sese. Postero die eodem ordine instructi majus aliquanto prælium, quam pro numero, edidere, pugnantium: nec enim plus tercia millia peditum fuere, et centeni ferme equites: ceterum non numero tantum, nec armorum genere, sed animis quoque paribus, et æqua spe pugnarunt. Achæi primi, torrente superato, in Agrianas inpetum fecere; deinde tota prope cursu transgressa annem acies est. Diu anceps pugna stetit: numero Achæi mille et ipsi quadringentos loco expulere. Inclinat dein dextrum omne cornu. Macedones, usque dum ordine et velut stipata phalanx consistebat, moveri nequiverunt: postquam, levo latere nudato, circumjacere hastas in venientem ex transverso hostem conati sunt, turbati extemplo tumultum primo inter se fecerunt: terga deinde vertunt: postremo, abjectis armis, in præcipitem fugam effusi, Bargylas petentes fugerunt. Eodem et Dinocrates perfugit. Rhodii, quan-

tum dici superfuit secuti, receperunt se ad castra. U. C. 555.
A. C. 197.
Satis constat, si confestim victores Stratoniceam petissent, recipi eam urbem sine certamine potuisse. Prætermissa ejus rei occasio est, dum in castellis vicisque Perææ recipiendis tempus teritur. Interim animi eorum, qui Stratoniceam præsidio obtinebant, confirmati sunt: mox et Dinocrates cum iis, quæ prælio supererant, copiis intravit muros. Nequidquam inde obsessa obpugnataque urbs est: recipi, nisi aliquanto post, per Antiochum non potuit. Hæc in Thessalia, hæc in Achaia, hæc in Asia per eosdem dies ferme gesta.

XIX. Philippus quum audisset, Dardanos, trans-Philippus
Dardanos
cædit.
gressos fines ab contentu concussi tum regni, superiora Macedoniae evastare, quamvis toto prope orbe terrarum, undique se suosque proffigante fortuna, urgebatur, tamen morte tristius ratus, Macedoniae etiam possessione pelli, delectu raptim per urbes Macedonum habito, cum sex millibus peditum et quingentis equitibus circa Stobos Pæoniæ inproviso hostes obpressit. Magna multitudo hominum in prælio, major prædandi cupidine palata per agros cæsa est: quibus fuga expeditior fuit, ne tentato quidem casu pugnae, in fines suos redierunt. Ea una expeditione non pro reliquo statu fortunæ facta, reffectis suorum animis, Thessalonicam sese recepit. Non tam in tempore Punicum bellum terminatum erat, ne simul et cum Philippo foret bellandum; quam opportune, jam Antiocho in Syria moliente Antiochi
Syriæ regis
molitione.
bellum, Philippus est superatus: nam, præterquam quod facilius cum singulis, quam si in unum ambo simul contulissent vires, bellatum est; Hispania quoque sub idem tempus magno tumultu ad bellum

U. C. 555. consurrexit. Antiochus quum, priore ætate omni-
 A. C. 197. bus, quæ in Cœle-Syria sunt, civitatibus Ptolemæi
 in suam potestatem redactis, in hiberna Antiochiam
 concessisset; nihilo quietiores postea res habuit:
 omnibus enim regni viribus commisit, quum ingentes
 copias terrestres maritimasque comparasset, prin-
 cipio veris præmissis terra cum exercitu filiis duo-
 bus, Ardye ac Mithridate, jussisque Sardibus se ob-
 periri; ipse cum classe centum tectarum navium, ad
 hoc levioribus navigiis cercurisque ac lembis ducen-
 tis, proficiscitur: simul per omnem oram Ciliciæque
 et Cariæ tentaturus urbes, quæ in ditione Ptolemæi
 essent; simul Philippum (necdum enim debellatum
 erat) exercitu navibusque adjuturus.

Legatio
 Rhodio-
 rum ad
 Antio-
 chum.

XX. Multa egregia Rhodii pro fide erga popu-
 lum Romanum, proque universo nomine Græcorum,
 terra marique ausi sunt: nihil magnificentius, quam
 quod ea tempestate, non territi tanta mole imminen-
 tis belli, legatos ad regem miserunt Nephelida,
 (promontorium Ciliciæ est, inclitum fœdere antiquo
 Atheniensium) si eo non contineret copias suas, se
 obviam ituros; non ab odio ullo, sed ne conjungi
 cum Philippo paterentur, et impedimento esse Ro-
 manis liberantibus Græciam. Coraccium eo tem-
 pore Antiochus operibus obpugnabat. Zephyrio, et
 Solis, et Aphrodisiade, et Coryco, et, superato Ane-
 murio, (promontorium id quoque Ciliciæ est) Seli-
 nunte recepto, omnibus his aliisque ejus oræ cas-
 tellis, aut metu, aut voluntate, sine certamine, in
 deditionem acceptis, Coraccium præter spem clausis
 portis tenebat eum. Ibi legati Rhodiorum auditi:
 et quamquam ea legatio erat, quæ accendere regium
 animum posset, temperavit iræ: et, *legatos se Rho-*

*dua missurum, respondit, iisque mandaturum, ut re-
novarent vetusta jura, cum ea civitate, sua majorumque
suorum: et retarent eos adventum pertimescere regis,
nihil his aut sociis eorum noxæ futurum fraudive:
nom, Romanorum amicitiam se non violaturum, argu-
mento et suam recentem ad eos legationem esse, et se-
natus honorifica in se decreta responsaque. Tum forte
legati redierant ab Roma, comiter auditi dimissique,
ut tempus postulabat, incerto adhuc adversus Phi-
lippum eventu belli. Quum hæc legati regis in con-
cione Rhodiorum agerent, nuncius venit, debellatum
ad Cynosephalas esse. Hoc nuncio accepto, Rho-
diis, demto metu a Philippo omni, erat consilium
obviam eundi classe Antiocho. Illam alteram curam
non omiserant, tuendæ libertatis civitatum socia-
rum Ptolemæi, quibus bellum ab Antiocho immine-
bat: nam alias auxiliis juverunt, alias providendo
ac præmonendo conatus hostis: caussaque libertatis
fuerunt Cauniis, Myndiis, Halicarnassensibus, Sa-
miisque. Non operæ est persequi, ut quæque acta
in his locis sint, quum ad ea, quæ proprie Romani
belli sunt, vix subficiam.*

XXI. Eodem tempore et Attalus rex, æger The-
bis Pergamum advectus, moritur altero et septuage-
simo anno; quum quatuor et quadraginta annos
regnasset. Huic viro, præter divitias, nihil ad spem
regni fortuna dederat: his simul prudenter, simul
magnifice utendo, effecit, primum ut sibi, deinde ut
aliis non indignus videretur regno. Victis deinde
prælio uno Gallis, quæ tum gens recenti adventu
terribior Asiæ erat, regium adscivit nomen, cujus
magnitudini semper animum æquavit. Summa jus-
titia suos rexit: unicam fidem sociis præstitit: uxo-

Attali mor-
et laudes.

U. C. 555. rem ac liberos quatuor superstites habuit: mitis ac
 A. C. 197. munificus amicis fuit: regnum adeo stabile ac fir-
 mum reliquit, ut ad tertiam stirpem possessio ejus
 descenderit. Quam is status rerum in Asia, Græ-
 cique, et Macedonia esset, vixdum terminato cum
 Motus in Philippo bello, pace certe nondum perpetrata, in-
 Hispania. gens in Hispania ulteriore coortum est bellum.
 M. Helvius eam provinciam obtinebat. Is literis
 senatum certiore fecit, *Colcam et Luscinum regulos
 in armis esse. Cum Colca decem et septem oppida,
 cum Lusino validas urbes, Cardonem et Bardonem:
 et maritimam oram omnem, quæ nondum animos nuda-
 verat, ad finitimorum motus consurrecturam.* His lite-
 ris a M. Sergio prætoris, cujus jurisdictio inter cives
 erat, recitatis, decreverunt Patres, ut, comitiis præ-
 torum perfectis, cui prætori provincia Hispania ob-
 venisset, is primo quoque tempore de bello Hispani-
 niæ ad senatum referret.

Consulum alteri tri- XXII. Sub idem tempus consules Romam vene-
 umphus concedi- runt: quibus in æde Bellonæ senatum habentibus,
 tur, alteri negatur. postulantibusque triumphum ob res prospere bello
 gestas, C. Atinius Labeo et C. Ursanius tribuni ple-
 bis, ut separatim de triumpho agerent consules, pos-
 tularunt: *communem se relationem de ea re fieri non
 passuros, ne per honos in dispari merito esset.* Quum-
 que Minucius utrique provinciam Italiam obtigisse
 diceret, communi animo consilioque se et collegam
 res gessisse; Cornelius adjiceret, Boios adversus se
 transgredientes Padum, ut Insubribus Cenomanis-
 que auxilio essent, depopulante vicis eorum atque
 agros collega. ad sua tuenda aversos esse; tribuni
 res tantas bello gessisse Cornelium fateri, ut non magis
 de triumpho ejus, quam de honore Diis immortalibus

habendo dubitari possit. Non tamen nec illum, nec quemquam alium civem tantum gratiæ atque opibus valuisse, ut, quum sibi met triumphum impetrasset, collegæ eundem honorem impudenter petenti daret. Q. Minucium in Liguribus levia prælio, vix digna dictu, fecisse: in Gallia magnum numerum militum amisisse. Nominabant etiam tribunos militum T. Juventium, et C. Labeonem ejus fratrem, qui adversa pugna cum multis aliis viris fortibus, civibus ac sociis, cecidissent. Oppidorum paucorum ac vicorum falsas, et in tempus simul tas, sine ullo pignore deditiones factas esse. Hæ inter consules tribunosque altercationes biduum tenuerunt, victique perseverantia tribunorum consules separatim retulerunt.

XXIII. C. Cornelio omnium consensu decretus triumphus: et Placentini Cremonensesque addiderunt favorem consuli, gratias agentes commemorantesque, obsidione se esse ab eo liberatos: plerisque etiam, quum apud hostes essent, servitute exceptos. Q. Minucius, tentata tantum relatione, quum adversum omnem senatum videret, in monte Albano se triumphaturum, et jure imperii consularis, et multorum clarorum virorum exemplo, dixit. C. Cornelius de Insubribus Cenomanisque in magistratu triumphavit: multa signa militaria tulit, multa Gallica spolia captivis carpentis transvexit: multi nobiles Galli ante currum traducti; inter quos, quidam, Hamilcarem ducem Pœnorum fuisse, auctores sunt. Ceterum magis in se convertit oculos Cremonensium Placentinorumque colonorum turba pileatorum, currum sequentium. Tulit in triumpho ducenta triginta septem millia, quingentos æris, argenti bigati septuaginta novem millia: septuagenos

U. C. 555.

A. C. 197.

Cornelius
in urbe,

U. C. 555. æris militibus divisit; duplex equiti, triplex centu-
 A. C. 197. rioni. Q. Minucius consul de Liguribus Boisque
 Minucius Gallis in monte Albano triumphavit: is triumphus,
 in monte Albano triumphat. ut loco, et fama rerum gestarum, et quod sumtum
 non erogatum ex ærario omnes sciebant, inhonora-
 tior fuit: ita signis, carpentisque, et spoliis ferme
 æquabat. Pecuniæ etiam prope par summa fuit:
 æris translata ducenta et quinquaginta quatuor mil-
 lia, argenti bigati quinquaginta tria millia et du-
 centi: militibus centurionibusque et equitibus item
 in singulos datum, quod dederat collega.

XXIV. Secundum triumphum consularia comitia
 habita: creati consules L. Furius Purpureo et M.
 Claudius Marcellus. Prætores postero die facti, Q.
 Fabius Butco, Ti. Sempronius Longus, Q. Minucius
 Thermus, M. Acilius Glabrio, L. Apustius Fullo,
 C. Lælius. Exitu ejus anni literæ a T. Quinctio
 venerunt, se signis conlatis cum rege Philippo in
 Thessalia pugnasse: hostium exercitum fustum fu-
 gatumque. Hæ literæ prius in senatu a Sergio
 prætore, deinde ex auctoritate Patrum in concione
 sunt recitatæ. Ob res prospere gestas in dies quin-
 que supplicationes decretæ. Brevi post legati et a
 T. Quinctio et ab rege venerunt. Macedones de-
 ducti extra urbem in villam publicam; ibique iis
 locus et lautia præbita: et ad ædem Bellonæ sena-
 tus est habitus. Haud multa verba facta, quum
 Macedones, quæcumque senatus censuisset, id re-
 gem facturum esse, dicerent. Decem legati more
 majorum, quorum ex consilio T. Quinctius impera-
 tor leges pacis Philippo daret, decreti; adjectum-
 que, ut in eo numero legatorum P. Sulpicius et P.
 Villius essent, qui consules provinciam Macedoniam

Macedo-
 nes legati
 Romæ.

obtinuissent. Cosanis eo die postulantibus, ut sibi U. C. 555.
 colonorum numerus augeretur, mille adscribi jussi: A. C. 197.
 dum ne quis in eorum numero esset, qui post P. Cor-
 nelium et Ti. Sempronium consules hostis fuisset.

XXV. Ludi Romani eo anno in circo scenaque
 ab ædilibus curulibus, P. Cornelio Scipione et Cn.
 Manlio Vulstone, et magnificentius, quam alias, facti,
 et lætius propter res bello bene gestas spectati, toti-
 que ter instaurati: plebeii septies instaurati. Aci-
 lius Glabrio, C. Lælius eos ludos fecerunt. Ex ar-
 gento multaticio tria signa ænea, Cereri, Liberoque,
 et Liberæ, posuerunt. L. Furius et M. Claudius U. C. 556.
 Marcellus, consulatu inito, quum de provinciis age- A. C. 196.
 retur, et Italianam utrique provinciam senatus decer-
 neret, ut Macedoniam cum Italia sortirentur, pe-
 tebant. Marcellus, provinciæ cupidior, pacem si-
 mulatam ac fallacem dicendo, et rebellaturum, si
 exercitus inde deportatus esset, regem, dubios sen-
 tentiæ Patres fecerat. Et forsitan obtinuissent con-
 sules, ni Q. Marcius Rex et C. Atinius Labeo, tri-
 buni plebis, se intercessuros dixissent; ni prius ipsi
 ad plebem tulissent, vellent jubere cum rege Phi- Pax cum
 lippo pacem esse. Ea rogatio in Capitolio ad ple- Macedoni-
 bem lata est: omnes quinque et triginta tribus, uti bus.
 rogatæ, jusserunt. Et quo magis pacem ratam esse
 in Macedonia vulgo lætarentur, tristis ex Hispania Tristis nun-
 nuncius adlatus effecit, vulgatæque literæ, C. Sem- cius ex His-
 pronium Tuditanum proconsulem in ceteriore Hispania pania.
prælio victum: exercitum ejus fuscum fugatumque, et
inlustres viros in acie cecidisse. Tuditanum, cum gravi
vulnere latum ex prælio, haud ita multo post expirasse.
 Consulibus ambobus Italia provincia cum his legio-
 nibus, quas superiores consules habuissent, decreta,

U. C. 556. et ut quatuor legiones novas scriberent: duas, quæ,
 A. C. 196. quo senatus censuisset, mitterentur: et T. Quinctius
 Flaminius cum duabus legionibus provinciam eo-
 dem exercitu obtinere jussus: imperium ei proroga-
 tum satis jam ante videri esse.

XXVI. Prætores deinde provincias sortiti, L. Apustus Fullo urbanam jurisdictionem, M. Acilius Glabrio inter cives et peregrinos, Q. Fabius Buteo Hispaniam ulteriorem, Q. Minucius Thermus cite-
 riorem, C. Lælius Siciliam, Ti. Sempronius Longus Sardiuiam. Q. Fabio Buteoni et Q. Minucio, qui-
 bus Hispaniæ provinciæ evenerant, consules legio-
 nes singulas ex quatuor ab se scriptis, quas videretur, uti darent, decretum est; sociûm ac nominis Latini quaterna millia peditum, treccenos equites: hique primo quoque tempore in provincias ire jussi. Bellum in Hispania quinto post anno exortum est, quam simul cum Punico bello fuerat finitum. Priusquam hi prætores ad bellum prope novum, quia tum primum suo nomine, nullo Punico exercitu aut duce, ad arma ierant, proficiscerentur, aut ipsi consules ab urbe moverent; procurare, ut adsolet, prodigia, quæ nunciabantur, jussi. L. Julius Sequestris, in Sabinos proficiscens, fulmine ipse equusque exanimati fuerant: ædes Feroniæ in Capenate de cælo tacta erat: ad Monetæ duarum hastarum spicula arserant: lupus, Esquilina porta ingressus, frequentissima parte urbis, quum in forum decurrisset, Tusco vico atque Intemelio, per portam Capenam prope intactus evaserat. Hæc prodigia majoribus hostiis sunt procurata.

Lentulus urbem o-
 vans it-
 greditur.

XXVII. Iisdem diebus Cn. Cornelius Lentulus, qui ante Sempronium Tuditanum citeriorem Hispa-

niam obtinuerat, ovans ex senatusconsulto urbem est ingressus : tulit præ se auri mille et quingenta quindecim pondo, argenti viginti millia, signati denarios triginta quatuor millia, et quingentos quinquaginta. L. Stertinius ex ulteriore Hispania, ne tentata quidem triumphi spe, quinquaginta millia pondo argenti in ærarium tulit : et de manubiis duos fornices in foro Boario ante Fortunæ ædem et matris Matutæ, unum in maximo circo fecit : et his fornicibus signa aurata inposuit. Hæc per hiemem ferme acta. Hibernabat eo tempore Athenis Quinctius, a quo quum multa socii peterent, Bæoti petierunt inpetraveruntque, ut hi, qui suæ gentis militassent apud Philippum, sibi restituerentur : id a Quinctio facile inpetratum ; non quia satis dignos eos credebat, sed quia, Antiocho rege jam suspecto, favor conciliandus nomini Romano apud civitates erat. Restitutis, confestim adparuit, quam nulla inita apud Bæotos gratia esset : nam et ad Philippum gratias agentes pro redditis hominibus, perinde atque ipsi id a Quinctio et Romanis datum esset, miserunt : et comitiis proximis Bæotarchen nullam aliam ob causam Brachyllam quemdam, quam quod præfectus Bæotorum apud regem militantium fuisset, fecerunt ; præteritis Zeuxippo, et Pisistrato, aliisque, qui Romanæ societatis auctores fuerant. Id ægre et in præsentia hi passi, et in futurum etiam metum ceperunt, quum ad portas prope sedente exercitu Romano ea fierent, quidnam se futurum esset, profectis in Italiam Romanis ; Philippo ex propinquo socios adjuvante, et infesto his, qui partis adversæ fuissent.

U. C. 556.
A. C. 196.

Brachyllas
Bæotarcha

XXVIII. Dum Romana arma propinqua habe-

VOL. III.

F

U. C. 556. bant, tollere Brachyllum, principem fautorum regis,
 A. C. 196. statuerunt : et tempore ad eam rem capto, quum in
 publico epulatus reverteretur domum tenuentus,
 prosequentibus mollibus viris, qui joci causa con-
 vivio celebri interfuerant; ab sex armatis, quorum
 Occiditur. tres Italici, tres Ætolici erant, circumventus occidi-
 tur. Fuga comitum et quiritatio facta, et tumultus
 tota urbe discurrentium cum luminibus : percusso-
 res proxima porta evaserunt. Luce prima concio
 frequens, velut exstante indicio, ad vocem præconis
 convocata in theatro erat. Palam ab suo comitatu
 et obscœnis illis viris fremebant interfectum : ani-
 mis autem Zeuxippum auctorem destinabant cædis.
 In præsentia placuit comprehendi eos, qui simul
 fuissent, quæstionemque ex his haberi : qui dum
 quærentur, Zeuxippus, consimili animo avertendi
 ab se criminis causa in concionem progressus, errare
 ait homines, qui tam atrocem cædem pertinere ad
 illos seniviros crederent; multaque in eam partem
 probabiliter argumentatus, quibus fidem apud quos-
 dam fecit, numquam, si conscius esset, oblaturum se
 multitudini, mentionemve cædis, nullo lacescente,
 facturum fuisse. Alii non dubitare, obviam eundo
 impudenter criminis suspicionem averti. Torti post
 paullo insontes, quum scirent ipsi opinionem om-
 nium, ea pro indicio usi, Zeuxippum et Pisistratum
 nominaverunt: nullo adjecto, cur scire quidquam
 viderentur, argumento. Zeuxippus tamen cum Stra-
 tonida quodam nocte perfugit Tanagram, suam ma-
 gis conscientiam, quam indicium hominum nullius
 rei consciorum, metuens. Pisistratus, spretis indi-
 cibus, Thebis mansit. Servus erat Zeuxippo, totius
 internuncius et minister rei; quem indicem Pisistra-

tus timens, eo ipso timore ad indicium protraxit. U. C. 556.
 Literas ad Zeuxippum mittit, *servum conscium tolleret.* A. C. 196.
Non tam idoneum ad celandam rem eum videri sibi, quam ad agendam fuerit. Has qui tulit literas, jussit Zeuxippo dare quamprimum: is, quia non sibi conveniendi ejus copia fuit, ipsi illi servo, quem ex omnibus domino fidissimum credebat, tradidit: et adjecit, a Pisistrato de re magnopere pertinente ad Zeuxippum esse. Conscientia ictus, quum ex templo traditurum eas adfirmasset, aperit. Perlectis literis, pavidus Thebas refugit: et Zeuxippus quidem, fuga servi motus, Athenas, tutiorem exsilio locum ratus, concessit. De Pisistrato aliquæ quæstiones tormentis habitæ, et sumtum supplicium est.

XXIX. Efferavit ea cædes Thebanos Bæotosque Bæoti in Romanos efferati.
 omnes ad execrabile odium Romanorum; Zeuxippum principem gentis id facinus conscisse: ad rebellandum neque vires, neque ducem habebant. Proximum bello quod erat, in latrocinium versi, alios hospites, alios vagos per hiberna milites, ad varios commentes usus, excipiebant: quidam in ipsis itineribus, ad notas latebras insidiantibus, pars in deserta per fraudem deversoria deveci deductique obprimebantur: postremo non tantum odio, sed etiam aviditate prædæ, ea facinora faciebant; quia, negotiandi ferme causa argentum in zonis habentes, in commatibus erant. Quum primo pauci, deinde in dies plures desiderarentur, infamis esse Bæotia omnis cœpit: et timidius, quam in hostico, egredi castris miles. Tum Quinctius legatos ad querendum de latrociniiis per civitates mittit. Plurimi perditæ circa Copaidem paludem inventi: ibi ex limo oruta extractaque ex stagno cadavera, saxis aut am-

U. C. 556. phoris, ut pondere traherentur in profundum, ad-
 A. C. 196. nexa: multa facinora Acræphiæ et Coroneæ facta
 inveniebantur. Quinctius primo noxios tradi sibi
 jussit, et pro quingentis militibus (tot enim inter-
 cepti erant) quingenta talenta Bæotos conferre.
 Quorum neutrum quum fieret, verbis tantum civita-
 tes excusarent, nihil publico consilio factum esse;
 missis Athenas et in Achaiam legatis, qui testaren-
 tur sociis, justo pioque bello se persecuturum Bæo-
 tos, et cum parte copiarum P. Claudio Acræphiam
 ire jusso, cum parte Coroneam circumsegit: evasta-
 tis prius agris, quam ab Elatia duo diversa agmina
 iere. Hac percussi clade Bæoti, quum omnia ter-
 rore ac fuga complessent, legatos mittunt: qui
 quum in castra non admitterentur, Achæi Athenien-
 sesque supervenerunt. Plus auctoritatis Achæi ha-
 buerunt, deprecantes: ac, ni inpetrassent pacem
 Bæotis, bellum simul gerere decreverunt. Per
 Achæos et Bæotis copia adeundi adloquendique
 Romanum facta est, jussisque tradere noxios, et
 multæ nomine triginta talenta conferre, pax data,
 et ab obpugnatione recessum.

Pacem
 erare co-
 suntur.

Leges pa-
 cis cum
 Philippo.

XXX. Post paucos dies decem legati ab Roma
 venerunt, quorum ex consilio pax data Philippo in
 has leges est. *Omnes Græcorum civitates, quæ in
 Europa, quæque in Asia essent, libertatem ac suas
 leges haberent: quæ earum sub ditione Philippi fuis-
 sent, præsidia ex his Philippus deduceret: his, quæ in
 Asia essent, Euromo, Pedasisque, et Bargyliis, et Iasso,
 et Myrina, et Abydo, et Thaso, et Perintho: eas quo-
 que enim placere liberis esse. De Cianorum libertate,
 Quinctius Prusiæ Bithynorum regi scriberet, quid sena-
 tui et decem legatis placuisset. Captivos transfugas-*

que reddere Philippum Romanis, et naves omnes tectas tradere, quin et regionem unam inhabitabilem prope magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant. Ne plus quingentis armatorum haberet, neve elephantum ullum. Bellum extra Macedoniae fines ne injussu senatus gereret. Mille talentum daret populo Romano: dimidium praesens, dimidium pensionibus decem annorum. Valerius Antias, quaternum millium pondus argenti vectigal in decem annos, triginta quaterna millia pondus, et ducenta, praesens viginti millia pondus: idem nominatim adjectum scribit, ne cum Eumene, Attali filio, (novus is tunc rex erat) bellum gereret. In haec obsides accepti, inter quos Demetrius Philippi filius. Adjicit Valerius Antias, Attalo absentem Aeginam insulam elephantosque dono datos, et Rhodiis Stratoniceam Cariae atque alias urbes, quas Philippus tenuisset: Atheniensibus insulas datas, Paron, Imbrum, Delum, Seyrum.

XXXI. Omnibus Graeciae civitatibus hanc pacem adprobantibus, soli Aetoli id decretum decem legatorum clam mussantes carpebant: *litteras inanes vana specie libertatis adumbratas esse. Cur enim alias Romanis tradi urbes, nec nominari eas, alias nominari, et sine traditione juberi liberas esse? nisi ut, quae in Asia sint, liberentur, longinquitate ipsa tutiores: quae in Graecia sint, ne nominatae intercipientur, Corinthus, et Chalcis, et Oreum, cum Eretria et Demetriade.* Nec tota ex vano criminatio erat: dubitabatur enim de Corintho, et de Chalcide, et Demetriade, quia in senatusconsulto, quo missi decem legati ab urbe erant, ceterae Graeciae atque Asiae haud dubie liberabantur: de his tribus urbibus legati, quod tempora reipublicae postulassent, id e reipublica fideque sua

*Aetolorum
querela.*

M. C. 556. facere, statuere jussi erant. Antiochus rex erat,
 A. C. 196. quem transgressurum in Europam, quum primum ei
 res suæ placuissent, non dubitabant: ei tam oppor-
 tunas ad occupandum patere urbes nolebant. Ab
 Consultatio de li- Elatia Anticyram cum decem legatis, inde Corin-
 beranda thum trajecit: ibi consilia decem legatorum tracta-
 Græcia. bantur. Idem tamen Quinctius, *liberandam omnem
 Græciam, si Ætolorum linguas retundere, si veram
 caritatem, majestatem, apud omnes nominis Romani
 vellent esse: si fidem facere, ad liberandam Græciam,
 non ad transferendum a Philippo ad se imperium, se
 mare trajecisse.* Nihil contra ea de libertate urbium
 alii dicebant: ceterum *ipsis tutius esse, manere paul-
 isper sub tutela præsidii Romani, quam pro Philippo
 Antiochum dominum accipi.* Postremo ita decretum
 est: *Corinthus redderetur Achæis, ut in Acrocorintho
 tamen præsidium esset: Chalcidem ac Demetriadem
 retineri, donec cura de Antiocho decessisset.*

Isthmii
 ludi.

XXXII. Isthmiorum statum ludicrum aderat; semper quidem et alias frequens, quum propter spectaculi studium insitum genti, quo certamina omnis generis artium, viriumque, ac pernicitatis visuntur; tum quia propter opportunitatem loci, per duo diversa maria, omnium Græcorum undique conventus erat. Sed exspectatione erecti, qui deinde status futurus Græciæ, quæ sua fortuna esset: alii non taciti solum opinabantur, sed sermonibus etiam serebant. Romani ad spectaculum consederunt; et præco cum tubicine, ut mos est, in mediam arenam, unde sollemni carmine ludicrum indici solet, processit, et, tuba silentio facto, ita pronunciat: SENATUS ROMANUS ET T. QUINCTIUS IMPERATOR, PHILIPPO REGE MACEDONIBUSQUE DEVICTIS, LIBEROS,

Libertas
 Græciæ
 promul-
 gata.

INMUNES, SUIS LEGIBUS ESSE JUBET CORINTHIOS, U. C. 556.
 PHOCENSES, LOCRENSESQUE OMNES, ET INSULAM A. C. 196.
 EUBŒAM, ET MAGNETAS, THESSALOS, PERRHÆBOS,
 ACHÆOS PHTHIOTAS. Percensuerat omnes gentes,
 quæ sub ditione Philippi regis fuerant. Audita
 voce præconis, majus gaudium fuit, quam quod uni-
 versum homines caperent. Vix satis credere se quis-
 que audisse: alii alios intueri, mirabundi velut som-
 nii vanam speciem: quod ad quemque pertineret,
 suarum aurium fidei minimum credentes, proximos
 interrogabant. Revocatus præco, quum unusquisque
 non audire, sed videre libertatis suæ nuncium ave-
 ret, iterum pronuntiaret eadem. Tum ab certo jam
 gaudio tantus cum clamore plausus est ortus, toties-
 que repetitus, ut facile adpareret, nihil omnium bo-
 norum multitudini gratius, quam libertatem esse.
 Ludicram deinde ita raptim peractum est, ut nullius
 nec animi, nec oculi spectaculo intenti essent: adeo
 unum gaudium præoccupaverat omnium aliarum
 sensum voluptatum.

XXXIII. Ludis vero dimissis, cursu prope omnes
 tendere ad imperatorem Romanum: ut, ruente tur-
 ba in unum, adire, contingere dextram cupientium,
 coronas lemniscosque jacentium, haud procul peri-
 culo fuerit. Sed erat trium ferme et triginta anno-
 rum; et quum robor juventæ, tum gaudium ex tam
 insigni gloriæ fructu, vires subpeditabant: nec præ-
 sens omnium modo effusa lætitia est; sed per multos
 dies gratis et cogitationibus, et sermonibus revo-
 cata: *Esse aliquam in terris gentem, quæ sua impensa,
 suo labore ac periculo bella gerat pro libertate alio-
 rum: nec hoc finitimis, aut propinquæ vicinitatis ho-
 minibus, aut terris continenti junctis præstet: maria*



U. C. 556. *trajiciat, ne quod toto orbe terrarum injustum imperium sit, et ubique jus, fas, lex potentissima sint. Una voce præconis liberatas omnes Græciæ atque Asiæ urbes. Hoc spe concipere, audacis animi fuisse: ad effectum adducere, virtutis et fortunæ ingentis.*

Legationes.

XXXIV. Secundum ista jam Quinctius et decem legati legationes regum, gentium, civitatumque audire. Primi omnium regis Antiochi vocati legati sunt: his eadem, quæ fere Romæ erant, verba sine fide rerum jactata. Nihil jam perplexe, ut ante, quum dubiæ res incolumi Philippo erant, sed aperte pronunciatum, ut excederet Asiæ urbibus, quæ aut Philippi, aut Ptolemæi regum fuissent: abstineret liberas, omnesque Græcas. Ante omnia denunciatum, ne in Europam aut ipse transiret, aut copias trajiceret. Dimissis regis legatis, conventus gentium civitatumque est haberi cœptus: eoque maturius peragebatur, quod decreta decem legatorum civitates nominatim pronuntiabant. Orestis, (Macedonum ea gens est) quod primi ab rege defecissent, suæ leges redditæ. Magnetes, et Perrhæbi, et Dolopes, liberi quoque pronuntiati. Thessalorum genti, præter libertatem concessam, Achæi Phthiotæ dati, Thebis Phthioticis et Pharsalo excepto. Ætolos de Pharsalo et Leucade postulantes, ut ex fœdere sibi restituerentur, ad senatum rejecerunt. Phocenses, Locrenses, et quæ sicut ante fuerant adjuncta, decreti auctoritate his contribuerunt. Corinthus, et Triphylia, et Heræa (Peloponnesi et ipsa urbs est) reddita Achæis. Oreum et Eretriam decem legati Eumeni regi, Attali filio, dabant: dissentiente Quinctio, venit res in arbitrium senatus: senatus libertatem his civitatibus dedit, Carysto adjuncto.

Pleurato Lycus et Partbini dati: Illyriorum utraque gens sub ditione Philippi fuerat. Amynandrum tenere jusserunt castella, quæ per belli tempus Philippo capta ademisset.

XXXV. Dimisso conventu, decem legati, partiti munia inter se, ad liberandas suæ quisque regionis civitates discesserunt: P. Lentulus Bargylas, L. Stertinus Hephæstiam et Thasum et Thraciæ urbes, P. Villius et L. Terentius ad regem Antiochum, Cn. Cornelius ad Philippum. Qui, de minoribus rebus editis mandatis, percunctatus, si consilium non utile solum, sed etiam salutare, admittere auri- bus posset, quum rex gratias quoque se acturum diceret, si quid, quod in rem suam esset, expromeret, magnopere ei suasit, quoniam pacem inpetrasset, ad societatem amicitiamque petendam mitteret Romanos legatos; ne, si quid Antiochus moveret, exspectasse, et temporum opportunitates captasse ad bellandum, videri posset. Ad Tempe Thessalica Philippus est conventus: qui quum se missurum extemplo legatos respondisset; Cornelius Thermopylas, ubi frequens Græciæ statis diebus esse solet conventus, (Pylai- cum adpellant) venit: Ætolos præcipue monuit, ut constanter et fideliter in amicitia populi Romani permanerent. Ætolorum principes alii interquesti sunt, quod non idem erga suam gentem Romanorum animus esset post victoriam, qui in bello fuisset: alii ferocius incusarunt, exprobraruntque, *non modo vinci sine Ætolis Philippum, sed ne transire quidem in Græciam Romanos potuisse.* Adversus ea respondere (ne in altercationem excederet res) quum supersedisset Romanus; *omnia eos æqua inpetratos, si Romam misissent,* dixit: itaque ex auctoritate

U. C. 536.
A. C. 196.

Cn. Cornelius Philippum convenit.

Mox adire concilium Ætolorum.

U. C. 556. ejus decreti legati sunt. Hunc finem bellum cum
A. C. 196. Philippo habuit.

Servorum XXXVI. Quum hæc in Græcia Macedoniaque et
conjuratio in Etruria. Asia gererentur, Etruriam infestam prope conjura-
tio servorum fecit : ad quærendam obprimendamque
eam M. Acilius prætor, cui inter cives peregrinos-
que jurisdictio obtigerat, cum una ex duabus legione
urbana missus, alios jam congregatos pugnando vi-
cit ; ex his multi occisi, multi capti : alios verbera-
tos crucibus adfixit, qui principes conjurationis fue-
rant : alios dominis restituit. Consules in provin-
cias profecti sunt. Marcellum Boiorum ingressum
fines, fatigato per diem totum milite via facienda,
castra in tumulo quodam ponentem, Corolamus,
regulus Boiorum, cum magna manu adortus, ad
Boii Ro- tria millia hominum occidit : et illustres viri ali-
manos cæ- quant.
quot in illo tumultuario prælio ceciderunt, inter
quos præfecti sociûm, T. Sempronius Gracchus, M.
Junius Silanus ; et tribuni militum de legione se-
cunda, A. Ogulnius et P. Claudius : castra tamen
ab Romanis impigre permunita retentaque, quum
hostes a prospera pugna nequidquam obpugnassent.
Stativis deinde eisdem per dies aliquot sese tenuit,
dum et saucios curaret, et a tanto terrore animos
militum reficeret. Boii, ut est gens minime ad mo-
ræ tedium patiens, in castella sua vicosque dilapsi
sunt. Marcellus, Pado confestim trajecto, in agrum
Comensem, ubi Insubres, Comensibus ad arma ex-
citis, castra habebant, ducit legiones : in ipso itinere
prælium committunt : et primo adeo acriter invase-
runt, ut antesignanos inpulerint. Quod ubi anim-
advertit, veritus ne moti semel pellerentur, cohortem
Marsorum obposuit : et equitum Latinorum

Victoria
Marcelli
de Insub-
ribus.

omnes turmas in hostem emisit. Quorum quum pri- U. C. 556.
 mus secundusque impetus retudisset inferentem se fe- A. C. 196.
 rociter hostem, confirmata et reliqua acies Romana
 restitit primo, deinde signa acriter intulit: nec ul-
 tra sustinuerunt certamen Galli, quin terga verte-
 rent, atque effuse fugerent. In eo proelio supra qua-
 draginta millia hominum cæsa, Valerius Antias scri-
 bit: et quingenta septem signa militaria capta, et
 carpenta quadringenta triginta duo, et aureos tor-
 ques multos, ex quibus unum magni ponderis Clau-
 dius in Capitolio Jovi donum in æde positum scribit.
 Castra eo die Gallorum expugnata direptaque: et
 Comum oppidum intra dies paucos captum. Cas-
 tella inde duodetriginta ad consulem defecerunt. Id
 quoque inter scriptores ambigitur, utrum in Boios
 prius, an Insubres, consul exercitum induxerit, adver-
 samque prospera pugna obliteraverit: an victoria, æd
 Comum parta, deformata clade in Boiis accepta sit.

XXXVII. Sub hæc tam varia fortuna gesta, L.
 Furius Purpurco alter consul per tribum Sappiniam
 in Boios venit. Jam castro Mutilo adpropinqua-
 bat, quum, veritus ne intercluderetur simul a Boiis
 Liguribusque, eadem via, qua adduxerat, reduxit,
 et magno circuitu per aperta, eaque tuta loca, ad
 collegam pervenit: dein junctis exercitibus primum
 Boiorum agrum usque ad Felsinam oppidum popu- Uterque
 lantes peragraverunt. Ea urbs, ceteraque castella, cos. Boio-
 et Boii fere omnes, præter juventutem, quæ præ- rum agros
 populatur.
 dandi causa in armis erat, (tunc in devias silvas re-
 cesserat) in deditionem venerunt. In Ligures de-
 inde tractus exercitus. Boii negligentius coactum
 agmen Romanorum, quia ipsi procul abesse vide-

U. C. 556. rentur, inproviso adgressuros se rati, per occultos
 A. C. 196. saltus secuti sunt: quos non adepti, Pado repente
 navibus trajecto, Lævos Libuosque quum pervas-
 tassent, redeuntes inde Ligurum extremo fine, cum
 agresti præda, in agmen incidunt Romanum. Ce-
 lerius prælium acriusque commissum, quam si tem-
 pore locoque ad certamen destinatis, præparatis ani-
 mis concurrissent. Ibi, quantam vim ad stimulan-
 dos animos ira haberet, adparuit: nam ita cædis
 magis, quam victoriæ, avidi pugnarunt Romani, ut
 vix nuncium cladis hosti relinquerent. Ob eas res
 gestas, consulum literis Romam adlatis, supplicatio
 in triduum decreta est. Brevi post Marcellus Ro-
 mam venit, triumphusque ei magno consensu Pa-
 trum est decretus. Triumphavit in magistratu de
 Insubribus Comensibusque. Boiorum triumphi
 spem collegæ reliquit: quia ipsi proprie adversa
 pugna in ea gente evenerat, collegæ secunda. Multa
 spolia hostium captivis carpentis traducta, multa
 militaria signa lata, æris trecenta viginti millia, ar-
 genti bigati ducenta triginta quatuor millia: in pe-
 dites singulos dati octingenti æris: triplex equiti
 centurionique.

Vincun-
 tur acie
 Boii.

Marcellus
 trium-
 phat.

Antiochus
 Asiam oc-
 cupare ni-
 titur.

XXXVIII. Eodem anno Antiochus rex, quum
 hibernasset Ephesi, omnes Asiæ civitates in anti-
 quam imperii formulam redigere est conatus: reli-
 quas quidem, aut quia locis planis positæ erant, aut
 quia parum mœnibus armisque ac juventuti fide-
 bant, haud difficulter jugum accepturas. Smyrna
 et Lampsacus libertatem usurpabant: periculumque
 erat, ne, si concessum his foret, quos in Theba
 Smyrnam in Æolide Ionique, Lampsacum in Hel-

lesponto, aliæ urbes sequerentur. Igitur et ipse ab Epheso ad Smyrnam obsidendam misit: et, quæ Abydi copiæ erant, præsidio tantum modico relicto, duci ad Lampsacum obpugnandum jussit. Nec vi tantum terrebat: sed, per legatos leniter adloquendo castigandoque temeritatem et pertinaciam, spem conabatur facere, brevi, quæ peterent, habituros; sed quum satis et ipsis, et omnibus aliis adpareret, ab rege inpetratam eos libertatem, non per occasionem raptam, habere. Adversus quæ respondebant, *Nihil neque mirari, neque succensere Antiochum debere, si spem libertatis differri non satis æquo animo paterentur.* Ipse initio veris, navibus ab Epheso profectus, Hellespontum petit; terrestres copias Madytum trajicit, Chersonesi urbem; terrestri navalem exercitum junxit: et, quia clauserant portas, circumdedit mœnia armatis, et jam opera admoventi, deditio est facta: idem metus tum incolentes alias Chersonesi urbes in deditioem dedit. Lysimachiam inde omnibus simul navalibus terrestribusque copiis venit: quam quum desertam ac stratam prope ruinis invenisset, (ceperant autem, direptamque incenderant Thraces paucis ante annis) cupido eum restituendi nobilem urbem, et loco sitam opportuno, cepit. Itaque omni cura simul est adgressus et tecta murosque restituere, et partim redimere servientes Lysimachienses, partim fuga sparsos per Hellespontum Chersonesumque conquerere contrahereque: partim novos colonos, spe commodorum proposita, adscribere, et omni modo frequentare. Simul ut Thracum submoveretur metus, ipse parte dimidia terrestrium copiarum ad depopu-

U. C. 556.
A. C. 196.

Chersonesum occupat.

Lysimachiam restituit.

U. C. 556. landum proxima Thraciæ est profectus : partem
 A. C. 196. navalesque socios omnes reliquit in operibus reficiendæ urbis.

Legatorum Rom.
 cum Antiocho
 conloquium.

XXXIX. Sub hoc tempus et L. Cornelius missus ab senatu ad dirimenda inter Antiochum Ptolemæumque reges certamina, Selymbriæ substitit : et decem legatorum P. Lentulus a Bargyliis, P. Villius et L. Terentius a Thasso, Lysimachiam petierunt : eodem et a Selymbria L. Cornelius, et ex Thracia post paucos dies Antiochus convenerunt. Primus congressus cum legatis, et deinceps invitatio benigna et hospitalis fuit : ut de mandatis statuque præsentis Asiæ agi cœptum est, animi exasperati sunt. Romani, omnia acta ejus, ex quo tempore e Syria classe solvisset, displicere senatui, non dissimulabant, restituique Ptolemæo civitates omnes, quæ ditionis ejus fuissent, æquum censebant. *Nam quod ad eas civitates adtineret, quas a Philippo possessas Antiochus per occasionem, averso Philippo in Romanum bellum, interceptisset, id vero ferendum non esse, Romanos per tot annos terra marique tanta pericula ac labores exhausisse, Antiochum belli præmia habere. Sed ut in Asiam adventus ejus dissimulari ab Romanis, tamquam nihil ad eos pertinens, potuerit ; quod jam etiam in Europam omnibus navalibus terrestribusque copiis transierit, quantum a bello aperto Romanis abesse ? Illum quidem, etiamsi in Italiam trajiciat, negaturum.*

XI. Ad ea rex, *Satis jam ante videre se, Romanos inquirere, quid regi Antiocho faciendum ; at, quousque terra marique progrediendum fuerit ipsis, non cogitare. Asiam nihil ad populum Romanum pertinere :*

*nec magis illis inquirendum esse, quid Antiochus in Asia, quam Antiocho, quid in Italia populus Romanus faciat. Quod ad Ptolemæum adtineat, cui ademptas civitates querantur; sibi cum Ptolemæo et amicitiam esse, et id agere se, ut brevi etiam adfinitas jungatur. Nec ex Philippi quidem adversa fortuna spolia ulla se petisse: aut adversus Romanos in Europam trajecisse, ***** fuerit, (quo victo omnia, quæ illius fuissent, jure belli Seleuci facta sint) existimare suæ ditionis esse. Occupatis majoribus suis rerum aliarum alia cura, primo quædam ex his Ptolemæum, deinde et Philippum, usurpando aliena possedisse: sicut quædam ex proxima Thracia, quæ indubitate Lysimachi fuerint. Ad ea facienda in antiquum venisse: et Lysimachiam, deletam Thracum inpetu, de integro condere, ut Seleucus filius eam sedem regni habeat.*

XLI. His disceptationibus per dies aliquot habitis, rumor sine ullo satis certo auctore adlatus de morte Ptolemæi regis, ut nullus exitus inponeretur sermonibus. Nam dissimulabat pars utraque se audisse; et L. Cornélius, cui legatio ad duos reges, Antiochum Ptolemæumque, mandata erat, spatium modici temporis ad conveniendum Ptolemæum petebat: ut, priusquam moveretur aliquid in nova possessione regni, perveniret in Ægyptum; et Antiochus suam fore Ægyptum, si tum occasio esset, censebat. Itaque, dimissis Romanis, relictoque Seleuco filio cum terrestribus copiis ad restituendam, ut instituerat, Lysimachiam, ipse omni classe navigans Ephesum, legatis ad Quinctium missis, qui ad fidem de societate agerent, oram Asiæ legens, pervenit in Lyciam: Patariisque cognito, vivere Ptolemæum, navigandi quidem in Ægyptum omissum consilium

Re infecta
disceditur.

U. C. 556. est. Cyprum nihilominus tendens, quum Chelidonium promontorium superasset, paullisper seditioe remigum est retentus in Pamphylia circa Eurymedontem amnem. Inde profectum eum ad capita (quæ vocant) Sari fluminis fæda tempestas oborta prope eum omni classe demersit: multæ naves ejectæ: multæ ita haustæ mari, ut nemo in terram enaverit. Magna vis hominum ibi interiit, non remigum tantum militumque ignotorum, sed etiam insignium amicorum. Conlectis reliquiis naufragii, quum res non in eo esset, ut Cyprum tentaret, minus opulento agmine, quam profectus erat, Seleuciam redit: ibi subduci navibus jussis (jam enim et hiems instabat) ipse in hiberna Antiochiam processit. In hoc statu regum erant res.

Triumviri epulones. XLII. Romæ eo primum anno triumviri epulones facti, C. Licinius Lucullus tribunus, qui legem de creandis his tulerat, P. Manlius, et P. Porcius Læca: his triumviris, item ut pontificibus, lege datum togæ prætextæ habendæ jus. Sed magnum certamen cum omnibus sacerdotibus eo anno fuit quæstoribus urbanis, Q. Fabio Labeoni et L. Aurelio. Pecunia opus erat, quod ultimam pensionem pecuniæ in bellum conlatæ persolvere placuerat privatis. Quæstores ab auguribus pontificibusque, quod stipendium per bellum non contulissent, petebant: ab sacerdotibus tribuni nequidquam adpellati, omniumque annorum, per quos non dederant, exactum est. Eodem anno duo mortui pontifices, novique in eorum locum subfecti, M. Marcellus consul in locum C. Sempronii Tuditani, qui prætor in Hispania decesserat: et L. Valerius in locum M. Cornelii Cethegi. Et Q. Fabius Maximus augur mortuus est

Tributum a sacerdotibus solutum.

admodum adolescens, priusquam ullum magistratum U. C. 556.
 caperet : nec eo anno augur in ejus locum est sub- A. C. 196.
 ductus. Comititia inde consularia habita a M. Mar-
 cello consule : creati consules L. Valerius Flaccus,
 M. Porcius Cato. Prætores inde facti C. Fabricius
 Luscinus, C. Atinius Labeo, Cn. Manlius Vulso,
 Ap. Claudius Nero, P. Manlius, P. Porcius Læca.
 Ædiles curules, M. Fulvius Nobilior et C. Flami-
 nius, tritici decies centum millia binis æris populo
 diviserunt : id C. Flaminii honoris causa ipsius,
 patrisque, advexerant Siculi Romam. Flaminius
 gratiam ejus communicaverat cum collega. Ludi
 Romani et adparati magnifice sunt, et ter toti in-
 staurati. Ædiles plebis, Cn. Domitius Ahenobarbus
 et C. Scribonius Curio, multos pecuarios ad populi
 judicium adduxerunt : tres ex his condemnati sunt ;
 ex eorum multatitia pecunia ædem in insula Fauni
 fecerunt. Ludi plebei per biduum instaurati, et
 epulum fuit ludorum causa.

XLIII. L. Valerius Flaccus et M. Porcius, quo U. C. 557.
 die magistratum inierunt, de provinciis quum ad A. C. 195.
 senatum retulissent, Patres censuerunt, *Quum in*
Hispania tantum glisceret bellum, ut jam consulari et
duce et exercitu opus esset, placere, consules Hispan-
iam citeriorem et Italiam provincias aut comparare
inter se, aut sortiri. Utri Hispania provincia evenis-
set, eum duas legiones et quinque millia socium Latini
nominis, et quingentos equites secum portare, et naves
longas viginti ducere. Alter consul duas legiones
scriberet. His Galliam provinciam obtineri satis esse,
fractis proximo anno Insubrium et Boiorum animis.
 Cato Hispaniam, Valerius Italiam est sortitus.
 Prætores deinde provincias sortiti, C. Fabricius Lus-

U. C. 557. cinus urbanam, C. Atinius Labeo peregrinam, Cn. A. C. 195. Manlius Vulso Siciliam, Ap. Claudius Nero Hispaniam ulteriorem, P. Porcius Læca Pisas, ut ab tergo Liguribus esset: P. Manlius in Hispaniam citeriorem adjutor consuli datur. T. Quinctio, suspectis non solum Antiocho et Ætolis, sed etiam Nabide Lacedæmoniorum tyranno, prorogatum in annum imperium est, duas legiones ut haberet: in eas si quid supplementi opus esset, consules scribere, et mittere in Macedoniam jussi. Ap. Claudio præter legionem, quam Q. Fabius habuerat, duo millia peditum et ducentos equites novos conscribere permissum. Par numerus peditum equitumque novorum P. Manlio in citeriorem Hispaniam decretus: et legio eadem, quæ fuerat sub Minucio prætore, data. Et P. Porcio Læcæ ad Etruriam circa Pisas duo millia peditum et quingenti equites ex Gallico exercitu decreti. In Sardinia prorogatum imperium Sempronio Longo.

XLIV. Provinciis ita distributis, consules, priusquam ab urbe proficiscerentur, ver sacrum ex pontificum jussu fecere, quod A. Cornelius Mammula prætor voverat de senatus sententia populique jussu, Cn. Servilio, C. Flamini^o consulibus: annis post uno et viginti factum est, quam votum. Per eosdem dies C. Claudius, Ap. filius, Pulcher augur in Q. Fabii Maximi locum, qui priore anno mortuus erat, lectus inauguratusque est. Mirantibus jam vulgo hominibus, quod Hispania movisset, bellum negligi, literæ a Q. Minucio adlatæ sunt, *Se ad Turbam oppidum cum Budare et Besaside, imperatoribus Hispanis, signis conlatis prospere pugnasse: duodecim millia hostium cæsa: Budarem imperatorem captum:*

Victi a
Minucio
Hispani.

ceteros fusos fugatosque. His literis lectis, minus U. C. 557.
 terroris ab Hispanis erat, unde ingens bellum ex- A. C. 195.
 spectatum fuerat. Omnes curæ, post adventum
 utique decem legatorum, in Antiochum regem con-
 versæ. Hi, expositis prius, quæ cum Philippo acta
 essent, et quibus legibus data pax, non minorem
 belli molem restare ab Antiocho docuerunt. *In-*
genti classe, egregio terrestri exercitu, in Europam
eum trajecisse: nisi avertisset vana spes, ex vaniore
rumore orta, Ægypti invadendæ, mox bello Græciam
arsuram fuisse: neque enim ne Ætolos quidem quietu-
ros, quum ingenio inquietam, tum iratam Romanis
gentem. Harere et aliud in visceribus Græciæ ingens
malum, Nabin, nunc Lacedæmoniorum, mox, si liceat,
universæ Græciæ futurum tyrannum: avaritia et cru-
delitate omnes fama celebrâtos tyrannos æquantem. Cui
si Argos, velut arcem Peloponneso inpositam, tenere
liceat, deportatis in Italiam Romanis exercitibus, ne-
quidquam liberatam a Philippo Græciam fore, pro
rege, si nihil aliud, longinquo vicinum tyrannum do-
minum habituram.

XLV. Hæc quum jam ab gravibus auctoribus,
 tum qui omnia per se ipsos explorata referrent, au-
 dirent majores; quod ad Antiochum adtineret, ma-
 turanda his, quum rex quacumque de causa in
 Syriam concessisset, de tyranno consultatio visa est.
 Quum diu disceptatum esset, utrum jam causæ
 satis videretur, cur decerneretur, an permetterent T.
 Quinctio: quod ad Nabin Lacedæmonium adtine-
 ret, faceret, quæ e republica censeret esse, permise-
 runt; eam rem esse rati, quæ maturata dilatave
 non tam magni momenti ad summam rem populi
 Romani esset. Magis id animadvertendum esse,

U. C. 557. quid Hannibal et Karthaginienses, si cum Antiocho
 A. C. 195. ortum foret bellum, acturi essent. Adversæ Han-
 Hannibal nibali factionis homines principibus Romanis, ami-
 et Kartha- nis quisque suis, idemtidem scribebant, *Nuncios lite-
 ginienses rasque ab Hannibale ad Antiochum missas, et ab rege
 suspecti. ad eum clam legatos venisse. Ut feras quasdam num-
 quam mitescere; sic inmitem, implacibilem ejus viri
 animum esse: marcescere otio situque civitatem, queri
 eum, et inertia operis; nec sine armorum sonitu exci-
 tari posse.* Hæc probabilia memoria prioris belli,
 per unum illum non magis gesti, quam moti, facie-
 bat. Irritaverat etiam recenti facto multorum po-
 tentium animos.

Judices
 Kartha-
 gine ex
 perpetuis
 annui
 facti.

XLVI. Judicum ordo Karthagine ea tempestate
 dominabatur; eo maxime, quod iidem perpetui ju-
 dices erant. Res, fama, vitaque omnium in illo-
 rum potestate erat: qui unum ejus ordinis, idem
 omnes adversos habebat; nec accusator apud judi-
 ces infensos deerat. Horum in tam inpotenti regno
 (neque enim civiliter nimiis opibus utebantur) præ-
 tor factus Hannibal vocare ad se quæstorem. Idem
 pro nihilo habuit: nam et adversæ factionis erat:
 et, quia ex quæstura in judices, potentissimum or-
 dinem, referebantur, jam pro futuris mox opibus
 animos gerebat. Enimvero indignum id ratus Han-
 nibal, viatorem adprehendendum quæstorem mi-
 sit: subductumque in concionem, non ipsum ma-
 gis, quam ordinem judicum, præ quorum superbia
 atque opibus nec leges quidquam essent, nec ma-
 gistratus, accusavit: et, ut secundis auribus accipi
 orationem animadvertit, et infimorum quoque liber-
 tati gravem esse superbiam eorum, legem extemplo
 promulgavit, pertulitque, *Ut in singulos annos judi-*

ees legerentur, ne quis biennium continuum judex esset. U. C. 557.
 Ceterum quantum eo facto ad plebem inierat gra- A. C. 195.
 tiam, tantum magnæ partis principum offendebat
 animos. Adjecit aliud, quod, bono publico, sibi
 proprias simultates irritavit. Vectigalia publica par- Ærarii ino-
 tim negligentia dilabebantur; partim prædæ ac di- piæ mede-
 visui principum quibusdam et magistratibus erant: tur Hanni-
 bal.
 quin et pecunia, quæ in stipendium Romanis suo
 quoque anno penderetur, deerat, tributumque grave
 privatis imminere videbatur.

XLVII. Hannibal postquam, vectigalia quanta
 terrestria maritimaque essent, et in quas res eroga-
 rentur, animadvertit, et quid eorum ordinarii rei-
 publicæ usus consumerent, quantum peculatus aver-
 teret; omnibus residuis pecuniis exactis, tributo
 privatis remisso, satis locupletem rempublicam fore
 ad vectigal præstandum Romanis, pronunciavit in
 concione, et præstitit promissum. Tum vero isti,
 quos paverat per aliquot annos publicus peculatus,
 velut bonis ereptis, non furto eorum manibus ex-
 torto, infensi et irati Romanos in Hannibalem, et
 ipsos caussam odii quærentes, instigabant. Itaque, Romani,
 legatis mis-
 sis, Hanni-
 balem ac-
 cusant.
 diu repugnante Scipione Africano, quia parum ex
 populi Romani dignitate esse ducebat, subscribere
 odiis accusationibusque Hannibalis, et factionibus
 Karthaginensium inserere publicam auctoritatem,
 nec satis habere bello vicisse Hannibalem, nisi vel-
 ut accusatores calumniam in eum jurarent, ac no-
 men deferrent, tandem pervicerunt, ut legati Kar-
 thaginem mitterentur, qui apud senatum eorum ar-
 guerent, Hannibalem cum Antiocho rege consilia
 belli faciendi inire. Legati tres missi, C. Servilius,
 M. Claudius Marcellus, Q. Terentius Culleo: qui

U. C. 557. quum venissent, ex consilio inimicorum Hannibalis,
 A. C. 195. quærentibus causam adventus dici jusserunt; venisse ad controversias, quæ cum Masinissa rege Numidarum Karthaginiensibus essent, dirimendas: id creditum vulgo. Hannibalem unum se peti ab Romanis non fallebat; et ita pacem Karthaginensibus datam esse, ut inexpiabile bellum adversus se unum maneret. Itaque cedere tempori et fortunæ statuit; et, præparatis jam omnibus ante ad fugam, obversatus eo die in foro avertendæ suspicionis causa, primis tenebris vestitu forensi ad portam cum duobus comitibus ignaris consilii est egressus.

Aufugit Hannibal. XLVIII. Quum equi, quo in loco jussi erant, præsto fuissent, nocte via cita regionem quamdam agri Vocani transgressus, postero die mane inter Achollam et Thapsum ad suam turrim pervenit. Ibi eum parata instructaque remigio excepit navis: ita Africa Hannibal excessit, sæpius patriæ, quam suorum eventus miseratus. Eo die in Cercinam insulam trajecit: ubi quum in portu naves aliquot onerarias cum mercibus invenisset, et ad egressum eum e nave concursus salutantium esset factus; percontantibus legatum se Tyrum dici jussit. Veritus tamen, ne qua earum navis nocte profecta Thapsum aut Achollam nunciaret, se Cercinæ visum, sacrificio adparari jusso, magistrorum navium mercatoresque invitari jussit: et vela cum antennis ex navibus conrogari, ut umbra (etenim media æstas forte erat) cœnantibus in litore fieret. Quantum res et tempus patiebantur, adparatæ celebratæque ejus dici epulæ sunt: multoque vino in serum noctis convivium productum. Hannibal, quam primum fallendi eos, qui in portu erant, tempus habuit, navem solvit:

ceteri sopiti quum postero die tandem ex somno U. C. 557.
 pleni crapulae surrexissent, id quod serum erat, ali- A. C. 195.
 quot horas remis in naves conlocandis et aptandis
 armamentis absunserunt. Karthagine et multitu-
 dinis, adsuetae domum Hannibalis frequentare, con-
 cursus ad vestibulum aedium est factus: et, ut non
 comparere eum vulgatum est, in forum turba con-
 venit principem civitatis quaerentium, et alii fugam
 conscisse, (id quod erat,) alii fraude Romanorum
 interfectum, idque magis, ferebant: variosque vul-
 tus cerneret, ut in civitate aliorum alias partes fo-
 ventium factionibus. Visum deinde Cercinae eum,
 tandem adlatum est.

XLIX. Romani legati quum in senatu exposuis-
 sent, *Compertum Patribus Romanis esse, et Philip-
 pum regem ante ab Hannibale maxime accensum, bel-
 lum populo Romano fecisse, et nunc literas nunciosque
 ab eo ad Antiochum regem profectos: haud quieturum
 ante, quam bellum toto orbe terrarum concisset. Ne
 his debere inpune esse, si satisfacere Karthaginienses
 populo Romano vellent, nihil eorum sua voluntate, nec
 publico consilio factum esse.* Karthaginienses re-
 sponderunt, quicquid aequum censuissent Romani,
 facturos esse. Hannibal prospero cursu Tyrum
 pervenit: exceptusque a conditoribus Karthaginis,
 ut alia patria, vir tam clarus omni genere honorum,
 paucos moratus dies, Antiochiam navigat: ibi pro-
 fectum jam regem quum audisset, filium ejus sol-
 lemne ludorum ad Daphnen celebrantem convenis-
 set: comiter ab eo exceptus, nullam moram navi-
 gandi fecit. Ephesi regem est consecutus, fluc-
 tuantem adhuc animo, incertumque de Romano
 bello; sed haud parvum momentum animo ejus

Pervenit
 ad Antio-
 chum.

U. C. 557. ad moliendum adventus Hannibalis fecit. Ætolo-
A. C. 195. rum quoque eodem tempore alienati ab societate
Romana animi sunt: quorum legatos Pharsalum et
Leucadem, et quasdam alias civitates ex primo fœ-
dere petentes, senatus ad Quinctium rejecit.

EPITOME LIBRI XXXIV.

LEX Oppia, quam C. Oppius tribunus plebis bello Punico de finiendis matronarum cultibus tulerat, cum magna contentione abrogata est; quum Porcius Cato auctor fuisset, ne ea lex aboleretur. Is, in Hispaniam profectus, bello, quod Emporiis orsus est, citeriorem Hispaniam pacavit. T. Quinctius Flaminius bellum adversus Lacedæmonios et tyrannum eorum Nabidem prospere gestum, data iis pace, qualem ipse voluit, liberatisque Argis, qui sub ditone tyranni erant, finivit. Senatus tunc primum secretus a populo ludos spectavit: ut id fieret, Sex. Ælius Pactus et C. Cornelius Cethegus censores intervenerunt, cum indignatione plebis. Coloniae pleræque deductæ sunt. M. Porcius Cato de Hispania triumphavit. Res præterea in Hispania, et adversus Boios et Insubres Gallos feliciter gestæ referuntur. T. Quinctius Flaminius, qui Philippum Macedonum regem et Nabidem Lacedæmoniorum tyrannum vicerat, Græciamque omnem liberaverat, ob hanc rerum gestarum multitudinem tri-duo triumphavit. Legati Karthaginensium nunciaverunt, Hannibalem, qui ad Antiochum confugerat, bellum cum eo moliri. Tentaverat autem Hannibal per Aristonem Tyrium, sine literis Karthaginem missum, ad rebellandum Pænos concitare.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XXXIV.

U. C. 557.
A. C. 195.
Contentiones de
lege Oppia.

INTER bellorum magnorum, aut vixdum finitorum, aut imminentium, curas intercessit res parva dictu, sed quæ studiis in magnum certamen excesserit. M. Fundanius et L. Valerius tribuni plebei ad plebem tulerunt de Oppia lege abroganda. Tulerat eam C. Oppius tribunus plebis, Q. Fabio, Ti. Sempronio consulibus, in medio ardore Punici belli, *Ne qua mulier plus semunciam auri haberet: neu vestimento versicolori uteretur: neu juncto vehiculo in urbe oppidove, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum caussa, veheretur.* M. et P. Junii Bruti tribuni plebis legem Oppiam tuebantur, nec eam se abrogari passuros aiebant. Ad suadendum dissuadendumque multi nobiles prodibant. Capitolium turba hominum faventium adversantiumque legi complebatur. Matronæ nulla nec auctoritate, nec verecundia, nec imperio virorum contineri limine poterant: omnes vias urbis aditusque in forum obsidebant; viros descendentes ad forum orantes, ut, florente republica, crescente in dies privata omnium fortuna, matronis quoque pristinum ornatum reddi paterentur. Augebatur hæc frequentia mulierum in dies: nam etiam ex oppidis conciliabulisque conveniebant. Jam et consules prætoresque et alios ma-

gistratus adire et rogare audebant : ceterum minime U. C. 557.
 exorabilem alterum utique consulem M. Porcium A. C. 195.
 Catonem habebant, qui pro lege, quæ abrogabatur,
 ita disseruit.

II. *Si in sua quisque nostrum matre familia, Qui- Oratio Ca-
 rites, jus et majestatem viri retinere instituisset, minus tonis pro
 cum universis feminis negotii haberemus : nunc domi lege Oppia.
 victa libertas nostra in potentia muliebri, hic quoque in
 foro obteritur et calcatur ; et, quia singulas sustinere
 non potuimus, universas horremus. Equidem fabulam
 et fictam rem ducebam esse, virorum omne genus in ali-
 qua insula conjuratione muliebri ab stirpe sublatum
 esse. Ab nullo genere non summum periculum est, si
 cætus, et concilia, et secretas consultationes esse sinas.
 Atque ego vix statuere apud animum meum possum,
 utrum pejor ipsa res, an pejore exemplo agatur. Quo-
 rum alterum ad nos consules reliquosque magistratus,
 alterum ad vos, Quirites, magis pertineret : nam utrum
 e republica sit, necne, id, quod ad vos fertur, vestra
 existimatio est, qui in suffragium ituri estis. Hæc con-
 sternatio muliebris, sive sua sponte, sive auctoribus vo-
 bis, M. Fundani et L. Valeri, facta est, haud dubie ad
 culpam magistratum pertinens, nescio vobis, tribuni,
 an consulibus, magis sit deformis : vobis, si feminas ad
 concitandas tribunicias seditiones jam adduxistis : no-
 bis, si, ut plebis quondam, sic nunc mulierum secessione
 leges accipiendæ sunt. Equidem non sine rubore quo-
 dam paullo ante per medium agmen mulierum in forum
 perveni. Quod nisi me verecundia singularum magis
 majestatis et pudoris, quam universarum, tenuisset, ne
 compellatæ a consule viderentur, dixissem : Qui hic
 mos est in publicum procurrendi, et obsidendi vias, et
 viros alienos adpellandi ? Istud ipsum suos quæque*

U. C. 557. *domi rogare non potuistis? An blandiores in publico,*
 A. C. 195. *quam in privato, et alienis, quam vestris, estis? quam-*
quam ne domi quidem vos, si sui juris finibus matronas
conteret pudor, quæ leges hic rogarentur, abrogaren-
turve, curare decuit. Majores nostri, nullam, ne pri-
vatam quidem, rem agere feminas sine auctore, volue-
runt; in manu esse parentum, fratrum, virorum: nos
(si Diis placet) jam etiam rempublicam capessere eas
patimur, et foro prope, et concionibus, et comitiis in-
misceri. Quid enim nunc aliud per vias et compita
faciunt, quam rogationes tribunorum plebis suadent,
aliæ legem abrogandam censent? Date frenos inpotenti
naturæ et indomito animali, et sperate, ipsas modum
licentiæ facturas, nisi vos feceritis. Minimum hoc eo-
rum est, quæ iniquo animo feminæ sibi aut moribus aut
legibus injuncta patiuntur: omnium rerum libertatem,
immo licentiam, (si vera dicere volumus) desiderant.
Quid enim, si hoc expugnaverint, non tentabunt?

III. *Recensete omnia muliebria jura, quibus licen-*
tiam carum adligaverint majores nostri, per quæque
subjecerint viris: quibus omnibus constrictas vix tamen
continere potestis. Quid? si carpere singula, et extor-
quere, et exæquari ad extremum viris patiemini, tolera-
biles vobis eas fore creditis? extemplo, simul pares esse
cæperint, superiores erunt. At, Hercule, ne quid no-
vum in eas rogetur, recusant: non jus, sed injuriam
deprecantur. Immo ut, quam accepistis, jussistis suf-
fragiis vestris legem, quam usu tot annorum et expe-
riendo comprobastis, hanc ut abrogetis: id est, ut unam
tollendo legem ceteras infirmetis. Nulla lex satis com-
moda omnibus est: id modo quæritur, si majori parti
et in summam prodest. Si, quod cuiquam privatim
obficiet jus, id destruet ac demolietur, quid adtimebit

universos rogare leges, quas mox abrogare, in quos late sunt, possint? Volo tamen audire, quid sit, propter quod matronæ consternatæ procurrerunt in publicum, ac vix foro se et concione abstinere. Ut captivi ab Hannibale redimantur parentes, viri, liberi, fratres earum? Procul abest: absitque semper talis fortuna reipublicæ: sed tamen, quum fuit, negastis hoc piis precibus earum. At non pietas nec sollicitudo pro suis, sed religio, congregavit eas. Matrem Idaam, a Pessinunte ex Phrygia venientem, accepturæ sunt. Quid honestum dictu saltem seditioni prætenditur muliebri? Ut auro et purpura fulgeamus, inquit; ut carpentis, festis profestisque diebus, velut triumphantes de lege victi et abrogata, et captis et ereptis suffragiis vestris, per urbem vectemur: ne ullus modus sumtibus, ne luxuriæ sit.

IV. *Sæpe me querentem de feminarum, sæpe de virorum, nec de privatorum modo, sed etiam magistratum, sumtibus audistis: diversisque duobus vitiiis, avaritia et luxuria, civitatem laborare: quæ pestes omnia magna imperia everterunt. Hæc ego, quo melior lætiorque in dies fortuna reipublicæ est, imperiumque crescit, et jam in Græciam Asianque transcendimus, omnibus libidinum inlecebris repletus, et regias etiam adtractanus gazas, eo plus horreo, ne illæ magis res nos ceperint, quam nos illas. Infesta, mihi credite, signa ab Syracusis inlata sunt huic urbi: jam nimis multos audio Corinthi et Athenarum ornamenta laudantes mirantesque, et antefixa fictilia Deorum Romanorum ridentes. Ego hos malo propitios Deos; et ita spero futuros, si in suis manere sedibus patiemur. Patrum nostrorum memoria per legatum Cineam Pyrrhus, non virorum modo, sed etiam mulierum animos donis*

W. C. 557. *tentavit: nondum lex Oppia ad coercendam luxuriam*
 A. C. 195. *muliebrem lata erat: tamen nulla accepit. Quam*
causam fuisse censetis? Eadem fuit, quæ majoribus
nostris nihil de hac re lege sancienti: nulla erat luxu-
ria, quæ coerceretur. Sicut ante morbos necesse est
cognitos esse, quam remedia eorum; sic cupiditates
prius natæ sunt, quam leges, quæ iis modum facerent.
Quid legem Liciniam excitavit de quingentis jugeribus,
nisi ingens cupido agros continuandi? Quid legem Cin-
ciam de donis et muneribus, nisi quia vectigalis jam et
stipendiaria plebes esse senatui cæperat? Itaque minime
mirum est, nec Oppiam, nec aliam ullam tum legem
desideratam esse, quæ modum sumtibus mulierum face-
ret, quum aurum et purpuram data et oblata ultro non
accipiebant. Si nunc cum illis donis Cineas urbem cir-
cumiret; stantes in publico invenisset, quæ acciperent.
Atque ego nonnullarum cupiditatum ne causam qui-
dem aut rationem inire possum: nam ut, quod alii li-
ceat, tibi non licere, aliquid fortasse naturalis aut pu-
doris aut indignationis habeat; sic, æquato omnium
cultu, quid unaquæque vestram veretur, ne in se con-
spiciatur? Pessimus quidem pudor est vel parsimoniam,
vel paupertatis: sed utrumque lex vobis demit, quum
id, quod habere non licet, non habetis. Hanc, inquit,
ipsam exæquationem non fero, illa locuples: cur non
insignis auro et purpura conspicior? cur paupertas
aliarum sub hac legis specie latet, ut, quod habere non
possunt, habituræ, si liceret, fuisse videantur? Vultis
hoc certamen uxoribus vestris injicere, Quirites, ut di-
vites id habere velint, quod nulla alia possit; pau-
peres, ne ob hoc ipsum contemnantur, supra vires se
extendant? Næ, simul pudere, quod non oportet, cæ-
perit; quod oportet, non pudebit: quæ de suo pote-

rit, parabit : quæ non poterit, virum rogabit. *Miserum illum virum, et qui exoratus, et qui non exoratus erit ! quum, quod ipse non dederit, datum ab alio videbit. Nunc vulgo alienos viros rogant, et, quod majus est, legem et suffragia rogant, et a quibusdam impetrant, adversus te, et rem tuam, et liberos tuos inexorabiles. Simul lex modum sumptibus uxoris tuæ facere desierit, tu numquam facies. Nolite eodem loco existimare, Quirites, futuram rem, quo fuit, antequam lex de hoc ferretur. Et, hominem improbum non accusari, tutius est, quam absolvi : et luxuria non mota tolerabilior esset, quam erit nunc, ipsis vinculis, sicut fera bestia, irritata, deinde emissa. Ego nullo modo abrogandam legem Oppiam censeo : vos quod faxitis, Deos omnes fortunare velim.*

V. Post hæc tribuni quoque plebei, qui se intercessuros professi erant, quum pauca in eandem sententiam adjecissent ; tum L. Valerius pro rogatione ab se promulgata ita disseruit. *Si privati tantummodo ad suadendum dissuadendumque id, quod a nobis rogatur, processissent, ego quoque, quum satis dictum pro utraque parte existimarem, tacitus suffragia vestra exspectassem. Nunc, quum vir gravissimus consul M. Porcius, non auctoritate solum, quæ tacita satis momenti habuisset, sed oratione etiam longa et accurata insectatus sit rogationem nostram, necessum est paucis respondere : qui tamen plura verba in castigandis matronis, quam in rogatione nostra dissuadenda, consumsit ; et quidem, ut in dubio poneret, utrum id, quod reprehenderet, matronæ sua sponte, an nobis auctoribus, fecissent. Rem defendam, non nos ; in quos jecit magis hoc consul verbo tenus, quam ut re insimu-*

U. C. 557.
A. C. 195.

Oratio Valerii tr. pl. contra legem.

U. C. 557. *laret. Cætum, et seditiones, et interdum secessionem*
 A. C. 195. *muliebrem adpellavit, quod matronæ in publico vos*
rogassent, ut legem, in se latam per bellum temporibus
duris, in pace et florente ac beata republica abrogaretis.
Verba magna, quæ rei augendæ causa conquirantur, et
hæc, et alia esse scio: et M. Catonem oratorem non
solum gravem, sed interdum etiam trucem, esse scimus
omnes, quum ingenio sit mitis. Nam quid tandem novi
matronæ fecerunt, quod frequentes in causa ad se per-
tinente in publicum processerunt? Numquam ante hoc
tempus in publico adparuerunt? Tuas adversus te Ori-
gines revolvam. Accipe, quoties id fecerint, et quidem
semper bono publico. Jam a principio, regnante Ro-
mulò, quum Capitolio ab Sabinis capto, medio in foro
signis conlatis d'micaretur, nonne intercurso matrona-
rum inter acies duas prælium sedatum est? Quid? re-
gibus exactis, quum Coriolano Marcio duce, legiones
Volscorum castra ad quintum lapidem posuissent, nonne
id agmen, quo obruta hæc urbs esset, matronæ averter-
runt? Jam, urbe capta a Gallis, quo redempta urbs
est? nempe aurum matronæ consensu omnium in publi-
cum contulerunt. Proximo bello (ne antiqua repetam)
nonne et, quum pecunia opus fuit, viduarum pecuniæ
adjuverunt ærarium, et, quum Dii quoque novi ad
opem ferendam dubiis rebus arcesserentur, matronæ
universæ ad mare profectæ sunt ad matrem Idæam
accipiendam? Dissimiles, inquis, causæ sunt. Nec
mihî causas æquare propositum est: nihil novi fac-
tum, purgare satis est. Ceteram, quod in rebus ad
omnes pariter viros feminasque pertinentibus fecisse
eas nemo miratus est, in causa proprie ad ipsas
pertinente miramur fecisse? Quid autem fecerunt?

superbas, me-Dius-fidius, aures habemus, si, quum do- U. C. 557.
mini servorum non fastidiant preces, nos rogari ab ho- A. C. 195.
nestis feminis indignamur.

VI. *Venio nunc ad id, de quo agitur: in quo duplex consulis oratio fuit: nam et legem ullam omnino abrogari est indignatus; et eam præcipue legem, quæ luxuriæ muliebris coërrendæ causa lata esset. Et illa communis pro legibus, visa consularis oratio est: et hæc adversus luxuriam severissimis moribus conveniebat. Itaque periculum est, nisi, quid in utraque re vani sit, docuerimus, ne quis error vobis obfundatur. Ego enim, quemadmodum ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis causa in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut usus coarguit, aut status aliquis reipublicæ inutilem fecit; sic, quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales (ut ita dicam) et temporibus ipsis mutabiles esse video. Quæ in pace latæ sunt, plerumque bellum abrogat; quæ in bello, pax: ut in navis administratione alia in secundam, alia in adversam tempestatem usui sunt. Hæc quum ita natura distincta sint, ex utro tandem genere ea lex esse videtur, quam abrogamus? An vetus regia lex, simul cum ipsa urbe nata? An (quod secundum est) ab decemviris ad condenda jura creatis in duodecim tabulis scripta? Sine qua quum majores nostri non existimarint decus matronale servari posse, nobis quoque verendum sit, ne cum ea pudorem sanctitatemque feminarum abrogemus? Quis igitur nescit, novam istam legem esse, Q. Fabio et Ti. Sempronio consulibus viginti annis ante latam? sine qua quum per tot annos matronæ optimis moribus vixerint, quod tandem, ne abrogata ea effundantur ad luxuriam, periculum est? Nam si ista lex ideo lata esset,*

U. C. 557. *ut finiret libidinem muliebrem, verendum foret, ne ab-*
 A. C. 195. *rogatu incitaret: cur sit autem lata, ipsum indicavit*
tempus. Hannibal in Italia erat victor ad Cannas: ad
jam Tarentum, jam Arpos, jam Capuam habebat: ad
urbem Romam admoturus exercitum videbatur: defe-
cerant socii: non milites in supplementum, non socios
navales ad classem tuendam, non pecuniam in ærario
habebamus: servi, quibus arma darentur, ita ut pretium
pro iis bello perfecto dominis solveretur, emebantur: in
eamdem diem pecuniæ, frumentum et cetera, quæ belli
usus postulabant, præbenda publicani se conducturos
professi erant: serros ad remum, numero ex censu con-
stituto, cum stipendio nostro dabamus: aurum et ar-
gentum omne, ab senatoribus ejus rei initio orto, in
publicum conferebamus: viduæ et pupilli pecunias suas
in ærarium deferebant: cautum erat, quo ne plus auri
et argenti facti, quo ne plus signati argenti et aris
domi haberemus. Tali tempore in luxuria et ornatu
matronæ occupatæ erant, ut ad eam cœercendam lex
Oppia desiderata sit? quum, quia Cereris sacrificium,
ludentibus omnibus matronis, intermissum erat, senatus
finiri luctum triginta diebus jussit. Cui non adparet,
inopiam et miseriam civitatis, et quia omnium privato-
rum pecuniæ in usum publicum vertendæ erant, istam
legem scripsisse, tamdiu mansuram, quamdiu causa
scribendæ legis mansisset? Nam si, quæ tunc temporis
causa aut decrevit senatus, aut populus jussit, in per-
petuum servari oportet, cur pecunias reddimus privatis?
cur publica præsentî pecuniâ locamus? cur servi, qui
militent, non emuntur? cur privati non damus remiges,
sicut tunc dedimus?

VII. *Omnes alii ordines, omnes homines mutationem*
in meliorem statum reipublicæ sentient: ad conjuges

tantum nostras pacis et tranquillitatis publicæ fructus non perveniet? Purpura viri utemur, prætextati in magistratibus, in sacerdotiis; liberi nostri prætextis purpura togis utentur; magistratibus in coloniis municipiisque, hic Romæ infimo generi magistris vicorum togæ prætextæ habendæ jus permittemus; nec id ut vivi solum habeant tantum insigne, sed etiam ut cum eo crementur mortui: feminis duntaxat purpuræ usum interdicens? et, quum tibi viro liceat purpura in veste stragula uti, matrem familiæ tuam purpureum amiculum habere non sines? et equus tuus speciosius instratus erit, quam uxor vestita? Sed in purpura, quæ teritur, absumitur, injustam quidem, sed aliquam tamen, causam tenacitatis video: in auro vero, in quo præter manus pretium nihil intertrimenti fit, quæ malignitas est? præsidium potius in eo est et ad privatos, et ad publicos usus, sicut experti estis. Nullam æmulationem inter se singularum, quando nulla haberet, esse aiebat. At, Hercule, universis dolor et indignatio est, quum sociorum Latini nominis uxoribus vident ea concessa ornamenta, quæ sibi adempta sint; quum insignes eas esse auro et purpura; quum illas vehi per urbem, se pedibus sequi: tamquam in illarum civitatibus, non in sua, imperium sit. Virorum hoc animos vulnerare posset: quid muliercularum censetis, quas etiam parva movent? Non magistratus, nec sacerdotia, nec triumpho, nec insignia, nec dona, aut spolia bellica his contingere possunt. Munditiæ, et ornatus, et cultus, hæc feminarum insignia sunt: his gaudent et gloriantur; hunc mundum muliebrem adpellarunt majores nostri. Quid aliud in luctu, quam purpuram atque aurum deponunt? quid, quum eluxerunt, sumunt? quid in gratulationibus supplicationibusque, nisi excellentiores or-

U. C. 557.

A. C. 195.

D. C. 557. *natus, adjiciunt ? Scilicet, si legem Oppiam abrogaveritis, non vestri arbitrii erit, si quid ejus vetare volueritis, quod nunc lex vetat : minus filiae, uxores, sorores etiam quibusdam in manu erunt. Numquam, salvis suis, exiit servitus muliebris : et ipsae libertatem, quam viduitas et orbitas facit, detestantur. In vestro arbitrio suum ornatum, quam in legis, malunt esse. Et vos in manu et tutela, non in servitio, debetis habere eas ; et malle patres vos aut viros, quam dominos, dici. Invidiosis nominibus utebatur modo consul, seditionem muliebrem et secessionem adpellando. Id enim periculum est, ne Sacrum montem, sicut quondam irata plebs, aut Aventinum capiant. Patiendum huic infirmitati est, quodcumque vos censueritis : quo plus potestis, eo moderatius imperio uti debetis.*

Oppia lex
abrogata.

VIII. Hæc quum contra legem proque lege dicta essent, aliquanto major frequentia mulierum postero die sese in publicum effudit, unoque agmine omnes tribunorum januas obsederunt, qui collegarum rogationi intercedebant : nec ante abstiterunt, quam remissa intercessio ab tribunis esset. Nulla deinde dubitatio fuit, quin omnes tribus legem abrogarent : anno vigesimo post abrogata est, quam lata. M. Porcius consul, postquam abrogata est Oppia lex, extemplo viginti quinque navibus longis (quinque sociorum erant) ad Lunæ portum profectus, eodem exercitu convenire jussu, et, edicto per oram maritimam misso, navibus omnis generis contractis, ab Luna proficiscens edixit, ut ad portum Pyrenæi sequerentur : inde se frequenti classe ad hostes iturum. Prætervecti Ligustinos montes sinumque Gallicum, ad diem, quam edixerat, convenerunt : inde Rhodam ventum, et præsidium Hispanorum, quod

Cato it in
Hispaniam.

in castello erat, vi dejectum. Ab Rhoda secundo U. C. 557.
 vento Emporias perventum: ibi copiæ omnes, præ- A. C. 195.
 ter socios navales, in terram expositæ.

IX. Jam tunc Emporiæ duo oppida erant muro Emporia-
 divisa. Unum Græci habebant, a Phocæa, unde et rum de-
 Massilienses, oriundi: alterum Hispani: sed Græ- scriptio.
 cum oppidum in mare expositum, totum orbem muri
 minus quadringentos passus patentem habebat: His-
 panis retractior a mari trium millium passuum in
 circuitu murus erat. Tertium genus, Romani coloni
 ab Divo Cæsare, post devictos Pompeii liberos, ad-
 jecti: nunc in corpus unum confusi omnes; Hispani
 prius, postremo et Græcis in civitatem roma-
 nam adscitis. Miraretur, qui tum cerneret, aperto
 mari ab altera parte, ab altera Hispanis, tam feræ
 et bellicosæ genti, objectos quæ res eos tutaretur:
 disciplina erat custos infirmitatis, quam inter vali-
 diores optime timor continet. Partem muri versam
 in agros egregie munitam habebant, una tantum in
 eam regionem porta inposita; cujus adsiduus custos
 semper aliquis ex magistratibus erat: nocte pars
 tertia civium in muris excubabant; neque moris
 tantum aut legis causa, sed, quanta si hostis ad
 portas esset, et servabant vigilias, et circumibant,
 cura. Hispanum neminem in urbem recipiebant:
 ne ipsi quidem temere urbe excedebant. ad mare
 patebat omnibus exitus: porta ad Hispanorum op-
 pidum versa nunquam nisi frequentes, pars tertia
 fere, cujus proxima nocte vigiliæ in muris fuerant,
 egrediebantur. Causa exeundi hæc erat: commer-
 cio eorum Hispani, imprudentes maris, gaudebant;
 mercarique et ipsi ea, quæ externa navibus inveh-
 rentur, et agrorum exigere fructus, volebant: hujus

U. C. 557. mutui usus desiderium, ut Hispana urbs Græcis pa-
 A. C. 195. teret, faciebat. Erant etiam eo tutiores, quod sub
 umbra Romanæ amicitiae latebant: quam sicut mi-
 noribus viribus, quam Massilienses, pari colebant
 fide: tunc quoque consulem exercitumque comiter
 ac benigne acceperunt. Paucos ibi moratus dies
 Cato, dum exploraret, ubi et quantæ hostium copiae
 essent; ut ne mora quidem segnis esset, omne id
 tempus exercendis militibus consumsit. Id erat forte
 tempus anni, ut frumentum in areis haberent: ita-
 que, redemptoribus vetitis frumentum parare, ac Ro-
 mani dimissis, *Bellum*, inquit, *se ipsum alet*. Pro-
 fectus ab Emporiis agros hostium urit vastatque:
 omnia fuga et terrore complet.

Celtiberos
 Helvius
 vincit.

X. Eodem tempore M. Helvio, decedenti ex ulte-
 riore Hispania cum præsidio sex millium, dato ab
 Ap. Claudio prætore, Celtiberi agmine ingenti ad
 oppidum Illiturgi obcurrerunt. Viginti millia ar-
 matorum fuisse, Valerius scribit; duodecim millia
 ex iis cæsa, oppidum Illiturgi receptum, et puberes
 omnes interfectos. Inde ad castra Catonis Helvius
 pervenit: et, quia tuta jam ab hostibus regio erat,
 præsidio in ulteriorem Hispaniam remisso, Romam
 est profectus, et ob rem feliciter gestam ovans ur-
 bem est ingressus. Argenti infecti tulit in ærarium
 quatuordecim millia pondo septingenta triginta duo:
 et signati bigatorum septemdecim millia viginti tria:
 et Oscensis argenti centum viginti millia quadrin-
 gentos triginta octo. Causa triumphi negandi se-
 natui fuit, quod alieno auspicio et in aliena provin-
 cia pugnasset. Ceterum biennio post redierat, quum,
 provincia successori Q. Minucio tradita, annum in-
 sequentem retentus ibi longo et gravi morbo fuisset.

Ovans ur-
 bem in-
 greditur.

Itaque duobus modo mensibus ante Helvius ovans urbem est ingressus, quam successor ejus Q. Minucius triumpharet. Hic quoque tulit argenti pondo triginta quatuor millia octingenta, bigatorum septuaginta octo millia, et Oscensis argenti ducenta septuaginta octo millia.

XI. In Hispania interim consul haud procul Emporiis castra habebat. Eo legati tres ab Ilergetum regulo Bilistage, in quibus unus filius erat, venerunt, querentes, *castella sua obpugnari, nec spem ullam esse resistendi, nisi præsidio Romanus miles esset. Tria millia militum satis esse: nec hostes, si tanta manus venisset, mansuros. Ad ea consul, Moveri quidem se vel periculo eorum, vel metu, dicere: sed sibi nequaquam tantum copiarum esse, ut, quum magna vis hostium haud procul absit, cum qua mox signis conlatis dimicandum sibi in dies expectet, dividendo exercitum minuere tuto vires posset.* Legati, ubi hæc audierunt, flentes ad genua consulis provolvuntur. Orant, *ne se in rebus tam trepidis deserat. Quo enim se, repulso ab Romanis, ituros? Nullos se socios, nihil usquam in terris aliud spei habere. Potuisse se extra id periculum esse, si decedere fide, si conjurare cum ceteris voluissent: nullis minis, nullis terriculis se motos, sperantes satis opis et auxilii sibi in Romanis esse. Id si nullum sit, si sibi a consule negetur, Deos hominesque se testes facere, invitos et coactos se, ne eadem, quæ Saguntini passi sint, patiantur, defecturos: et cum ceteris potius Hispanis, quam solos, perituros esse.*

XII. Et illo quidem die sic sine responso dimissi. Consulem nocte, quæ insecuta est, anceps cura agitare: nolle deserere socios, nolle minuere exercitum; quod aut moram sibi ad dimicandum, aut in

U. C. 557.
A. C. 193.
Minucii triumphus.

Ilergetes
auxilium a
Romanis
petunt.

U. C. 557
A. C. 195.

Catonis
stratage-
ma.

dirigendo periculum adferre posset. Stat sententia, non minuere copias, ne quid interim hostes inferant ignominiae: sociis spem pro re ostendendam censet. Sæpe vana pro veris, maxime in bello, valuisse: et credentem se aliquid auxilii habere, perinde atque haberet, ipsa fiducia, et sperando atque audendo servatum. Postero die legatis respondit, *Quamquam vereatur, ne suas vires, aliis eos commodando, minuat; tamen illorum se temporis ac periculi magis, quam sui, rationem habere.* Denunciari militum parti tertiæ ex omnibus cohortibus jubet, ut cibum, quem in naves inponant, mature coquant: navesque in diem tertium expediri jussit. Duos ex legatis Bilstagi atque Iltergetibus nunciare ea jubet; filium reguli commiter habendo, et muneribus apud se retinet. Legati non ante profecti, quam inpositos in naves milites viderunt: id pro haud dubio jam nunciantes, non suos modo, sed etiam hostes, fama Romani auxilii adventantis impleverunt.

XIII. Consul, ubi satis, quod in speciem fuit, ostentatum est, revocari ex navibus milites jubet: ipse, quum jam id tempus anni adpeteret, quo geri res possent, castra hiberna tria millia passuum ab Emporiis posuit: inde per occasiones, nunc hac parte, nunc illa, modico præsidio castris relicto, prædatum milites in hostium agros educebat. Nocte ferre proficiscebantur, ut et quam longissime a castris procederent, et inopinatos obrimerent. Et exercebat ea res novos milites, et hostium magna vis excipiebatur: nec jam egredi extra munimenta castrorum audebant. Ubi satis admodum et suorum et hostium animos est expertus, convocari tribunos, præfectosque, et equites omnes, et centurio-

nes jussit. *Tempus, inquit, quod sæpe optastis, venit, quo vobis potestas fieret virtutem vestram ostendendi. Adhuc prædonum magis, quam bellantium, militastis more; nunc justa pugna hostes cum hostibus conseretis manum: non agros inde populari, sed urbium opes exhaurire licebit. Patres nostri, quum Hispania Karthaginiensium, et imperatores ibi et exercitus essent, ipsi nullum imperatorem, nullos in ea milites haberent; tamen addere hoc in fœdere voluerunt, Ut imperii sui Iberus fluvius esset finis. Nunc, quum duo prætores, quum consul, quum tres exercitus Romani Hispaniam obtineant, Karthaginiensium jam prope decem annis nemo in his provinciis sit, imperium nobis citra Iberum amissum est. Hoc armis et virtute recuperetis oportet: et nationem, rebellantem magis temere, quam constanter bellantem, jugum, quo se exuit, accipere rursus cogatis.* In hunc modum maxime adhortatus pronunciat, se nocte ad castra hostium ducturum: ita ad corpora curanda dimissi.

XIV. Nocte media, quum auspicio operam dedisset, profectus, ut locum, quem vellet, priusquam hostes sentirent, caperet, præter castra hostium circumducit, et prima luce, acie instructa, sub ipsum vallum tres cohortes mittit. Mirantes barbari ab tergo adparuisse Romanum, discurrere ipsi ad arma. Interim consul apud suos, *Nusquam, nisi in virtute, spes est, milites, inquit, et ego sedulo, ne esset, feci: inter castra nostra et nos medii hostes: ab tergo hostium ager est: quod pulcherrimum, idem tutissimum est, in virtute spem positam habere.* Sub hæc cohortes recipi jubet, ut barbaros simulatione fugæ eliceret. Id, quod crediderat, evenit: pertimuisse et cedere rati Romanos, porta erumpunt: et, quan-

U. C. 557.
A. C. 195.
Catonis
oratio ad
milites.

Hostes ad
pugnam
elicit.

U. C. 557. tum inter castra sua et hostium aciem relictum erat
 A. C. 195. loci, armatis complent. Dum trepidant acie instruenda, consul, jam paratis ordinatisque omnibus, incompositos adgreditur: equites primos ab utroque cornu in pugnam educit, sed in dextro extemplo pulsi, cedentesque trepidi etiam pediti terrorem intulere. Quod ubi vidit consul, duas cohortes delectas ab dextro latere hostium circumduci jubet, et ab tergo se ostendere, priusquam concurrerent peditum acies: is terror objectus hosti rem, metu Romanorum equitum inclinatum, æquavit. Tamen adeo turbati erant dexteræ alæ equites peditesque, ut quosdam consul manu ipse reprehenderit, et adversos in hostem verterit: ita, et quamdiu missilibus pugnatum est, anceps pugna erat: et jam ab dextra parte, unde terror et fuga cœperat, ægre Romanus restabat. Ab sinistro cornu et ab fronte urgebantur barbari, et cohortes ab tergo instantes pavidi respiciebant. Ut, emissis soliferreis falaricisque, gladios strinxerunt, tum velut redintegrata est pugna: non cæcis ictibus procul ex improviso vulnerabantur: sed, pede conlato, tota in virtute ac viribus spes erat.

Et fugat. XV. Fessos jam suos consul, ex secunda acie subsidiariis cohortibus in pugnam inductis, accendit: nova acies facta: integri recentibus telis fatigatos adorti hostes primum acri inpetu, velut cuneo, perculerunt: deinde dissipatos in fugam averterunt: effusoque per agros cursu, castra repetebantur. Ubi omnia fuga completa vidit Cato, ipse ad secundam legionem, quæ in subsidio posita erat, equo revehitur: et signa præ se ferri, plenoque gradu ad castra hostium obpugnanda succedere jubet: si quis extra ordinem avidius procurrit, et ipse interequitans

sparo percutit, et tribunos centurionesque castigare U. C. 557.
 jubet. Jam castra hostium obpugnabantur : saxis- A. C. 195.
 que, et sudibus, et omni genere telorum submove-
 bantur a vallo Romani : ubi recens aduota legio
 est, tum et obpugnantibus animus crevit, et infen-
 sius hostes pro vallo pugnabant. Consul omnia
 oculis perlustrat, ut, qua minima vi restatur, ea
 parte inrumpat : ad sinistram portam infrequentes
 videt : eo secundæ legionis principes hastatosque
 inducit. Non sustinuit inpetum eorum statio, quæ
 portæ adposita erat, et ceteri, postquam intra val-
 lum hostes vident, ipsis castris exuti, signa arma-
 que abjiciunt : cæduntur in portis, suomet ipsi ag-
 mine in arto hærentes : secundani terga hostium
 cædunt, ceteri castra diripiunt. Valerius Antias
 supra quadraginta millia hostium cæsa eo die scri-
 bit. Cato ipse, haud sane detractator laudum sua-
 rum, multos cæsos ait ; numerum non adscribit.

XVI. Tria eo die laudabilia fecisse putatur :
 unum, quod, circumducto exercitu, procul navibus
 suis castrisque, ubi spem nisi in virtute haberent,
 inter medios hostes prælium commisit : alterum,
 quod cohortes ab tergo hostibus objecit : tertium,
 quod secundam legionem, ceteris omnibus effusis ad
 sequendos hostes, pleno gradu sub signis composi-
 tam instructamque subire ad portam castrorum jus-
 sit. Nihil deinde a victoria cessatum : quum, re-
 ceptui signo dato, suos spoliis onustos in castra re-
 duxisset, paucis horis noctis ad quietem datis, ad
 prædandum in agros duxit. Effusius, ut sparsis hos-
 tibus fuga, prædati sunt : quæ res non minus, quam
 pugna pridie adversa, Emporitanos Hispanos adco-
 lasque eorum in deditionem compulit : multi et

Hispani se
 ei dedunt.

U. C. 557. aliarum civitatum, qui Emporias perfugerant, de-
 A. C. 195. diderunt se: quos omnes, adpellatos benigne, vino-
 que et cibo curatos, domos dimisit. Confestim inde
 castra movit: et, quacumque incedebat agmen, le-
 gati dedentium civitates suas obcurrerant: et quum
 Tarraconem venit, jam omnis cis Iberum Hispania
 perdomita erat, captivique et Romani, et socium ac
 Latini nominis, variis casibus in Hispania obpressi,
 donum consuli a barbaris reducebantur. Fama de-
 inde vulgatur, consulem in Turdetaniam exercitum
 ducturum, et ad devios montanos profecturum et-
 iam falso perlatum est. Ad hunc vanum et sine
 auctore ullo rumorem, Bergistanorum civitatis sep-
 tem castella defecerunt: eos, deducto exercitu, con-
 sul sine memorando praelio in potestatem redegit.
 Haud ita multo post iidem, regresso Tarraconem
 consule, priusquam inde quoquam procederet, de-
 fecerunt. Iterum subacti: sed non eadem venia
 victis fuit: sub corona venire omnes, ne saepius pa-
 cem sollicitarent.

P Man-
 lius Tur-
 detanus
 vincit.

XVII. Interim P. Manlius praetor, exercitu ve-
 tere a Q. Minucio, cui successerat, accepto, adjuncto
 et Ap. Claudii Neronis ex ulteriore Hispania vetere
 item exercitu, in Turdetaniam proficiscitur. Om-
 nium Hispanorum maxime inbelles habentur Turde-
 tani: freti tamen multitudine sua obviam ierunt
 agnini Romano. Eques inmissus turbavit extemplo
 aciem eorum: pedestre praelium nullius ferme cer-
 taminiis fuit: milites veteres, periti hostium belli-
 que, haud dubiam pugnam fecerunt. Nec tamen ea
 pugna d. bellatam est: decem millia Celtiberum
 mercede Turduli conducunt, alienisque armis para-
 bant bellum. Consul interim, rebellionem Bergista-

norum ictus, ceteras quoque civitates ratus per oc- U. C. 557.
 casionem idem facturam, arma omnibus cis Iberum A. C. 195.
 Hispanis ademit: quam rem adeo ægre passi, ut multi Cato exar-
 mortem sibi ipsi consciscerent: ferox genus, mat omnes
 nullam vitam rati sine armis esse. Quod ubi con- cis Iberum
 suli renunciatum est, senatores omnium civitatum Hispanos.
 ad se vocari jussit, atque iis, *Non nostra, inquit,*
magis, quam vestra, refert, vos non rebellare: siqui-
dem id majore Hispanorum malo, quam exercitus Ro-
mani labore, semper adhuc factum est. Id ut ne fiat,
uno modo arbitror caveri posse, si effectum erit, ne pos-
sitis rebellare. Volo id quam mollissima via consequi:
vos quoque in ea re consilio me adjuvate: nullum li-
bentius sequar, quam quod vosmet ipsi adtuleritis.
 Tacentibus spatium se ad deliberandum dierum pau-
 corum dare dixit: quum revocati secundo quoque
 concilio tacuissent, uno die muris omnium dirutis, Diruit eo-
 ad eos, qui nondum parebant, profectus, ut in rum muros.
 quamque regionem venerat, omnes, qui circa inco-
 lebant, populos in deditioem accepit. Segesticam
 tantum, gravem atque opulentam civitatem, vineis
 et pluteis cepit.

XVIII. Eo majorem habebat difficultatem in sub-
 igendis hostibus, quam qui primi venerunt in Hispan-
 nam; quod ad illos tædio imperii Karthaginensium
 Hispani deficiebant; huic ex usurpata libertate in
 servitutem velut adserendi erant: et ita mota om-
 nia accepit, ut alii in armis essent, alii obsidione ad
 defectionem cogentur: nec, nisi in tempore sub-
 ventum foret, ultra sustentaturi fuerint. Sed in Laus
 consule ea vis animi atque ingenii fuit, ut omnia Catonis.
 maxima minimaque per se adiret atque ageret: nec
 cogitaret modo imperaretque, quæ in rem essent,

U. C. 557. sed pleraque ipse per se transigeret ; nec in quem-
 A. C. 195. quam omnium gravius severiusque, quam in semet
 ipsum, imperium exerceret ; parsimonia, et vigiliis,
 et labore cum ultimis militum certaret ; nec quid-
 quam in exercitu suo præcipui, præter honorem at-
 que imperium, haberet.

Aliæ ejus
 expeditiones.

XIX. Difficilius bellum in Turdetania prætori P.
 Manlio Celtiberi, mercede exciti ab hostibus, sicut
 ante dictum est, faciebant : itaque eo consul, arces-
 situs literis prætoris, legiones duxit. Ubi eo venit,
 (castra separatim Celtiberi et Turdetani habebant)
 cum Turdetanis extemplo levia prælia, incursantes
 in stationes eorum, Romani facere ; semperque vic-
 tores ex quamvis temere cæpto certamine abire.
 Ad Celtiberos in colloquium tribunos militum ire
 consul, atque iis trium conditionum electionem fer-
 re, jubet. Primam, si transire ad Romanos velint,
 et duplex stipendium accipere, quam quantum a
 Turdetanis pepigissent : alteram, si domos abire,
 publica fide accepta, nihil eam rem noxæ futuram,
 quod hostibus se Romanorum junxissent : tertiam,
 si utique bellum placeat, diem locumque consti-
 tuant, ubi secum armis decernant. A Celtiberis
 dies ad consultandum petita : concilium inmixtis
 Turdetanis habitum magno cum tumultu : eo mi-
 nus decerni quidquam potuit. Quum incertum, bel-
 lum an pax cum Celtiberis esset, commeatus tamen,
 haud secus quam in pace, ex agris castellisque hos-
 tium Romani portabant : dein sæpe munimenta eo-
 rum, velut communi pacto commercio privatis in-
 duciis, ingredientiæ. Consul ubi hostes ad pugnam
 elicere nequit, primum prædatum sub signis aliquot
 expeditas cohortes in agrum integræ regionis ducit :

deinde audito, Seguntiaë Celtiberum omnes sarcinas U. C. 557.
 impedimenta que relicta, eo pergit ducere ad ob- A. C. 195.
 pugnandum. Postquam nulla moventur re, perso-
 luto stipendio, non suis modo, sed etiam prætoris
 militibus, relictoque omni exercitu in castris præ-
 toriis, ipse cum septem cohortibus ad Iberum est
 regressus.

XX. Ea tam exigua manu oppida aliquot cepit:
 defecere ad eum Sedetani, Ausetani, Suessetani.
 Lacetanos, deviam et silvestrem gentem, quum in-
 sita feritas continebat in armis, tum conscientia,
 dum consul exercitusque Turdulo bello est occupa-
 tus, depopulorum subitis incursionibus sociorum.
 Igitur ad oppidum eorum obpugnandum consul du-
 cit, non Romanas modo cohortes, sed juventutem
 etiam merito infensorum iis sociorum. Oppidum
 longum, in latitudinem haudquaquam tantumdem
 patens, habebant: quadringentos inde ferme passus
 constituit signa. Ibi delectarum cohortium statio-
 nem relinquens, præcepit eis, ne se ex eo loco ante
 moverent, quam ipse ad eos venisset: ceteras co-
 pias ad ulteriorem partem urbis circumducit. Maxi-
 mum ex omnibus auxiliis numerum Suessetanæ ju-
 ventutis habebat: eos ad murum obpugnandum
 subire jubet. Quorum ubi arma signaque Lacetani
 cognovere; memores, quam sæpe in agro eorum
 inpune persultassent, quoties ipsos signis conlatis
 fudissent fugassentque; patefacta repente porta,
 universi in eos erumpunt. Vix clamorem eorum,
 nedum inpetum, Suessetani tulere: quod postquam,
 sicut futurum ratus erat, consul fieri etiam vidit;
 equo citato subter murum hostium ad cohortes ad-
 vehitur: atque eas adreptas, effusis omnibus ad se-

U. C. 557. quendos Suessetanos, qua silentium ac solitudo erat,
 A. C. 195. in urbem inducit: priusque omnia cepit, quam se
 recipere Lacetani. Mox ipsos, nihil præter arma
 habentes, in deditionem accepit.

XXI. Confestim inde victor ad Vergium castrum
 ducit: receptaculum id maxime prædonum erat: et
 inde incursiones in agros pacatos provinciæ ejus
 fiebant. Transfugit inde ad consulem princeps Ver-
 gestanus, et purgare se ac populares cœpit: *non
 esse in manu ipsis rempublicam: prædones receptos
 totum suæ potestatis id castrum fecisse.* Consul eum
 domum redire, conficta aliqua probabili, cur abfu-
 isset, caussa jussit. *Quum se muros subisse cerneret,
 intentosque prædones ad tuenda mœnia esse; tum uti
 cum suæ factionis hominibus meminisset arcem occu-
 pare.* Id, uti præceperat, factum. Repente anceps
 terror, hinc muros adscendentibus Romanis, illinc
 arce capta, barbaros circumvasit. Hujus potitus
 loci consul eos, qui arcem tenuerant, liberos esse
 cum cognatis, suaque habere jussit: Vergestanos
 ceteros, quæstori, ut venderet, imperavit: de præ-
 donibus supplicium sumisit. Pacata provincia, vecti-
 galia magna instituit ex ferrariis argentariisque;
 quibus tum institutis, locupletior in dies provincia
 fuit. Ob has res gestas in Hispania supplicationem
 in triduum Patres decreverunt.

Valerius
 Boios vin-
 cit.

XXII. Eadem æstate alter consul L. Valerius
 Flaccus in Gallia cum Boiorum manu propter Lita-
 nam silvam, signis conlatis, secundo prælio con-
 fixit. Octo millia Gallorum cæsa traduntur: ce-
 teri, omisso bello, in vicos suos atque agros dilapsi.
 Consul reliquum æstatis circa Padum Placentiæ et
 Cremonæ exercitum habuit, restituitque, quæ in iis

oppidis bello diruta fuerant. Quum hic status re-
 rum in Italia Hispaniaque esset, T. Quinctio, in
 Græcia ita hibernis actis, ut, exceptis Ætolis, qui-
 bus nec pro spe victoriae præmia contigerant, nec
 diu quies placere poterat, universa Græciâ, simul
 pacis libertatisque perfruens bonis, egregie statu
 suo gauderet, nec magis in bello virtutem Romani
 ducis, quam in victoria temperantiam justitiamque
 et moderationem miraretur, senatusconsultum, quo
 bellum adversus Nabin Lacedæmonium decretum
 erat, adfertur. Quo lecto, Quinctius, conventu Co-
 rinthum omnium sociarum civitatum legationibus
 in diem certam edicto, ubi frequentes undique prin-
 cipes convenerunt, ita ut ne Ætoli quidem abes-
 sent, tali oratione est usus: *Bellum adversus Phi-*
lippum non magis communi animo consilioque Romani
et Græci gesserunt, quam utrique suas causas belli
habuerunt. Nam et Romanorum amicitiam, nunc
Karthaginienses hostes eorum juvando, nunc hic sociis
nostris obpugnandis, violaverat; et in vos talis fuit, ut
nobis, etiamsi nostrarum oblivisceremur injuriarum,
vestræ injuriæ satis digna causa belli fuerint. Ho-
dierna consultatio tota ex vobis pendet. Refero enim
ad vos, utrum Argos, sicut scitis ipsi, ab Nabide occu-
patis pati velitis sub ditione ejus esse; an æquum cen-
seatis, nobilissimam vetustissimamque civitatem, in
media Græcia sitam, repeti in libertatem, et eodem
statu, quo ceteras urbes Peloponnesi et Græciæ, esse.
Hæc consultatio, ut videtis, tota de re pertinente ad
vos est; Romanos nihil contingit, nisi quatenus libe-
ratæ Græciæ, unius civitatis servitus, non plenam, nec
integram gloriam esse sinit. Ceterum si vos nec cura
ejus civitatis, nec exemplum, nec periculum movet, ne

U. C. 557.
 A. C. 195.
 Græciæ
 status.

Quinctii
 oratio ad
 Græcos de
 bello adver-
 sus Nabin.

U. C. 557. *serpat latius contagio ejus mali; nos æqui bonique facimus.* De hac re vos consulo, staturus eo, quod plures censueritis.

XXIII. Post orationem Romani imperatoris, percenseri aliorum sententiæ cœptæ sunt. Quum legatus Atheniensium, quantum poterat gratiis agendis, Romanorum in Græciam merita extulisset, *inploratos auxilium, adversus Philippum tulisse opem; non rogatos, ultro adversus tyrannum Nabin obferre auxilium; indignatusque esset, hæc tanta merita sermonibus tamen aliquorum carpi, futura calumniantium; quum fateri potius præteritorum gratiam deberent; adparebat innessi Ætolos.* Igitur Alexander princeps gentis, invectus primum in Athenienses, libertatis quondam duces et auctores, adsentationis propriæ gratia communem causam prodentes; *questus deinde, Achæos, Philippo quondam milites, postremum ab inclinata ejus fortuna transfugas, et Corinthum recepisse, et id agere, ut Argos habeant: Ætolos, primos hostes Philippi, semper socios Romanorum, pactos in fœdere suas urbes agrosque fore devicto Philippo, fraudari Echino et Pharsalo; insimulavit fraudis Romanos: quod, vano titulo libertatis ostentato, Chalcidem et Demetriadem præsidiis tenerent; qui Philippo, cunctanti deducere inde præsidia, objicere semper soliti sunt, numquam, donec Demetrias, Chalcisque, et Corinthus tenerentur, liberam Græciam fore: postremo, quia remanendi in Græcia retinendique exercitus Argos et Nabin causam facerent. Deportarent legiones in Italiam. Ætolos polliceri, aut conditionibus et voluntate sua Nabin præsidium Argis deducturum, aut vi atque armis coacturos in potestate consentientis Græciæ esse.*

Ætolorum
querelæ.

XXIV. Hac vaniloquentia primum Aristænum prætorem Achæorum excitavit. *Ne istuc, inquit, Jupiter optimus maximus sirit, Junoque regina, cujus in tutela Argi sunt, ut illa civitas inter tyrannum Lacedæmonium et latrones Ætolos præmium sit posita, in eo discrimine, ut miserius a nobis recipiatur, quam ab illo capta est. Mare interjectum ab istis prædonibus non tuetur nos, T. Quincti. Quid, si in media Peloponneso arcem sibi fecerint, futurum nobis est? Linguam tantum Græcorum habent, sicut speciem hominum. Moribus ritibusque efferatioribus, quam ulli barbari, inmanes belluæ vivunt. Itaque vos rogamus, Romani, ut et ab Nabide Argos recuperetis, et ita res Græciæ constituatis, ut ab latrocinio quoque Ætolorum satis pacata hæc relinquatis. Romanus, cunctis undique increpantibus Ætolos, responsurum se fuisse iis, dixit, nisi ita infensos omnes in eos videret, ut sedandi potius, quam irritandi, essent. Contentum itaque opinione ea, quæ de Romanis Ætolisque esset, referre se, dixit, quid de Nabidis bello placeret, nisi redderet Achæis Argos? Quum omnes bellum decre-*

U. C. 557.

A. C. 195.

Achæorum

prætor in

Ætolos

invchitur.

Bellum de-

cernitur in

Nabidem.

XXV. Tribunis militum, ut exercitum ab Elatia arcesserent, imperavit. Per eosdem dies et Antiochi legatis, de societate agentibus, respondit, *Nihil se, absentibus decem legatis, sententiæ habere. Romam eundem ad senatum iis esse. Ipse copias adductas ab Elatia ducere Argos pergit; atque ei circa Cleonas Aristænus prætor, cum decem millibus Achæorum, equitibus mille, occurrit: et haud procul inde,*

Quinctius

Argos exer-

citurum du-

cit.

U. C. 557. junctis exercitibus, posuerunt castra. Postero die
 A. C. 195. in campum Argivorum descenderunt, et quatuor
 ferme millia ab Argis locum castris capiunt. Præ-
 fectus præsidio Laconum erat Pythagoras, gener
 idem tyranni, et uxoris ejus frater : qui sub adven-
 tum Romanorum et utrasque arces, (nam duas ha-
 bent Argi) et loca alia, quæ aut opportuna, aut
 suspecta erant, validis præsiidiis firmavit : sed inter
 agenda hæc pavorem injectum adventu Romanorum
 dissimulare haudquaquam poterat : et ad externum
 terrorem intestina etiam seditio accessit. Damocles
 erat Argivus, adolescens majoris animi, quam con-
 siliï : qui primo, jurejurando interposito, de præsi-
 dio expellendo cum idoneis conlocutus, dum vires
 adjicere conjurationi studet, incautior fidei æstima-
 tor fuit. Conloquentem eum cum suis satelles a
 præfecto missus quum accesseret, sensit proditum
 consilium esse ; hortatusque conjuratos, qui ad-
 erant, ut potius, quam extorti morerentur, arma
 secum caperent : atque ita cum paucis in forum ire
 perguit, clamitans, ut, qui salvam rempublicam vel-
 lent, auctorem et ducem se libertatis sequerentur.
 Haud sane movit quemquam, quia nihil usquam
 spei propinquæ, nedum satis firmi præsiidii, cerne-
 bant. Hæc vociferantem eum Lacedæmonii, cir-
 cumventum cum suis, interfecerunt : comprehensi
 deinde quidam et alii ; ex iis occisi plures, pauci in
 custodiam conjecti : multi proxima nocte, funibus
 per murum demissi, ad Romanos transfugerunt.

XXVI. Quinctius, adfirmantibus iis, si ad portas
 Romanus exercitus fuisset, non sine effectu futurum
 eum motum fuisse, et, si propius castra admove-
 rentur, non quieturos Argivos, misit expeditos pe-

lites equitesque, qui circa Cylarabin (gymnasium U. C. 557.
 id est minus trecentos passus ab urbe) cum erum- A. C. 195.
 pentibus a porta Lacedæmoniis prælium commise-
 runt, atque eos haud magno certamine compulerunt
 in urbem: et castra eo ipso loco, ubi pugnatum
 erat, imperator Romanus posuit. Diem inde unum
 in speculis fuit, si quid novi motus oriretur: post-
 quam obpressam metu civitatem vidit, advocat con-
 cilium de obpugnandis Argis. Omnium principum
 Græciæ, præter Aristænum, eadem sententia erat;
 quum causa belli non alia esset, inde potissimum
 ordiundi bellum. Quinctio id nequaquam placebat,
 sed Aristænum, contra omnium consensum disse-
 rentem, cum haud dubia adprobatione audivit: et
 ipse adjecit, *quum pro Argivis adversus tyrannum bel-
 lum susceptum sit, quid minus conveniens esse, quam
 omisso hoste Argos obpugnari? Se vero caput belli
 Lacedæmonem ei tyrannum petiturum.* Et, dimisso
 concilio, frumentatum expeditas cohortes misit.
 Quod maturi erat circa, demessum et convectum
 est: viride, ne hostes mox haberent, protritum et
 corruptum. Castra deinde movit, et, Parthenio su-
 perato monte, præter Tegeam tertio die ad Caryas
 posuit castra: ibi, priusquam hostium intraret a-
 grum, sociorum auxilia expectavit. Venerunt Ma- Lacedæmo-
 cedones a Philippo mille quingenti, et Thessalorum nem petit
 equites quadringenti: nec jam auxilia, quorum ad-
 fatum erat, sed commeatus finitimis urbibus impe-
 ratum morabantur Romanum. Navales quoque magnæ
 copię conveniebant. Jam ab Leucade L. Quinctius
 quadraginta navibus venerat: jam Rhodiæ decem
 et octo tectæ naves, jam Eumenes rex circa Cyclas
 insulas erat cum decem tectis navibus, triginta

U. C. 557. lembis, mixtisque aliis minoris formæ navigiis: ipsorum quoque Lacedæmoniorum exsules permulti, tyrannorum injuria pulsî, spe recuperandæ patriæ in castra Romana convenerant. Multi autem erant, jam per aliquot ætates, ex quo tyranni tenebant Lacedæmonem, alii ab aliis pulsî. Princeps erat exsulum Agesipolis, cujus jure gentis regnum Lacedæmone erat, pulsus infans ab Lycurgo tyranno post mortem Cleomenis, qui primus tyrannus Lacedæmone fuit.

Adparatus
tyranni.

XXVII. Quum terra marique tantum belli circumstaret tyrannum, et prope nulla spes esset vere suas hostiumque æstimanti vires, non tamen omisit bellum: sed et a Creta mille delectos juventutis eorum excivit, quum mille jam haberet: et tria millia mercenariorum militum, decem millia popularium cum castellanis agrestibus in armis habuit: et fossa valloque urbem communivit. Et, ne quid intestini motus oriretur, metu et acerbitate pœnarum tenebat animos, quoniam, ut salvum vellent tyrannum, sperare non poterat. Quum suspectos quosdam civium haberet, eductis in campum omnibus copiis, (Dromon ipsi vocant) positis armis, ad concionem vocari jussit Lacedæmonios, atque eorum concioni satellites armatos circumdedit: et pauca præfatus, *cur sibi omnia timenti caventique ignoscendum in tali tempore foret: et ipsorum referre, si quos suspectos status præsens rerum faceret, prohiberi potius, ne quid moliri possint, quam puniri molientes. Itaque quosdam se in custodia habiturum, donec ea, quæ instet, tempestas prætereat. Hostibus repulsis, (a quibus, si modo proditio intestina satis caveatur, minus periculi esse) extemplo eos emissurum.* Sub hæc

citari nomina octoginta ferme principum juventutis U. C. 557.
 jussit : atque eos, ut quisque ad nomen responde- A. C. 195.
 rat, in custodiam tradidit : nocte insequenti omnes
 interfecti. Ilotarum deinde quidam, (hi sunt jam
 inde antiquitus castellani, agreste genus) transfu-
 gere voluisse insinulati, per omnes vicos sub verbe-
 ribus acti necantur : hoc terrore obstupuerant mul-
 titudinis animi ab omni conatu novorum consilio-
 rum. Intra munitiones copias continebat, nec pa-
 rem se ratus, si dimicare acie vellet ; et urbem re-
 linquere, tam suspensis et incertis omnium animis,
 metuens.

XXVIII. Quinctius, satis jam omnibus paratis,
 profectus ab stativis, die altero ad Sellasiam super
 Cænunta fluvium pervenit : quo in loco Antigonus,
 Macedonum rex, cum Cleomene, Lacedæmonio-
 rum tyranno, signis conlatis dimicasse dicebatur.
 Inde, quum audisset adscensum difficilis et artæ viæ
 esse, brevi per montes circuitu præmissis, qui mu-
 nirent viam, lato satis et patenti limite ad Eurotam
 amnem, sub ipsis prope fluentem mœnibus, perve-
 nit : ubi castra metantes Romanos Quinctiumque
 ipsum, cum equitibus atque expeditis prægressum,
 auxiliares tyranni adorti, in terrorem ac tumultum
 conjecerunt, nihil tale exspectantes, quia nemo his
 obvius toto itinere fuerat, ac veluti pacato agro
 transierant. Aliquamdiu peditibus equites, equiti-
 bus pedites vocantibus, quum in se cuique minimum
 fiducia esset, trepidatum est : tandem signa legio-
 num supervenerunt : et, quum primi agminis co-
 hortēs inductæ in prælium essent, qui modo terrori
 fuerant, trepidantes in urbem compulsi sunt. Ro-
 mani, quum tantum a muro recessissent, ut extra

Auxiliares
 ejus pulsi
 in urbem.

U. C. 557. ictum teli essent, acie directa paullisper steterunt.

A. C. 195. Postquam nemo hostium contra exibat, redierunt in castra. Postero die Quinctius prope flumen præter urbem sub ipsas Menelaii montis radices ducere copias instructas pergit: primæ legionariæ cohortes ibant: levis armatura et equites agmen cogebant. Nabis intra murum instructos paratosque sub signis habebat mercenarios milites, (in quibus omnis fiducia erat) ut ab tergo hostem adgrederetur: postquam extremum agmen præteriit, tum ab oppido, eodem quo pridie eruperant tumultu, pluribus simul locis erumpunt. Ap. Claudius iterum fugantur. agmen cogebat: qui ad id, quod futurum erat, ne inopinatum accideret, præparatis suorum animis, signa extemplo convertit, totumque in hostem agmen circumegit. Itaque, velut rectæ acies concurrissent, justum aliquamdiu prælium fuit. Tandem Nabidis milites in fugam inclinarunt: quæ minus infida ac trepida fuisset, ni Achæi locorum prudentes institissent: hi et cædem ingentem ediderunt, et dispersos passim fuga plerosque armis exuerunt. Quinctius prope Amyclas posuit castra: inde, quum perpopulatus omnia circumjecta urbi frequentis et amœni agri loca esset, nullo jam hostium porta excedente, movit castra ad flumen Eurotam: inde vallem Taygeto subjectam agrosque ad mare pertinentes evastat.

XXIX. Eodem fere tempore L. Quinctius maritimæ oræ oppida, partim voluntate, partim metu aut vi, recepit: certior deinde factus, Gythium oppidum omnium maritimarum rerum Lacedæmoniis receptaculum esse, nec procul a mari castra Romana abesse, omnibus id copiis adgredi constituit.

Erat eo tempore valida urbs, et multitudine civium incolarumque, et omni bellico adparatu instructa. In tempore Quinctio, rem haud facilem adgredienti, rex Eumenes et classis Rhodiorum supervenerunt: ingens multitudo navalium sociorum, e tribus contracta classibus, intra paucos dies omnia, quæ ad obpugnationem urbis terra marique munitæ facienda opera erant, effecit. Jam testudinibus admotis murus subrueratur: jam arietibus quatiebatur. Itaque una crebris ictibus eversa est turris, quodque circa muri erat, casu ejus prostratum: et Romani simul a portu, unde aditus planior erat, ut distenderent ab apertiore loco hostes, simul per patefactum ruina iter inrumpere conabantur. Nec multum abfuit, quin, qua intenderant, penetrarent: sed tardavit inpetum eorum spes objecta defendæ urbis, mox deinde eadem turbata. Dexagoridas et Gorgopas pari imperio præerant urbi. Dexagoridas miserat ad legatum Romanum, traditurum se urbem: et quum ad eam rem tempus et ratio convenisset, a Gorgopa proditor interficitur: intentiusque ab uno urbs defendebatur; et difficilior facta obpugnatio erat, ni T. Quinctius cum quatuor millibus delectorum militum supervenisset. Is quum supercilio haud procul distantis tumuli ab urbe instructam aciem ostendisset, et ex altera parte L. Quinctius ab operibus suis terra marique instaret; tum vero desperatio Gorgopam quoque coegit id consilii, quod in altero morte vindicaverat, capere: et pactus, ut abducere inde milites, quos præsidii causa habebat, liceret, tradidit Quinctio urbem. Priusquam Gythium traderetur, Pythagoras, præfectus Argis relictus, tradita custodia urbis Timo-

U. C. 557.
A. C. 195.
Gythium
captum a
Romanis.

U. C. 557. crati Pellenensi, cum mille mercenariis militibus, et
 A. C. 195. duobus millibus Argivorum, Lacedæmonem ad Na-
 bin venit.

Nabis
 conloqui-
 um petit.

XXX. Nabis, sicut primo adventu Romanæ clas-
 sis et traditione oppidorum maritimæ oræ conter-
 ritus erat, sic, parva spe quum adquievisset, Gythio
 ab suis retento, postquam id quoque traditum Ro-
 manis audivit esse, quum ab terra, omnibus circa
 hostibus, nihil spei esset, a mari quoque toto se in-
 terclusum, cedendum fortunæ ratus, caduceatorem
 primum in castra misit ad explorandum, si paterentur
 legatos ad se mitti : qua inpetrata re, Pythagoras
 ad imperatorem venit, nullis cum aliis mandatis,
 quam ut tyranno conloqui cum imperatore liceret.
 Consilio advocato, quum omnes dandum conlo-
 quium censuissent, dies locusque constituitur. In
 mediæ regionis tumulos, modicis copiis sequentibus,
 quum venissent, relictis ibi in statione conspecta
 utrimque cohortibus, Nabis cum delectis custodibus
 corporis, Quinctius cum fratre et Eumene rege, et
 Sosilao Rhodio, et Aristæno Achæorum prætore,
 tribunisque militum paucis descendit.

Tyranni
 oratio.

XXXI. Ibi permissio, ut, seu dicere prius, seu
 audire mallet, ita cœpit tyrannus. *Si ipse per me,
 T. Quincti, vosque, qui adestis, causam excogitare,
 cur mihi aut indixissetis bellum, aut inferretis, pos-
 sem; tacitus eventum fortunæ meæ expectassem: nunc
 imperare animo nequixi, quin, priusquam perirem, cur
 periturus essem, scirem. Et, Hercule, si tales essetis,
 quales esse Karthaginienses fama est, apud quos nihil
 societatis fides sancti haberet; in me quoque vobis quid
 faceretis minus pensi esse, non mirarer. Nunc, quum
 vos intueor, Romanos esse video, qui rerum divinarum*

fœdera, humanarum fidem socialem sanctissimam habentibus. Quum me ipse respexi, eum esse spero, cui et publice, sicut ceteris Lacedæmoniis, vobiscum vetustissimum fœdus sit: et meo nomine privatim amicitia ac societas, nuper Philippi bello renovata. At enim ego eam violavi et everti, quod Argivorum civitatem teneo. Quomodo hoc tuear? re, an tempore? Res mihi duplicem defensionem præbet: nam et, ipsis vocantibus ac tradentibus, urbem eam accepi, non occupavi: et accepi, quum Philippi partium, non in vestra societate esset. Tempus autem eo me liberat, quod, quum jam Argos haberem, societas mihi vobiscum convenit: et, ut vobis mitterem ad bellum auxilia, non ut Argis præsidium deducerem, pepigistis. At, Hercle, in ea controversia, quæ de Argis est, superior sum et æquitate rei, quod non vestram urbem, sed hostium; quod volentem, non vi coactam, accepi; et vestra confessione, quod in conditionibus societatis mihi Argos reliquistis. Ceterum nomen tyranni et facta me premunt, quod servos ad libertatem voco, quod in agros inopem plebem deduco. De nomine hoc respondere possum, me, qualiscumque sum, eundem esse, qui fui, quum tu ipse mecum, T. Quincti, societatem pepigisti. Tum me regem adpellari a vobis meminì: nunc tyrannum vocari video. Itaque si ego nomen imperii mutassem, mihi meæ inconstantia; quum vos mutetis, vobis vestrae reddenda ratio est. Quod ad multitudinem servis liberandis auctam, et egentibus dirisum agrum adtinet, possum quidem et in hoc me jure temporis tutari. Jam feceram hæc, qualiacumque sunt, quum societatem mecum pepigistis, et auxilia in bello adversus Philip-pum accepistis. Sed si nunc ea fecissem, non dico, quid in eo vos læsissem, aut vestram amicitiam violas-

U. C. 557.

A. C. 195.

U. C. 557. sem ? sed illud, me more atque instituto majorum fecisse. Nolite ad vestras leges atque instituta exigere ea, quæ Lacedæmone fiunt. Nihil comparare singula necesse est : vos a censu equitem, a censu peditem legitis : et paucos excellere opibus, plebem subjectam esse illis, vultis. Noster legumlator non in paucorum manu rempublicam esse voluit, quem vos senatum appellatis ; nec excellere unum aut alterum ordinem in civitate : sed per æquationem fortunæ ac dignitatis fore credidit, ut multi essent, qui arma pro patria ferrent. Pluribus me peregisse, quam pro patriæ sermone brevitatis, fateor. Et breviter peroratum esse potuit ; Nihil me, postquam vobiscum amicitiam institui, cur ejus vos præneret, commisisse.

Respon-
sio T.
Quinctii.

XXXII. Ad hæc imperator Romanus : *Amicitia et societas nobis nulla tecum, sed cum Pelope, rege Lacedæmoniorum justo ac legitimo, facta est. Cujus jus tyranni quoque, qui postea per vim tenuerunt Lacedæmone imperium, (quia nos bella nunc Punica, nunc Gallica, nunc alia ex aliis occupaverant) usurparunt ; sicut tu quoque hoc Macedonico bello fecisti. Nam quid minus conveniret, quam eos, qui pro libertate Græciæ adversus Philippum gereremus bellum, eum tyranno instituere amicitiam ? et tyranno quam, qui unquam, savissimo et violentissimo in suos ? Nobis vero, etiamsi Argos nec cepisses per fraudem, nec teneres, liberantibus omnem Græciam, Lacedæmon quoque vindicanda in antiquam libertatem erat atque in leges suas, quarum modo, tamquam æmulus Lycurgi, mentionem fecisti. An, ut ab Iasso et Bargyliis præsidia Philippi deducantur, curæ erit nobis ? Argos et Lacedæmonem, duas clarissimas urbes, lumina quondam Græciæ, sub pedibus tuis relinquemus ; quæ titu-*

lum nobis liberatæ Græciæ servientes deformant? At enim cum Philippo Argivi senserunt. Remittimus hoc tibi, ne nostram vicem irascaris. Satis compertum habemus, duorum, aut summum trium in ea re, non civitatis, culpam esse: tam, Hercle, quam in te tuoque præsidio arcessendo accipiendoque in arcem nihil sit publico consilio actum. Thessalos, et Phocenses, et Locenses, consensu omnium scimus partium Philippi fuisse: tamen quum ceteram liberaverimus Græciam, quid tandem censes in Argivis, qui insontes publici consilii sint, facturos? Servorum ad libertatem vocatorum, et egentibus hominibus agrî divisi crimina tibi objici dicebas: non quidem nec ipsa mediocria: sed quid ista sunt præ iis, quæ a te tuisque quotidie alia super alia facinora eduntur? Exhibe liberam concionem vel Argis, vel Lacedæmone, si audire juvat vera dominationis impotentissimæ crimina. Ut omnia alia vetustiora omittam, quam cædem Argis Pythagoras isie gener tuus pene in oculis meis edidit? quam in ipse, quum jam prope in faucibus Lacedæmoniorum essem? Agendum, quos in concione comprehensos, omnibus audientibus civibus tuis, in custodia te habiturum esse pronunciasti, jube viuctos produci, ut miserî parentes, quos falso lugent, vivere sciant. At enim, ut jam ita sint hæc, quid ad vos, Romani? Hoc in dicas liberantibus Græciam? hoc iis, qui, ut liberare possent, mare trajecterunt, ierra marique gesserunt bellum? Vos tamen, inquis, vestranque amicitiam ac societatem proprie non violari. Quoties vis te id arguam fecisse? Sed nolo pluribus: summam rem complectar. Quibus igitur rebus amicitia violatur? Nempe his maxime duabus, si socios meos pro hostibus habeas; si cum hostibus te conjungas. Utrum non a te factum est? nam

U. C. 557.

A. C. 195.

U. C. 557. *et Messenen, uno atque eodem jure fœderis, quo et La-*
 A. C. 195. *cedæmonem, in amicitiam nostram acceptam, socius*
ipse sociam nobis urbem vi atque armis cepisti: et cum
Philippo, hoste nostro, non societatem solum, sed, si
Diis placet, adfinitatem etiam per Philoclem præfec-
tum ejus pepigisti: et bellum adversus nos gerens mare
circa Maleam infestum navibus piruticis fecisti: et
plures prope cives Romanos, quam Philippus, cepisti
atque occidisti: tutiorque Macedoniae ora, quam pro-
montorium Maleæ commeatus ad exercitus nostros por-
tantibus navibus fuit. Proinde parce, sis, fidem ac
jura societatis jactare; et, omissa populari oratione,
tamquam tyrannus et hostis loquere.

XXXIII. Sub hæc Aristænus nunc monere Nabin, nunc etiam orare, ut, dum liceret, dum occasio esset, sibi ac fortunis suis consuleret. Referre deinde nominatim tyrannos civitatum finitimarum cœpit, qui, deposito imperio, restitutaque libertate suis, non tutam modo, sed etiam honoratam inter cives senectutem egissent. His dictis in vicem auditisque, nox prope diremit colloquium. Postero die

Nabis ostendit cesurum se Argis.

Nabis, *Argis se cedere ac deducere præsidium, quando ita Romanis placeret, et captivos et perfugas redditurum, dixit. Aliud si quid postularent, scriptum ut ederent, petiit, ut deliberare cum amicis posset. Ita et tyranno ad consultandum tempus datum est: et*

Quinctius habet super tota re consilium.

Quinctius, sociorum etiam principibus adhibitis, habuit consilium. Maximæ partis sententia erat: *Perseverandum in bello esse, et tollendum tyrannum: numquam aliter tutam libertatem Græciæ fore. Satius multo fuisse, non moveri bellum adversus eum, quam omitti motum: et ipsum velut comprobata dominatione firmiorem futurum, auctore injusti imperii adsumto po-*

pulo Romano; et exemplo multos in aliis civitatibus ad insidiandum libertati civium suorum incitaturum.

U. C. 557.

A. C. 195.

Ipsius imperatoris animus ad pacem inclinatioer erat: videbat enim, compulso intra mœnia hoste, nihil præter obsidionem restare. Eam autem fore diuturnam. Non enim Gythium, quod ipsum tamen traditum, non expugnatum esset, sed Lacedæmonem, validissimam urbem viris armisque, obpugnaturus. Unam spem fuisse, si qua admoventibus exercitum dissensio inter ipsos ac seditio excitari posset: quum signa portis prope inferri cernerent, neminem se morisse. Adjiciebat, et cum Antiocho infidam pacem, Villium legatum inde redeuntem nunciare: multo majoribus, quam ante, terrestribus navalibusque copiis in Europam eum transisse. Si occupasset obsidio Lacedæmonis exercitum, quibus aliis copiis adversus regem tam validum ac potentem bellum gesturos? Hæc propalam dicebat: illa tacita suberat cura, ne novus consul Græciam provinciam sortiretur, et inchoati belli victoria successori tradenda esset.

Socios ad pacem hortatur.

XXXIV. Quum adversus tendendo nihil moveret socios, simulando se transire in eorum sententiam, omnes in adsensum consilii sui traduxit. Benevertat, inquit, quando ita placet, obsidiamus Lacedæmonem. Illud modo ne fallat ceterum, quum res tam lenta, quam ipsi scitis, obpugnatio urbium sit, et obsidentibus prius sæpe, quam obsessis, tedium adferat, jam nunc hoc ita proponere vos animis oportet, hibernandum circa Lacedæmonis mœnia esse. Quæ mora si laborem tantum ac periculum haberet, ut et animis, et corporibus ad sustinenda ea parati essetis, hortarer vos. Nunc impensa quoque magna eget in opera, in machinationes, et tormenta, quibus tanta urbs obpug-

U. C. 557. *nanda est; in commeatus vobis nobisque in hiemem expediendos. Itaque, ne aut repente trepidetis, aut rem inchoatam turpiter destituatis, scribendum ante vestris civitatibus censeo, explorandumque, quid quæque animi, quid virium habeat. Auxiliorum satis superque habeo: sed, quo plures sumus, pluribus rebus egebimus. Nihil jam præter nudum solum ager hostium habet. Ad hoc hiems accedit, ad comportandum ex longinquo difficilis.* Hæc oratio primum animos omnium ad respicienda cuique domestica mala convertit; segnitiam, invidiam et obtractationem domi manentium adversus militantes, libertatem difficilem ad consensum, inopiam publicam, malignitatem conferendi ex privato. Versis itaque subito voluntatibus, facere, quod e republica populi Romani sociorumque esse crederet, imperatori permiserunt.

Leges pacis tyranno dictæ.

XXXV. Inde Quinctius, adhibitis legatis tantum tribunisque militum, condiciones, in quas cum tyranno pax fieret, has conscripsit. *Sex mensium induciæ ut essent Nabidi Romanisque, et Eumeni regi, et Rhodiis. Legatos exemplo mitterent Romam T. Quinctius et Nabid, ut pax ex cuctoritate senatus confirmaretur. Ex qua die scriptæ conditiones pacis editæ Nabidi forent, ea dies ut induciarum principium esset: et ut ex ea die intra decimum diem ab Argis ceterisque oppidis, quæ in Argivorum agris essent, præsidia omnia deducerentur; vacuaque et libera traderentur Romanis: et ne quod inde mancipium regium publicumve aut privatum educeretur; et, si qua ante educta forent, dominis recte restituerentur. Naves, quas civitatibus maritimis ademisset, redderet: neve ipse navem ullam, præter duos lembos, qui non plus quam sexdecim remis agerentur, haberet. Perfugas et captivos omnibus so-*

ciis populi Romani civitatibus redderet, et Messeniis U. C. 557.
omnia, quæ comparerent, quæque domini cognoscerent. A. C. 195.

Exsulibus quoque Lacedæmoniis liberos et conjuges restitueret, quæ earum viros sequi voluissent: invita ne qua exsulis comes esset. Mercenariorum militum Nabidis, qui aut in civitates suas, aut ad Romanos transissent, iis res suæ omnes recte redderentur. In Creta insula ne quam urbem haberet: quas habuisset, redderet Romanis. Ne quam societatem cum ullo Creten-sium aut quoquam alio institueret, neu bellum gereret. Civitatibus omnibus, quas ipse resituisset, quæque se suaque in fidem ac ditionem populi Romani tradidissent, omnia præsidia deduceret: seque ipse suosque ab his abstineret. Ne quod oppidum, ne quod castellum in suo alienove agro conderet. Obsides, ea ita futura, daret quinque, quos imperatori Romano placuisset; filium in his suum: et talenta centum argenti in præ-senti, et quinquaginta talenta in singulos annos per annos octo.

XXXVI. Hæc conscripta, castris propius urbem Eas respuit
 motis, Lacedæmonem mittuntur: nec sane quid- Nabis.
 quam eorum satis placebat tyranno: nisi quod, præter spem, reducendorum exsulum mentio nulla facta erat: maxime autem omnium ea res obfendebat, quod et naves, et maritimæ civitates ademptæ erant. Fuerat autem ei magno fructui mare, omnem oram Mæcæ prædatoriis navibus infestam habenti: juventutem præterea civitatum earum ad supplementum longe optimi generis militum habebat. Has condiciones, quamquam ipse in secreto volutaverat cum amicis, vulgo tamen omnes fama ferebant, vanis, ut ad ceteram fidem, sic ad secreta tegenda, satellitum regionum ingeniis. Non tam

U. C. 557. omnia universi, quam ea, quæ ad quemque pertine-
 A. C. 195. rent, singuli carpebant: qui exsulum conjuges in
 matrimonio habebant, aut ex bonis eorum aliquid
 possederant, tanquam amissuri, non reddituri, in-
 dignabantur: servis liberatis a tyranno non irrita
 modo futura libertas, sed multo fœdior, quam fuis-
 set ante, servitus redeuntibus in iratorum domino-
 rum potestatem ante oculos obversabatur: merce-
 narii milites et pretia militiæ casura in pace ægre
 ferebant, et redditum sibi nullum esse in civitates
 videbant, infensas non tyrannis magis, quam satelli-
 tibus eorum.

XXXVII. Hæc inter se primo in circulis serentes
 fremere: deinde ad arma subito discurrerunt. Quo
 tumultu quum per se satis irritatam multitudinem
 cerneret tyrannus, concionem advocari jussit: ubi
 quum ea, quæ imperarentur a Romanis, exposuis-
 set, et graviora atque indigniora quædam falso ad-
 fixisset, et ad singula, nunc ab universis, nunc a
 partibus concionis, adclamaretur, interrogavit, *Quid*
se respondere ad ea, aut quid facere vellent? Prope
 una voce omnes, *Nihil respondere, bellum geri,* jus-
 serunt: et pro se quisque, qualia multitudo solet,
 bonum animum habere, et bene sperare jubentes,
fortes fortunam adjuvare, aiebant. His vocibus in-
 citatus tyrannus, et Antiochum Ætolosque adjutu-
 ros pronunciat; et sibi ad obsidionem sustinendam
 copiarum adfatium esse. Exciderat pacis mentio ex
 omnium animis, et in stationes non ultra quieturi
 discurrunt. Paucorum lacescentium excursio et
 emissa jacula extemplo et Romanis dubitationem,
 quin bellandum esset, exemerunt. Levia inde præ-
 lia per quatrimum primum sine ullo satis certo

Parat se ad
 bellum.

eventu commissa: quinto die prope justa pugna U. C. 557,
 adeo paventes in oppidum Lacedæmonii compulsi A. C. 195.
 sunt, ut quidam milites Romani, terga fugientium
 cædentes, per intermissa, ut tunc erant, mœnia ur-
 bem intrarint.

XXXVIII. Et tunc quidem Quinctius, satis eo
 terrore coërcitis excursionibus hostium, nihil præter
 ipsius obpugnationem urbis superesse ratus, missis,
 qui omnes navales socios a Gythio arcesserent, ipse
 interim cum tribunis militum ad visendum urbis si-
 tum mœnia circumvehitur. Fuerat quondam sine Spartæ mu-
 nitiones.
 muro Sparta: tyranni nuper locis patentibus planis-
 que objecerant murum: altiora loca, et difficiliora
 aditu, stationibus armatorum pro munimento objec-
 tis tutabantur. Ubi satis omnia inspexit, corona
 obpugnandum ratus, omnibus copiis (erant autem
 Romanorum sociorumque, simul peditum equitum-
 que, simul terrestrium ac navalium copiarum, ad Corona ob-
 pugnatur.
 quinquaginta millia hominum) urbem ciuxit. Alii
 scalas, alii ignem, alii alia, quibus non obpugnarent
 modo, sed etiam terrerent, portabant: jussi clamore
 sublato subire undique omnes, ut, qua primum ob-
 currerent, quave opem ferrent, ad omnia simul pa-
 ventes Lacedæmonii ignorarent. Quod roboris in
 exercitu erat, trifariam divisum: parte una a Phœ-
 beo, altera a Dictynneo, tertia ab eo loco, quem
 Heptagonias adpellant (omnia autem hæc aperta
 sine muro loca sunt) adgredi jubet. Quum tantus
 undique terror urbem circumvasisset; primo tyran-
 nus et ad clamores repentinos, et ad nuncios trepi-
 dos motus, ut quisque maxime laboraret locus, aut
 ipse obcurreret, aut aliquos mittebat: deinde, cir-
 cumfuso undique pavore, ita obtorpuisset, ut nec di-

U. C. 557. cere, quod in rem esset, nec audire posset; nec
 A. C. 195. inops modo consilii, sed vix mentis compos esset.

XXXIX. Romanos primo sustinebant in angustiis Lacedæmonii: ternæque acies tempore uno locis diversis pugnabant. Deinde, crescente certamine, nequaquam erat prælium par: missilibus enim Lacedæmonii pugnabant, a quibus se et magnitudine scuti perfacile Romanus tuebatur miles, et quod alii vani, alii leves admodum ictus erant: nam propter angustias loci confertamque turbam non modo ad emittenda cum procursu, quo plurimum concitantur tela, spatium habebant: sed ne ut de gradu quidem libero ac stabili conarentur. Itaque ex adverso missa tela, nulla in corporibus, rara in scutis hærebant: a circumstantibus ex superioribus locis quidam vulnerati sunt: mox progressos jam etiam ex tectis non tela modo, sed tegulæ quoque, inopinantes perculerunt. Sublatis deinde supra capita scutis, continuatisque ita inter se, ut non modo ad cæcos ictus, sed ne ad inferendum quidem ex propinquo telum loci quidquam esset, testudine facta subibant: et primæ angustię paullisper, sua hostiumque refertæ turba, tenuerunt: postquam in patientiorem viam urbis paullatim urgentes hostem processere, non ultra vis eorum atque inpetus sustineri poterant. Quum terga vertissent Lacedæmonii, et effusa fuga superiora peterent loca; Nabis quidem, ut capta urbe trepidans, quam ipse evaderet, circumspectabat. Pythagoras quum ad cetera animo officioque ducisungebatur, tum vero unus, ne caperetur urbs, causa fuit: succendi enim ædificia proxima muro jussit: quæ quum momento temporis arsisent, ut adjuvantibus ignem, qui alias ad extinguendum opem ferre

Creman-
 tur ab ob-
 sessis do-
 mus mu-
 ro vicina.

solent, ruere in Romanos tecta: nec tegularum mo- U. C. 557.
do fragmenta, sed etiam ambusta tigna, ad armatos A. C. 195.
pervenire, et flamma late fundi, fumus terrorem etiam
majorem, quam periculum, facere. Itaque et qui
extra urbem erant Romanorum, tum maxime inpe-
tus facientes, recessere a muro: et, qui jam intrave-
rant, ne incendio ab tergo oriente intercluderentur
ab suis, receperunt sese: et Quinctius, postquam,
quid rei esset, vidit, receptui canere jussit. Ita
jam a capta prope urbe revocati redierunt in cas-
tra.

XL. Quinctius plus ex timore hostium, quam ex
re ipsa, spei nactus, per triduum insequens territavit
eos; nunc præliis lacessendo, nunc operibus inter-
sepiendo quædam; ne exitus ad fugam esset. His
comminationibus compulsus tyrannus Pythagoræ
rursus oratorem misit, quem Quinctius primo ad-
spernatum excedere castris jussit: deinde supplici-
ter orantem, advolutumque genibus, tandem audi-
vit. Prima oratio fuit omnia permittentis arbitrio
Romanorum: dein, quum ea velut vana et sine Pax cum
Nabide.
effectu nihil proficerent, eo deducta res est, ut his
conditionibus, quæ ex scripto paucis ante diebus
editæ erant, induciæ fierent: pecuniaque et obsides
accepti. Dum obpugnatur tyrannus, Argivi, nunciis Argivi sese
ipsi libe-
rant.
aliis prope super alios adferentibus, tantum non jam
captam Lacedæmonem esse, erecti et ipsi, simul eo
quod Pythagoras cum parte validissima præsidii ex-
cesserat, contenta paucitate eorum, qui in arce erant,
duce Archippo quodam, præsidium expulerunt. Ti-
mocratem Pellenensem, quia clementer præfuerat, vi-
vum fide data emiserunt. Huic lætitiæ Quinctius
supervenit, pace data tyranno, dimissisque ab Lacedæ-

U. C. 557. dæmone Eumene, et Rhodiis, et L. Quinctio fratre
A. C. 195. ad classem.

XLI. Læta civitas celeberrimum festorum dierum ac nobile ludicrum Nemeorum, die stata propter belli mala prætermissum, in adventum Romani exercitus ducisque indixerunt, præfeceruntque ludis ipsum imperatorem. Multa erant, quæ gaudium cumularent: reducti cives ab Lacedæmone erant, quos nuper Pythagoras, quosque ante Nabis, abduxerant: redierant, qui post compertam a Pythagora conjurationem, et cæde jam cæpta, effugerant: libertatem ex longo intervallo, libertatisque auctores Romanos, quibus causa bellandi cum tyranno ipsi fuissent, cernebant. Testata quoque ipso Nemeorum die voce præconis libertas est Argivorum. Achæis quantum restituti Argi in commune Achaiæ concilium lætitiæ adferebant; tantum serva Lacedæmon relicta, lateri adhærens tyranni, non sincerum gaudium præbebat. Ætoli vero eam rem omnibus conciliis lacerare. *Cum Philippo non ante desitum bellari, quam omnibus excederet Græciæ urbibus. Tyranno relictam Lacedæmonem: regem autem legitimum, qui in Romanis fuerat castris, ceterosque nobilissimos cives in exilio victuros. Nabidis dominantis satellitem factum populum Romanum. Quinctius ab Argis Elatiam, unde ad bellum Spartanum profectus erat, copias reduxit. Sunt, qui non ex oppido proficiscentem bellum gessisse tyrannum tradant, sed castris adversus Romana castra pōsitis: diuque cunctatum, quum Ætolorum auxilia exspectasset, coactum ad extremum acie configere, inpetu in pabulatores suos ab Romanis facto: eo prælio victum, castrisque exutum pacem petisse; quum cecidissent quindecim*

Querelæ
in Quinc-
sium.

millia militum, capta plus quatuor millia es-
sent. U. C. 557.
A. C. 195.

XLII. Eodem fere tempore et a T. Quinctio de rebus ad Lacedæmonem gestis, et ab M. Porcio consule ex Hispania literæ adlatæ: utriusque nomine in dies ternos supplicatio a senatu decreta est. L. Valerius consul, quum post fusos circa Litanam silvam Boios quietam provinciam habuisset, comitiorum causa Romam rediit; et creavit consules P. Cornelium Scipionem Africanum iterum et Ti. Sempronium Longum. Horum patres primo anno secundi Punici belli consules fuerant. Prætoria inde comitia habita: creati P. Cornelius Scipio, et duo Cn. Cornelii, Merenda et Blasio, et Cn. Domitius Ahenobarbus, et Sex. Digitius, et T. Juventius Thalna. Comitiiis perfectis, consul in provinciam rediit. Novum jus eo anno a Ferentinatibus tentatum, ut Latini, qui in coloniam Romanam nomina dedissent, cives Romani essent. Puteolos, Salernumque, et Buxentum adscripti coloni, qui nomina dederant, quum ob id se pro civibus Romanis ferrent, senatus iudicavit, non esse eos cives Romanos.

XLIII. Principio anni, quo P. Scipio Africanus iterum et Ti. Sempronius Longus consules fuerunt, legati Nabidis tyranni Romam venerunt. Iis extra urbem in æde Apollinis senatus datus est: pax, quæ cum T. Quinctio convenisset, ut rata esset, petierunt, inpetraveruntque. De provinciis quum relatum esset, senatus frequens in eam sententiam ibat; ut, quoniam in Hispania et Macedonia debellatum foret, consulibus ambobus Italia provincia esset. Scipio, *satis esse Italiæ unum consulem, censebat: alteri decernendam Macedoniam esse.* U. C. 558.
A. C. 194.

U. C. 558. *Bellum grave ab Antiocho imminere: jam ipsum sua*
 A. C. 194. *sponte in Europam transgressum. Quid deinde factu-*
rum censerent, quum hinc Ætoli haud dubie hostes vo-
carent ad bellum, illinc Hannibal, Romanis cladibus
insignis imperator, stimulet? Dum de provinciis
 consulum disceptatur, prætores sortiti sunt. Cn.
 Domitio urbana jurisdictio, T. Juventio peregrina
 evenit. P. Cornelio Hispania ulterior, Sex. Digitio
 citerior: duobus Cn. Corneliis, Blasioni Sicilia, Me-
 rendæ Sardinia. In Macedoniam novum exercitum
 transportari non placuit: eum, qui esset ibi, reduci
 in Italiam a Quintio, ac dimitti: item eum exerci-
 tum dimitti, qui cum M. Porcio Catone in Hispania
 esset. Consulibus ambobus Italiam provinciam esse,
 et duas urbanas eos legiones scribere: ut, dimissis,
 quos senatus censuisset, exercitibus, octo omnino
 Romanæ legiones essent.

XLIV. Ver sacrum factum erat priore anno, M.
 Porcio et L. Valerio consulibus: id quum P. Lici-
 nius pontifex non esse recte factum collegio primum,
 deinde ex auctoritate collegii Patribus, renunciasset,
 de integro faciendam arbitrato pontificum censue-
 runt; ludosque magnos, qui una voti essent, tanta
 pecunia, quanta adsoleret, faciendos. Ver sacrum
 æideri pecus, quod natum esset inter Kalendas Mar-
 tias, et pridie Kalendas Maias, P. Cornelio Scipione
 et Ti. Sempronio Longo consulibus. Censorum
 inde comitia habita sunt: creati censores Sex. Ælius
 Pætus et C. Cornelius Cethegus principem senatus
 P. Scipionem consulem, quem et priores censores
 legerant, legerunt: tres omnino senatores, neminem
 curuli honore usum, præterierunt. Gratiam quoque
 ingentem apud eum ordinem pepererunt, quod, ludis
 Romanis, ædilibus curulibus imperarunt, ut loca se-

natoria secernerent a populo : nam antea in promiscuo spectabant. Equitibus quoque perpaucis ademti equi, nec in ullum ordinem sævitum. Atrium Libertatis et Villa publica ab eisdem refecta amplificataque. Ver sacrum ludique votivi, quos voverat Ser. Sulpicius Galba consul, facti. Quum spectaculo eorum occupati animi omnium essent, Q. Pleminius, qui propter multa in Deos hominesque scelera, Locris admissa, in carcerem conjectus fuerat, comparaverat homines, qui pluribus simul locis urbis nocte incendia facerent; ut in consternata nocturno tumultu civitate refringi carcer posset. Ea res indicio consciorum palam facta, delataque ad senatum est. Pleminius in inferiorem demissus carcerem est, necatusque.

U. C. 558.

A. C. 194.

Loca senatoria in ludis.

Pleminius necatus.

XLV. Coloniae civium Romanorum eo anno deductae sunt Puteolos, Vulturnum, Liternum; treceni homines in singulas. Item Salernum Buxentumque coloniae civium Romanorum deductae sunt: deduxere triumviri, Ti. Sempronius Longus, qui tum consul erat, M. Servilius, Q. Minucius Thermus. Ager divisus est, qui Campanorum fuerat. Sipontum item in agrum, qui Arpinorum fuerat, coloniam civium Romanorum alii triumviri, D. Junius Brutus, M. Bæbius Tamphilus, M. Helvius deduxerunt. Tempsam item et Crotonem civium Romanorum coloniae deductae. Tempsanus ager de Bruttiiis captus erat: Bruttii Græcos expulerant. Crotonem Græci habebant. Triumviri Cn. Octavius, L. Æmilius Paullus, C. Plætorius Crotonem; Tempsam L. Cornelius Merula et C. Salonijs deduxerunt. Prodigia quoque alia visa eo anno Romæ sunt, alia nunciata. In foro, et comitio, et Capitolio sanguinis guttæ visæ

Coloniae deductae.

U. C. 558. sunt: et terra aliquoties pluit: et caput Vulcani ar-
 A. C. 194. sit. Nunciatum est, Narce amni lac fluxisse: pueros
 ingenuos Arimini sine oculis ac naso; et in Piceno
 agro non manus, non pedes habentem natum: ea
 prodigia ex pontificum decreto procurata. Et sacri-
 ficium novemdiale factum, quod Hadriani nunciave-
 rant, in agro suo lapidibus pluisse.

Catonis
 trium-
 phus.

Sempronii
 res gestæ
 adversus
 Boios.

XLVI. In Gallia L. Valerius Flaccus proconsul
 circa Mediolanum cum Gallis Insubribus, et Boiis,
 qui Dorulaco duce ad concitandos Insubres Padum
 transgressi erant, signis conlatis depugnavit: decem
 millia hostium sunt cæsa. Per eos dies collega ejus
 M. Porcius Cato ex Hispania triumphavit: tulit in
 eo triumpho argenti infecti viginti quinque millia
 pondo, bigati centum viginti tria millia, Oscensis
 quingenta quadraginta: auri pondo mille quadrin-
 genta. Militibus ex præda divisit in singulos, duce-
 nos septuagenos æris, triplex equiti. Ti. Sempro-
 nius consul, in provinciam profectus, in Boiorum
 primum agrum legiones duxit. Boiorum tum regulus
 eorum, cum duobus fratribus tota gente concitata
 ad rebellandum, castra locis apertis posuit: ut ad-
 pareret dimicatuos, si hostis fines intrasset. Con-
 sul ubi, quantæ copiæ, quanta fiducia esset hosti,
 sensit, nuncium ad collegam mittit, *ut, si videretur
 ei, moturaret venire: se tergiversando in adventum
 ejus rem extracturum.* Quæ causa consuli cunctan-
 di, eadem Gallis (præterquam quod cunctatio hos-
 tium animos faciebat) rei maturandæ erat, ut, prius-
 quam conjungerentur consulum copiæ, rem transi-
 gerent: per biduum tamen nihil aliud, quam stete-
 runt parati ad pugnandum, si quis contra egredere-
 tur: tertio subiere ad vallum, castraque ab omni

simul parte adgressi sunt. Consul extemplo arma capere milites jussit: armatos inde paullisper contigit; ut et stolidam fiduciam hosti augetet, et disponeret copias, quibus quæque portis erumperent. Duæ legiones duabus principalibus portis signa efferre jussæ: sed in ipso exitu ita conferti obstiterunt Galli, ut clauderent viam. Diu in angustiis pugnatum est: nec dextris magis gladiisque gerebatur res, quam scutis corporibusque ipsis obnisi urgebant; Romani, ut signa foras efferrent; Galli, ut aut ipsi in castra penetrarent, aut exire Romanos prohiberent. Nec ante in hanc aut illam partem moveri acies potuerunt, quam Q. Victorius primi pili centurio, et C. Atinius tribunus militum, quartæ hic, ille secundæ legionis, (rem in asperis præliis sæpe tentatam) signa ademta signiferis in hostes injecerunt: dum repetunt enise signum, priores secundani se porta eiecere.

XLVII. Jam hi extra vallum pugnabant, quarta legione in porta hærente, quum alius tumultus ex aversa parte castrorum est exortus: in portam quæstoriam iruperant Galli; resistentesque pertinacius occiderant L. Postumium quæstorem, cui Tympano fuit cognomen, et M. Atinium, et P. Sempronium, præfectos socium, et ducentos ferme milites. Capta ab ea parte castra erant, donec cohors extraordinaria, missa a consule ad tuendam quæstoriam portam, et eos, qui intra vallum erant, partim occidit, partim expulit castris, et inrumpentibus obstitit. Eodem fere tempore et quarta legio cum duabus extraordinariis cohortibus porta erupit: ita simul tria prælia circa castra locis distantibus erant; clamoresque dissoni ad incertos suorum eventus a præ-

U. C. 558. senti certamine animos pugnantium avertabant. Us-
 A. C. 194. que ad meridiem æquis viribus, ac prope pari spe,
 pugnatum est: labor et æstus mollia et fluida cor-
 pora Gallorum, et minime patientia sitis, quum de-
 cedere pugna coëgisset, in paucos restantes inpetum
 Romani fecerunt, fusosque compulerunt in castra.
 Signum inde receptui a consule datum est; ad quod
 pars major receperunt sese; pars, certaminis studio
 et spe potiundi castris hostium, perstitit ad vallum.
 Eorum paucitate contemta, Galli universi ex castris
 eruperunt; fusi inde Romani, quæ imperio consulis
 noluerant, suo pavore ac terrore castra repetunt:
 ita varia hinc atque illinc nunc fuga, nunc victoria
 fuit. Gallorum tamen ad undecim millia, Romano-
 rum quinque millia, sunt occisa. Galli recepere in
 intima finium sese.

XLVIII. Consul Placentiam legiones duxit. Sci-
 pionem alii, conjuncto exercitu cum collega, per
 Boiorum Ligurumque agros populantem isse, quoad
 progredi silvæ paludesque passæ sint, scribunt: alii,
 nulla memorabili re gesta, comitiorum causa redi-
 isse Romam. Eodem hoc anno T. Quinctius Ela-
 tiæ, quo in hiberna reduxerat copias, totum hiemis
 tempus jure dicundo consumsit, mutandisque iis,
 quæ aut ipsius Philippi, aut præfectorum ejus licen-
 tia in civitatibus facta erant, quum, suæ factionis
 hominum vires augendo, jus ac libertatem aliorum
 deprimeret. Veris initio Corinthum, conventu edicto,
 venit: ibi omnium civitatum legationes in concionis
 modum circumfusas est adlocutus; orsus ab inita
 primum Romanis amicitia cum Græcorum gente, et
 imperatorum, qui ante se in Macedonia fuissent, suis-
 que rebus gestis. Omnia cum adprobatione ingenti

Quinctius
 Græciam
 relinquens
 adloquitur
 sociorum
 legatos.

sunt audita; præterquam quum ad mentionem Na-
 bidis ventum esset, id minime conveniens liberanti
 Græciam videbatur, tyrannum reliquisse, non suæ
 solum patriæ gravem, sed omnibus circa civitatibus
 metuendum, hærentem visceribus nobilissimæ civi-
 tatis.

XLIX. Nec ignarus hujus habitus animorum
 Quinctius, *Si sine excidio Lacedæmonis fieri potuisset,*
fatebatur, pacis cum tyranno mentionem admittendam
auribus non fuisse. Nunc, quum aliter, quam ruina
gravissima civitatis, obprimi non posset, satius visum
esse, tyrannum debilitatum, ac totis prope viribus ad
nocendum cuiquam ademptis, relinqui; quam intermori
vehementioribus, quam quæ pati posset, remediis civita-
tem sinere, in ipsa vindicta libertatis perituram. Præ-
teritorum commemorationi subjecit, Proficisci sibi in
Italiam, atque omnem exercitum deportare, in animo
esse. Demetriadis Chalcidisque præsidia intra deci-
mus diem audituros deducta: Acrocorinthum ipsis ex-
templo videntibus vacuum Achæis traditurum: ut om-
nes scirent, utrum Romanis, an Ætolis, mentiri mos
esset; qui male commissam libertatem populo Romano
sermonibus distulerint, et mutatos pro Macedonibus
Romanos dominos. Sed illis, nec quid dicerent, nec
quid facerent, quidquam umquam pensi fuisse. Reli-
quas civitates monere, ut ex factis, non ex dictis, ami-
cos pensent: intelligantque, quibus credendum, et a
quibus cavendum sit. Libertate modice utantur: tem-
peratam eam, salubrem et singulis, et civitatibus esse;
nimiam et aliis gravem, et ipsis, qui habeant, effrena-
tam et præcipitem esse. Concordiæ in civitatibus, prin-
cipes et ordines inter se, et in commune omnes civitates,
consulerent: adversus consentientes nec regem quem-

U. C. 538. *quam satis validum, nec tyrannum fore. Discordiam et seditionem omnia opportuna insidiantibus facere, quum pars, quæ domestico certamine inferior sit, externo potius se adplicet, quam civi cedat. Alienis armis partam, externa fide redditam libertatem sua cura custodirent servarentque: ut populus Romanus dignis datam libertatem, ac munus suum bene positum sciret.*

L. Has velut parentis voces quum audirent, manare omnibus gaudio lacrimæ, adeo ut ipsum quoque confunderent dicentem. Paullisper fremitus adprobantium dicta fuit, monentiumque aliorum alios, ut eas voces, velut oraculo missas, in pectora animosque demitterent. Silentio deinde facto, petiit ab iis, ut cives Romanos, si qui apud eos in servitute essent, conquisitos intra duos menses mitterent ad se in Thessaliam. *Ne ipsis quidem honestum esse, in liberata terra liberatores ejus servire.* Omnes exclamarunt, *gratias se inter cetera etiam ob hoc agere, quod admoniti essent, ut tam pio, tam necessario officio fungerentur.* Ingens numerus erat bello Punico captorum, quos Hannibal, quum a suis non redimerentur, venundederat. Multitudinis eorum argumentum sit, quod Polybius scribit, centum talentis eam rem Achæis stetisse: quum quingenos denarios pretium in capita, quod redderetur dominis, statuissent. Mille enim ducentos ea ratione Achaia habuit. Adjice nunc pro portione, quot verisimile sit totam Græciam habuisse. Nondum conventus dimissus erat, quum respiciunt præsidium, ab Acrocorintho descendens, protinus ad portam duci atque abire. Quorum agmen imperator secutus, prosequentibus cunctis, servatorem liberatoremque adclamantibus, salutatis dimissisque eis, eadem, qua venerat, via

Cives
Rom. ser-
vitate ex-
emti.

Liberatæ
Acroco-
rinthus,

Elatiam rediit. Inde cum omnibus copiis Ap. Clau- U. C. 558.
 dium legatum dimittit; per Thessaliam atque Epi- A. C. 194.
 rum ducere Oricum jubet, atque ibi se obperiri:
 inde namque in animo esse, exercitum in Italiam
 trajicere: et L. Quinctio fratri, legato et præfecto
 classis, scribit, ut onerarias ex omni Græciæ ora
 codem contraheret.

LI. Ipse, Chalcidem profectus, deductis non a Chalcis,
 Chalchide solum, sed etiam ab Oreo atque Eretria,
 præsiidiis, conventum ibi Euboïcarum civitatum ha-
 buit: commonitosque, in quo statu rerum accepis-
 set eos, et in quo relinqueret, dimisit. Demetriadem
 inde proficiscitur: deductoque præsidio, prosequen- Demetrias.
 tibus cunctis, sicut Corinthi et Chalchide, pergit ire
 in Thessaliam: ubi non liberandæ modo civitates
 erant, sed ex omni conlutione et confusione in ali-
 quam tolerabilem formam redigendæ. Nec enim
 temporum modo vitiis, ac violentia, et licentia regia
 turbati erant: sed inquieto etiam ingenio gentis, nec
 comitia, nec conventum, nec concilium ullum, non
 per seditionem ac tumultum, jam inde a principio
 ad nostram usque ætatem, traducentes. A censu
 maxime et senatum et judices legit: potentio-rem-
 que eam partem civitatum fecit, cui salva tranquil-
 laque omnia magis esse expediebat.

LII. Ita quum percensuisset Thessaliam, per Epi-
 rum in Oricum, unde erat trajecturus, venit. Ab
 Orico copiæ omnes Brundisium transportatæ: inde
 per totam Italiam ad urbem prope triumphantes, T. Quinctii
 non minore agmine rerum captarum, quam suo, præ triumphus.
 se acto, venerunt. Postquam Romam ventum est,
 senatus extra urbem Quinctio ad res gestas edisse-
 rendas datus est, triumphusque meritis ab lubenti-

U. C. 556. bus decretus. Triduum triumphavit : die primo ar-
 A. C. 194. ma, tela, signaque ærea et marmorea transtulit,
 plura Philippo adempta, quam quæ ex civitatibus
 ceperat : secundo die aurum argentumque, factum
 infectumque et signatum. Infecti argenti fuit de-
 cem et octo millia pondo, et ducenta septuaginta
 facti : vasa multa omnis generis, cælata pleraque,
 quædam eximiæ artis : et ex ære multa fabrefacta :
 ad hoc clipea argentea decem. Signati argenti octo-
 ginta quatuor millia fuere Atticorum : tetradrachma
 vocant : trium fere denariorum in singulis argenti
 est pondus. Auri pondo fuit tria millia septingenta
 quatuordecim, et clipeum unum ex auro totum : et
 Philippi nummi aurei quatuordecim millia, quin-
 genti quatuordecim. Tertio die coronæ aureæ, dona
 civitatum, translatae centum quatuordecim : et hos-
 tiæ ductæ : et ante currum multi nobiles captivi ob-
 sidesque, inter quos Demetrius regis Philippi filius
 fuit, et Armenes, Nabidis tyranni filius, Lacedæmo-
 nius. Ipse deinde Quinctius in urbem est invectus :
 milites secuti currum frequentes, ut omni ex provin-
 cia exercitu deportato. His duceni quinquageni æris
 in pedites divisi : duplex centurioni, triplex equiti.
 Præbuerunt speciem triumpho capitibus rasis secuti,
 qui servitute exenti fuerant.

Coloniæ
 Latinæ
 deductæ.

LIII. Exitu hujus anni Q. Ælius Tubero tribu-
 nus plebis ex senatusconsulto tulit ad plebem, ple-
 besque scivit, *Ut Latinæ duæ coloniæ, una in Brut-
 tios, altera in Thurinum agrum, deducerentur.* His
 deducendis triumviri creati, quibus in triennium im-
 perium esset, in Bruttios Q. Nævius, M. Minucius
 Rufus, M. Furius Crassipes : in Thurinum agrum
 Cn. Manlius, Q. Ælius, L. Apustius : ea binæ coni-

tia Cn. Domitius prætor urbanus in Capitolio habuit. U. C. 558. A. C. 194. Ædes eo anno aliquot dedicatæ sunt: una Junonis Sospitæ in foro olitorio, vota locataque quadriennio ante a C. Cornelio consule Gallico bello; censor idem dedicavit: altera Fauni: ædiles eam biennio ante ex multatio argento faciendam locarant, C. Scribonius, et Cn. Domitius; qui prætor urbanus eam dedicavit. Et ædem Fortunæ Primitivæ in colle Quirinali dedicavit Q. Marcius Ralla, duumvir ad id ipsum creatus: voverat eam decem annis ante Punico bello P. Sempronius Sophus, locaverat idem censor. Et in insula Jovis ædem C. Servilius duumvir dedicavit: vota erat sex annis ante Gallico bello ab L. Furio Purpureone prætore; ab eodem postea consule locata. Hæc eo anno acta.

LIV. P. Scipio ex provincia Gallia ad consules subrogandos venit. Comitia consulum fuere, quibus creati sunt L. Cornelius Merula et Q. Minucius Thermus. Postero die creati sunt prætores L. Cornelius Scipio, M. Fulvius Nobilior, C. Scribonius, M. Valerius Messalla, L. Porcius Licinus, et C. Flaminus. Megalesia, ludos scenicos, C. Atilius Serranus, L. Scribonius Libo ædiles curules primi fecerunt. Horum ædilium ludos Romanos primum senatus a populo secretus spectavit, præbuitque sermones, (sicut omnis novitas solet) aliis, *tandem, quod multo ante debuerit, tributum, censentibus, amplissimo ordini*; aliis, *denitum ex dignitate populi, quidquid majestati Patrum adjectum esset, interpretantibus: et omnia discrimina talia, quibus ordines discernentur, et concordie, et libertatis æque minuendæ esse. Ad quingentesimum quinquagesimum octavum*

Ludos Romanos tum primum senatus spectat a populo secretus.

U. C. 558. *annum in promiscuo spectatum esse. Quid repente factum, cur inmisceri sibi in cavea Patres plebem nollent? cur dives pauperem consessorem fastidiret? novam et superbam libidinem, ab nullius ante gentis senatu neque desideratam, neque institutam.* Postremo ipsum quoque Africanum, quod consul auctor ejus rei fuisset, pœnituisse ferunt. Adeo nihil motum ex antiquo, probabile est: veteribus, nisi quæ usus evidentiter arguit, stari malunt.

U. C. 559. **LV.** Principio anni, quo L. Cornelius, Q. Minucius consules fuerunt, terræ motus ita crebri nunciabantur, ut non rei tantum ipsius, sed feriarum quoque ob id indictarum, homines tæderet: nam neque senatus haberi, neque respublica administrari poterat, sacrificando expiandoque occupatis consuli- bus. Postremo, decemviris adire libros jussis, ex responso eorum supplicatio per triduum fuit: coronati ad omnia pulvinaria supplicaverunt; edictumque est, ut omnes, qui ex una familia essent, pariter supplicarent: item ex auctoritate senatus consules edixerunt, ne quis, quo die, terræ motu nunciato, feriæ indictæ essent, eo die alium terræ motum nunciaret. Provincias deinde consules prius, tum prætores sortiti. Cornelius Galliam, Minucius Ligures sortiti sunt. C. Scribonius urbanam, M. Valerius peregrinam, L. Cornelius Siciliam, L. Porcius Sardiniam, C. Flaminius Hispaniam citeriorem, M. Fulvius Hispaniam ulteriorem.

Ligurum
conjura-
tio.

LVI. Nihil belli eo anno expectantibus consuli- bus, literæ M. Cincii (præfectus is Œisis erat) adlatæ: *Ligurum viginti millia armatorum, conjuratione per omnia conciliabula unversæ gentis facta, Lunensem primum agrum depopulatos, Pisænum deinde finem*

transgressos, omnem oram maris peragrasse. Itaque U. C. 559.
 Minucius consul, cui Ligures provincia evenerat, ex A. C. 193.
 auctoritate Patrum in Rostra adscendit, et edixit,
Ut legiones duæ urbanæ, quæ superiore anno conscriptæ
essent, post diem decimum Arretii adessent: in earum
locum se duas legiones urbanas scripturum: item sociis
 et Latino nomini, magistratibus legatisque eorum,
 qui milites dare debebant, edixit, ut in Capitolio se
 adirent. Iis quindecim millia peditum et quingen-
 tos equites, pro numero cujusque juniorum, descrip-
 sit: et inde e Capitolio protinus ire ad portam, et,
 ut maturaretur res, proficisci ad delectum jussit.
 Fulvio Flaminioque terna millia Romanorum pedi-
 tum et centeni equites in supplementum, et quina
 millia sociûm Latini nominis et duceni equites de-
 creti; mandatumque prætoribus, ut veteres dimitte-
 rent milites, quum in provinciam venissent. Quum
 milites, qui in legionibus urbanis erant, frequentes
 tribunos plebis adissent, uti causas cognoscerent
 eorum, quibus aut emerita stipendia, aut morbus
 causæ essent, quo minus militarent; eam rem literæ
 Ti. Sempronii discusserunt, in quibus scriptum erat,
Ligurum decem millia in agrum Placentinum venisse:
et eum usque ad ipsa colonie mœnia et Padi ripas cum
cædibus et incendiis perpopulatos esse. Boiorum quo-
que gentem ad rebellionem spectare. Ob eas res tu-
 tumultum esse decrevit senatus; tribunos plebei non
 placere causas militares cognoscere, quo minus ad
 edictum convenirent. Adjecerunt etiam, ut socii no-
 minis Latini, qui in exercitu P. Cornelii, Ti. Sem-
 pronii fuissent, et dimissi ab iis consulibus essent,
 ut, ad quam diem L. Cornelius consul edixisset, et in
 quem locum edixisset Etruriæ, convenirent: et uti

Tumultum
 esse decer-
 nit senatus.

U. C. 559. L. Cornelius consul, in provinciam proficiscens, in oppidis agrisque, qua iturus esset, si quos ei videretur, milites scriberet, armaretque, et duceret secum: dimittendique ei, quos eorum, quandoque vellet, jus esset.

Legationes Græciæ et Asiæ.

LVII. Postquam consules, delectu habito, profecti sunt in provincias, tum T. Quinctius postulavit, ut de his, quæ cum decem legatis ipse statuisset, senatus audiret; eaque, si videretur, auctoritate sua confirmaret. Id eos facilius facturos, si legatorum verba, qui ex universa Græcia et magna parte Asiæ, quique ab regibus venissent, audissent. Hæ legationes a C. Scribonio prætore urbano in senatum introductæ sunt; benigneque omnibus responsum. Cum Antiocho quia longior disceptatio erat, decem legatis, quorum pars in Asia, aut Lysimachiæ apud regem fuerant, delegata est. T. Quinctio mandatum, ut, adhibitis iis, legatorum regis verba audiret, responderetque iis, quæ ex dignitate atque utilitate populi Romani responderi possent. Menippus et Hegesianax principes regiæ legationis erant: ex iis Menippus, *Ignorare se, dixit, quidnam perplexi sua legatio haberet, quum simpliciter ad amicitiam petendam jungendamque societatem venissent. Esse autem tria genera fœderum, quibus inter se paciscerentur amicitias civitates regesque. Unum, quum bello victis dicerentur leges: ubi enim omnia ei, qui armis plus posset, dedita essent, quæ ex iis habere victos, quibus multari eos velit, ipsius jus atque arbitrium esse. Alterum, quum parcs bello æquo fœdere in pacem atque amicitiam venirent: tunc enim repeti reddique per conventionem res, et, si quarum turbata bello possessio sit, eas aut ex formula juris antiqui, aut ex partis utriusque commodo componi. Tertium esse genus, quum, qui*

Oratio legatorum Antiochi.

hostes numquam fuerint, ad amicitiam sociali fœdere inter se jungendam cœant: eos neque dicere, neque accipere leges; id enim victoris et victi esse. Ex eo genere quum Antiochus esset, mirari se, quod Romani æquum censeant, ei leges dicere, quas Asiæ urbium liberas et immunes, quas stipendiarias esse velint; quas intrare præsidia regia regemque vetent. Cum Philippo enim hoste pacem, non cum Antiocho amico societatis fœdus ita sancendum esse.

U. C. 559.

A. C. 193.

LVIII. Ad ea Quinctius: *Quoniam vobis distincte agere libet, et genera jungendarum amicitiarum enumerare, ego quoque duas conditiones ponam, extra quas nullum esse regi nuncietis amicitia cum populo Romano jungendæ. Unam, si nos nihil, quod ad urbes Asiæ adtinet, curare velit, ut et ipse omni Europa abstineat: alteram, si se ille Asiæ finibus non contineat, et in Europam transcendat, ut et Romanis jus sit, Asiæ civitatum amicitias et tueri, quas habeant, et novas complecti. Enimvero id auditu etiam, dicere, indignum esse, Hegesianax, Thraciæ et Chersonesi urbibus arceri Antiochum; quæ Seleucus proavus ejus, Lysimacho rege bello victo et in acie cæso, per summum decus parta reliquerit; pari cum laude partim ab Thracibus possessa armis receperit Antiochus, partim deserta, sicut ipsam Lysimachiam, et revocatis cultoribus frequentaverit, et, quæ strata ruinis atque incendiis erant, ingentibus impensis ædificaverit. Quid igitur simile esse, ex ea possessione, ita parta, ita recuperata, deduci Antiochum, et Romanos abstinere Asia, quæ numquam eorum fuerit? Amicitiam Romanorum expetere Antiochum: sed quæ inpetrata gloriæ sibi, non pudori, sit. Ad hæc Quinctius, Quandoquidem, inquit, honesta pensamus; sic ut aut sola, aut prima certe, pensari*

Responsuræ
Quinctii.

U. C. 559. *deceat principi orbis terrarum populo et tanto regi ;*
 A. C. 193 *utrum tandem videtur honestius, liberas velle omnes,*
quæ ubique sunt, Græciæ urbes, an servas et vectigales
facere? Si sibi Antiochus pulcrum esse censet, quas
urbes proorus belli jure habuerit, avus paterque num-
quam usurpaverint pro suis, eas repetere in servitutum ;
et populus Romanus, susceptum patrocinium libertatis
Græcorum non deserere, fidei constantiæque suæ ducit
esse. Sicut a Philippo Græciam liberavit, ita et ab
Antiocho Asiæ urbes, quæ Græci nominis sint, liberare
in animo habet. Neque enim in Æolidem Ioniamque
coloniæ in servitutum regiam missæ sunt : sed stirpis
augendæ causa, gentisque vetustissimæ per orbem ter-
rarum propagandæ.

LIX. Quum hæsitaret Hegesianax, nec inficiari posset, honestiorem causam libertatis, quam servitutis, prætexi titulo ; *Quin mittimus ambages,* inquit P. Sulpicius, qui maximus natu ex decem legatis erat. *Alteram ex duabus conditionibus, quæ modo diserte a Quinctio datæ sunt, legite : aut supersedete de amicitia agere. Nos vero,* inquit Menippus, *nec volumus, nec possumus pacisci quidquam, quo regnum Antiochi minuatur.* Postero die Quinctius legationes universas Græciæ Asiæque quum in senatum introduxisset, ut scirent, quali animo populus Romanus, quali Antiochus erga civitates Græciæ essent ; postulata et sua, et regis exposuit. *Renunciarent civitatibus suis, populum Romanum, qua virtute quaque fide libertatem eorum a Philippo vindicaverit, eadem ab Antiocho, nisi decedat Europa, vindicaturum.* Tum Menippus deprecari et Quinctium et Patres institit, *Ne festinarent decernere, quo decreto turbaturi orbem terrarum essent. Tempus et sibi sumerent, et*

regi ad cogitandum darent: cogitaturum, quum renunciatae conditiones essent; et inpertraturum aliquid, aut pacis caussa consensurum. Ita integra dilata res est: legatos mitti ad regem eosdem, qui Lysimachiae apud eum fuerant, placuit, P. Sulpicium, P. Villium, P. Aelium.

U. C. 559.
A. C. 193.

Integra res de Antiocho differtur.

LX. Vixdum ii profecti erant, quum a Karthagine legati, bellum haud dubie parare Antiochum, Hannibale ministro, adtulerunt, inieceruntque curam, ne simul et Punicum bellum excitaretur. Hannibal, patria profugus, pervenerat ad Antiochum, sicut ante dictum est: et erat apud regem in magno honore, nulla alia arte, nisi quod volutanti diu consilia de Romano bello nemo aptior super tali re particeps sermonis esse poterat. Sententia ejus una atque eadem semper erat, *ut in Italia bellum gereretur. Italiam et comneatus et militem prabituram externo hosti. Si nihil ibi moveatur, liceatque populo Romano viribus et copiis Italiae extra Italiam bellum gerere; neque regem, neque gentem ullam parcam Romanis esse.* Sibi centum tectas naves, et decem milia peditum, mille equites deposcebat. *Ea se classe primum Africam petiturum: magnopere confidere, et Karthaginienses ad rebellandum ab se compelli posse. Si illi cunctentur, se aliqua parte Italiae bellum excitaturum Romanis. Regem cum ceteris omnibus transire in Europam debere, et in aliqua parte Graeciae copius continere, neque trajicientem, et (quod in speciem famamque belli satis sit) paratum trajivere.*

Hannibal Antiochum ad bellum concitat.

LXI. In hanc sententiam quum adduxisset regem, preparandos sibi ad id popularium animos ratus, literas, ne quo casu interceptae palam facerent conata, scribere non est ausus. Aristonem quem-

Concitare conatur Poenos.

U. C. 559. dam Tyrium nactus Ephesi, expertusque solertiam
 A. C. 193. levioribus ministeriis; partim donis, partim spe
 Aristonem præmiorum oneratum, quibus etiam ipse rex adnue-
 mittit Kar- rat, Karthaginem cum mandatis mittit; edit nomina
 thaginem. eorum, quibus conventis opus esset: instruit etiam
 secretis notis, per quas haud dubie agnoscerent sua
 mandata esse. Hunc Aristonem Karthagine obver-
 santem non prius amici, quam inimici Hannibalis,
 qua de causa venisset, cognoverunt. Et primo in
 circulis conviviiisque celebrata sermonibus res est:
 deinde in senatu quidam, *Nihil actum esse, dicere,*
exsilio Hannibalis, si absens quoque novas moliri res,
sollicitandoque animos hominum turbare statum civita-
tis posset. Aristonem quemdam, Tyrium advenam, in-
structum mandatis ab Hannibale et ab Antiocho rege,
venisse: certos homines quotidie cum eo secreta conlo-
quia serere, et in occulto conloqui, quod mox in om-
nium perniciem erupturum esset. Conclamare omnes,
Vocari Aristonem debere, et quæri, quid venisset; et,
nisi expromeret, cum legatis Romam mitti: satis pro
temeritate unius hominis suppliciorum pensum esse.
Privatos suo periculo peccaturos: rempublicam non
extra noxam modo, sed etiam extra famam noxæ, con-
servandam esse. Vocatus Aristo purgare sese, et fir-
 missimo propugnaculo uti, quod literarum nihil ad
 quemquam adtulisset: ceterum nec caussam adven-
 tus satis expediebat, et in eo maxime hæsitabat,
 quod cum Barcinæ solum factionis hominibus con-
 locutum eum arguebant. Orta deinde altercatio
 est, aliis pro speculatore comprehendi jam et custo-
 diri jubentibus, aliis negantibus, tumultuandi caus-
 sam esse: *mali rem exempli esse, de nihilo hospites*
corripere. Idem Karthaginiensibus, et Tyri, et in aliis

emporii, in quæ frequenter commeent, eventurum. Di-
lata eo die res est. Aristo, Punico ingenio inter
Pœnos usus, tabellas conscriptas celeberrimo loco
supra sedem quotidianam magistratum prima ves-
pera suspendit: ipse de tertia vigilia navein conscen-
dit et profugit. Postero die, quum suffetes ad jus
dicendum consedissent, conspectæ tabellæ, demtæ-
que, et lectæ. Scriptum erat, ARISTONEM PRIVATIM
AD NEMINEM, PUBLICÈ AD SENIORES (ita senatum
vocabant) MANDATA HABUISSE. Publicato crimine,
minus intenta de paucis quæstio erat: mitti tamen
legatos Romam, qui rem ad consules et ad senatum
deferrent, placuit; simul qui de injuriis Masinissæ
quererentur.

LXII. Masinissa postquam et infames Karthagi-
nienses, et inter se ipsos discordes sensit, principes
propter conloquia Aristonis senatui, senatum prop-
ter indicium ejusdem Aristonis populo suspectum;
locum injuriæ esse ratus, agrum maritimum eorum
et depopulatus est, et quasdam urbes vectigales Kar-
thaginiensium sibi coëgit stipendium pendere. Em-
poria vocant eam regionem: ora est minoris Syrtis,
et agri uberis; una civitas ejus Leptis: ea singula
in dies talenta vectigal Karthaginiensibus dedit.
Hanc tum regionem et totam infestam Masinissa,
et ex quadam parte dubiæ possessionis, sui regni,
an Karthaginiensium esset, effecerat: et quia simul
ad purganda crimina, et questum de se Romam eos
ituros comperit; qui et illa onerarent suspiciouibus,
et de jure vectigalium disceptarent, legatos et ipse
Romam mittit. Auditi de Tyrio advena primum
Karthaginienses curam injecere Patribus, ne cum
Antiocho simul et Pœnis bellandum esset: maxime

U. C. 559.
A. C. 193.

Masinissa
adgreditur
Karthagi-
nienses.

Legati Pœ-
norum et
Masinissæ
Romam
veniunt.

U. C. 559. ea suspicio crimen urgebat, quod, quem comprehen-
 A. C. 193. sum Romam mitti placuisset, nec ipsum, nec navem
 ejus custodissent. De agro deinde cum regis legatis
 disceptari cœptum. Karthaginienses jure finium
 causam tutabantur: *quod intra eos terminos esset,*
quibus P. Scipio victor agrum, qui juris esset Kartha-
giniensium, finisset: et confessione regis: qui, quum
Aphirem profugum ex regno suo, cum parte Numida-
rum vagantem circa Cyrenas, persequeretur, precario
ab se iter per eum ipsum agrum, tamquam haud dubie
Karthaginiensium juris, petisset. Numidæ et de ter-
minatione Scipionis mentiri eos arguebant: et, si quis
veram originem juris exigere vellet, quem proprium
agrum Karthaginiensium in Africa esse? Advenis,
quantum secto bovis tergo amplecti loci potuerint, tan-
tum ad urbem communiendam precario datum: quid-
quid Byrsam sedem suam excesserint, vi atque injuria
partum habere. Neque eum, de quo agatur, probare
eos posse, non modo semper, ex quo cœperint, sed ne
dîu quidem eos possedisse. Per opportunitates, nunc
illos, nunc reges Numidarum, usurpasse jus: semper-
que penes eum possessionem fuisse, qui plus armis potu-
isset. Cujus conditionis res fuerit, priusquam hostes
Romanis Karthaginienses, socius atque amicus rex Nu-
midarum esset, ejus sincerent esse: nec se interponerent,
quo minus, qui possent, tenerent. Responderi legatis
 utriusque partis placuit, missuros se in Africam, qui
 inter populum Karthaginiensem et regem in re præ-
 senti disceptarent. Missi P. Scipio Africanus, et
 C. Cornelius Cethegus, et M. Minucius Rufus; au-
 dita inspectaque re, suspensa omnia, neutro inclina-
 tis sententiis, reliquere. Id utrum sua sponte fece-
 rint, an quia mandatum ita fuerit, non tam certum

Scipio le-
 gatus in
 Africam
 missus.

est, quam videtur tempori aptum fuisse, integro ^{U. C. 559.}
certamine eos relinqui. Nam, ni ita esset, unus Sci- ^{A. C. 193.}
pio, vel notitia rei, vel auctoritate, ita de utrisque
meritus, finire nutu disceptationem potuisset.

EPITOME LIBRI XXXV.

P. *SCIPIO AFRICANUS* legatus ad *Antiochum* Ephesi cum *Hannibale*, qui se *Antiocho* junxerat, conlocutus est; ut, si fieri posset, metum ei, quem ex populo Romano conceperat, eximeret. Inter alia quum quæreret, quem fuisse maximum imperatorem *Hannibal* crederet, respondit: *Alexandrum Macedonum* regem, quod parva manu innumerabiles exercitus fudisset; quodque ultimas oras, quas visere supra spem humanam esset, peragrasset. Quærenti deinde, quem secundum poneret, *Pyrrhum*, inquit, castra metari primum docuisse: ad hoc neminem elegantius loca cepisse, præsidia disposuisse. Exsequenti, quem tertium diceret, semet ipsum dixit. Rident *Scipio*, Quidnam tu diceres, si me, inquit, vicisses? Tunc vero, inquit, me et ante *Alexandrum*, et ante *Pyrrhum*, et aute alios posuissem. Inter cetera prodigia, quæ plurima fuisse traduntur, bovem *Cn. Domitii* consulis locutum, *Roma* cave tibi, refertur. Adparant in *Antiochum* bellum *Romani*. *Nabis Lacedæmoniorum* tyrannus, incitatus ab *Ætolis*, qui et *Philippum* et *Antiochum* ad inferendum bellum populo Romano sollicitabant, a populo Romano descivit: et, bello adversus *Philopæmenem Achæorum prætorem* gesto, ab *Ætolis* et ab *Alexameno* duce eorum interfectus est. *Ætoli* quoque ab amicitia populi *Romani* defecerunt:

cum quibus societate juncta, Antiochus Syriæ rex, quum bellum Græciæ intulisset, complures urbes occupavit : inter quas Chalcidem, et totam Eubæam. Res præterea in Liguribus gestas, et adparatum belli ab Antiocho continet.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XXXV.

U. C. 559.
A. C. 193.
Res His-
paniæ.

PINCIPIO anni, quo hæc gesta sunt, Sex. Diginius prætor in Hispania citeriore cum civitatibus iis, quæ post profectionem M. Catonis permultæ rebellaverant, crebra magis, quam digna dictu, prælia fecit, et adeo pleraque adversa, ut vix dimidium militum, quam quod acceperat, successori tradiderit. Nec dubium est, quin omnis Hispania sublatura animos fuerit, ni alter prætor P. Cornelius Cn. F. Scipio trans Iberum multa secunda prælia fecisset: quo terrore non minus quinquaginta oppida ad eum defecerunt. Prætor hæc gesserat Scipio. Idem pro prætore, Lusitanos, pervastata ulteriori provincia, cum ingenti præda domum redeuntes, in ipso itinere adgressus, ab hora tertia diei ad octavam incerto eventu pugnavit, numero militum impar, superior aliis: nam et acie frequenti armatis adversus longum et inpeditum turba pecorum agmen, et recenti milite adversus fessos longo itinere concurrerat. Tertia namque vigilia exierant hostes: huic nocturno itineri tres diurnæ horæ accesserant: nec ulla quiete data, laborem viæ prælium exceperat. Itaque principio pugnæ vigoris aliquid in corporibus animisque fuit, et turbaverant

primo Romanos: deinde æquata paullisper pugna est. In hoc discrimine ludos Jovi, si vi fudisset occidissetque hostes, proprætor vovit. Tandem gradum acrius intulcre Romani, cessitque Lusitanus: deinde prorsus terga dedit: et, quum institissent fugientibus victores, ad duodecim millia hostium sunt cæsa; capti quingenti quadraginta, omnes fere equites; et signa militaria capta centum triginta quatuor. De exercitu Romano septuaginta et tres amissi. Pugnatum haud procul Ilipa urbe est. Eo victorem opulentum prædæ exercitum P. Cornelius reduxit: ea omnis ante urbem exposita est; potestasque dominis suas res cognoscendi facta: cetera vendenda quæstori data; quod inde reffectum est, militi divisum.

II. Nondum ab Roma profectus erat C. Flaminus prætor, quum hæc in Hispania gerebantur: itaque tam adversæ, quam secundæ res per ipsum amicosque ejus magnis sermonibus celebrabantur: et tentaverat, quoniam bellum ingens in provincia exarsisset, et exiguas reliquias exercitus ab Sex. Digitio, atque eas ipsas plenas pavoris ac fugæ accepturus esset, ut unam sibi ex urbanis legionibus decernerent: ad quam quum militem ab se ipso scriptum ex senatusconsulto adjecisset, eligeret ex omni numero sex millia et quingentos pedites, et equites trecentos. *Ea se legione (nam in Sex. Digitii exercitu haud multum spei esse) rem gesturum. Seniores negare, Ad rumores, a privatis temere in gratiam magistratuum confictos, senatusconsulta facienda esse: nisi quod aut prætores ex provinciis scriberent, aut legati renunciarent, nihil ratum haberi debere. Si tumultus in Hispania esset, placere, tumultuarios mi-*

U. C. 539.
A. C. 193.

U. C. 559. *lites extra Italiam scribi a prætore.* Mens ea senatus
 A. C. 193. fuit, ut in Hispania tumultuarii milites legerentur.
 Valerius Antias et in Siciliam navigasse delectus
 caussa C. Flaminium scribit : et ex Sicilia Hispaniam
 petentem, tempestate in Africam delatum, vagos milites de exercitu P. Africani sacramento
 rogasse : his duarum provinciarum delectibus tertium in Hispania adjecisse.

III. Nec in Italia segnius Ligurum bellum crescebat. Pisas jam quadraginta millia hominum, adfluente quotidie multitudine ad famam belli spemque prædæ, circumsedebant. Minucius consul Arretium die, quem dixerat ad conveniendum militibus, venit : inde quadrato agmine ad Pisas duxit ; et, quum hostes mille passuum ab oppido trans fluvium movissent castra, consul urbem, haud dubie servatam adventu suo, est ingressus. Postero die et ipse trans fluvium fere quingentos passus ab hoste posuit castra : inde levibus præliis a populationibus agrum sociorum tutabatur : in aciem exire non audebat, novo milite, et ex multis generibus hominum conlecto, necdum noto satis inter se, ut fidere alii aliis possent. Ligures multitudine freti et in aciem exhibant, parati de summa rerum decernere : et abundantes militum numero passim multas manus per extrema finium ad prædandum emittebant : et, quum coacta vis magna pecorum prædæque esset, paratum erat præsidium, per quod in castella eorum vicosque ageretur.

L. Cornelii IV. Quum bellum Ligustinum ad Pisas constitisset, consul alter L. Cornelius Merula per extremos
 res gestæ apud Boios. Ligurum fines exercitum in agrum Boiorum induxit, ubi longe alia belli ratio, quam cum Ligu-

ribus, erat. Consul in aciem exibat, hostes pug- U. C. 554.
 nam detractabant: prædatumque, ubi nemo ob- A. C. 198.
 viam exiret, discurrerant Romani; Boii diripi sua
 inpune, quam tuendo ea conserere certamen, male-
 bant. Postquam omnia ferro ignique satis evastata
 erant, consul agro hostium excessit, et ad Mutinam
 agmine incauto, ut inter pacatos, ducebat. Boii,
 ubi egressum e finibus suis hostem sensere, seque-
 bantur silenti agmine, locum insidiis quærentes:
 nocte prætergressi castra Romana, saltum, qua
 transeundum erat Romanis, insederunt. Id quum
 parum occulte fecissent, consul, qui multa nocte
 solitus erat movere castra, ne nox terrorem in tu-
 multuario prælio auget, lucem exspectavit: et,
 quum luce moveret, tamen turmam equitum explo-
 ratum misit. Postquam relatum est, quantæ copiæ,
 et in quo loco essent, totius agminis sarcinas in
 medium conjici jussit, et triarios vallum circumji-
 cere: cetero exercitu instructo ad hostem accessit.
 Idem et Galli fecerunt, postquam apertas esse insi-
 dias, et recto ac justo prælio, ubi vera virtus vince-
 ret, dimicandum viderunt.

V. Hora secunda ferue concursus est: sinistra
 sociorum ala et extraordinarii prima in acie pugna-
 bant: præerant duo consulares legati, M. Marcellus
 et Ti. Sempronius, prioris anni consul. Novus
 consul nunc ad prima signa erat, nunc legiones
 continebat in subsidiis; ne certaminis studio prius
 procurrerent, quam datum signum esset: equites
 earum extra aciem in locum patentem Q. et P. Mi-
 nucios tribunos militum educere jussit: inde, quum
 signum dedisset, inpetum ex aperto facerent. Hæc
 agenti nuncius venit a Ti. Sempronio Longo, non

U. C. 559. *sustinere extraordinarios inpetum Gallorum, et cæsos*
 A. C. 193. *permultos esse; et, qui supersint, partim labore, partim metu remisisse ardorem pugnae: legionem alteram ex duabus, si videretur, submitteret, priusquam ignominia acciperetur. Secunda legio missa est, et extraordinarii recepti. Tum redintegrata est pugna. Quum et recens miles, et frequens ordinibus legio successisset, et sinistra ala ex prælio subducta est; dextra in primam aciem subiit. Sol ingenti ardore torrebat minime patientia æstus corpora Gallorum: densis tamen ordinibus nunc alii in alios, nunc in scuta incumbentes, sustinebant inpetus Romanorum. Quod ubi animadvertit consul, ad perturbandos ordines eorum C. Livium Salinatorem, qui præerat alariis equitibus, quam concitatissimos equos inmittere jubet: et legionarios equites in subsidiis esse. Hæc procella equestris primo confudit et turbavit, deinde dissipavit aciem Gallorum; non tamen, ut terga darent. Obstabant duces, hastilibus cædentes terga trepidantium, et redire in ordines cogentes: sed interequitantes alarii non patiebantur. Consul obtestabatur milites, *Ut paullulum adniterentur; victoriam in manibus esse: dum perturbatos et trepidantes viderent, instarent: si restitui ordines sissent, integro rursus eos prælio et dubio dimicatos.* Inferre vexillarios jussit signa: omnes con-nisi tandem averterunt hostem. Postquam terga dabant, et in fugam passim effundebantur, tum ad persequendos eos legionarii equites inmissi. Quatuordecim millia Boiorum eo die cæsa sunt; vivi capti mille nonaginta duo: equites septingenti viginti unus, tres duces eorum, signa militaria du-centa duodecim, carpenta sexaginta tria. Nec Ro-*

manis incruenta victoria fuit: supra quinque millia U. C. 559.
 militum, ipsorum aut sociorum, sunt amissa, centu- A. C. 198.
 riones tres et viginti, præfecti sociûm quatuor, et
 M. Genucius, et M. Marcius, tribuni militum se-
 cundæ legionis.

VI. Eodem fere tempore duorum consulum lite-
 ræ adlatæ sunt, L. Cornelii de prælio ad Mutinam
 cum Boiis facto, et Q. Minucii a Pisis. *Comitia
 suæ sortis esse: ceterum adeo suspensa omnia in Ligu-
 ribus se habere, ut abscedi inde, sine pernicie sociorum
 et damno reipublicæ, non possit. Si ita videretur Pa-
 tribus, mitterent ad collegam, ut is, qui profligatum
 bellum haberet, ad comitia Romam rediret: si id fa-
 cere gravaretur, quod non suæ sortis id negotium esset,
 se quidem facturum, quodcumque senatus censuisset;
 sed etiam atque etiam viderent, ne magis e republica
 esset interregnum iniri, quam ab se in eo statu relinqui
 provinciam. Senatus C. Scribonio negotium dedit,
 ut duos legatos ex ordine senatorio mitteret ad L.
 Cornelium consulem, qui literas collegæ ad sena-
 tum missas deferrent ad eum; et nunciarent, *senatum,
 ni is ad magistratus subrogandos Romam veni-
 ret, potius, quam Q. Minucius a bello integro avoca-
 retur, interregnum iniri passurum. Missi legati re-
 nunciarunt, L. Cornelium ad magistratus subrogan-
 dos Romam venturum. De literis L. Cornelii, quas
 scripserat secundum prælium cum Boiis factum,
 disceptatio in senatu fuit: quia privatim plerisque
 senatoribus legatus M. Claudius scripserat, *Fortuna
 populi Romani et militum virtuti gratiam habendam,
 quod res bene gesta esset. Consulis opera et militum ali-
 quantum amissum, et hostium exercitum, cujus delendi
 oblata fortuna fuerit, elapsum. Milites eo plures***

U. C. 559. *perisse, quod tardius ex subsidiis, qui laborantibus*
 A. C. 193. *opem ferrent, successissent. Hostes e manibus emissos,*
quod equitibus legionariis et tardius datum signum es-
set, et persequi fugientes non licuisset.

Civitas
 fœnore la-
 borat.

VII. De ea re nihil temere decerni placuit: ad frequentiores consultatio dilata est. Instabat enim cura alia, quod civitas fœnore laborabat: et quod, quum multis fœnebris legibus constricta avaritia esset, via fraudis inita erat, ut in socios, qui non tenerentur iis legibus, nomina transcriberent; ita libero fœnore obruebant debitores. Cujus coërcendi quum ratio quæreretur, diem finiri placuit Feralia, quæ proxime fuissent: ut, qui post eam diem socii civibus Romanis credidissent pecunias, profiterentur; et ex ea die pecuniæ creditæ, quibus debitor vellet legibus, jus creditori diceretur. Inde, postquam professionibus detecta est magnitudo æris alieni, per hanc fraudem contracti, M. Sempronius tribunus plebis ex auctoritate Patrum plebem rogavit, plebesque scivit, ut cum sociis ac nomine Latino pecuniæ creditæ jus idem, quod cum civibus Romanis, esset. Hæc in Italia domi militiæque acta. In Hispania nequaquam tantum belli fuit, quantum auxerat fama. C. Flaminius in citeriori Hispania oppidum Iluciam in Oretanis cepit: deinde in hiberna milites deduxit: et per hiemem prælia aliquot, nulla memoria digna, adversus latronum magis, quam hostium, excursiones, vario tamen eventu, nec sine militum jactura, sunt facta. Majores res gestæ a M. Fulvio. Is apud Toletum oppidum cum Vaccæis Vectonibusque et Celtiberis signis conlatis dimicavit: exercitum earum gentium fudit fugavitque: regem Hilernum vivum cepit.

Res His-
 paniæ.

VIII. Quum hæc in Hispania gerebantur, comitiorum jam adpetebat dies : itaque L. Cornelius consul, relicto ad exercitum M. Claudio legato, Romam venit. Is in senatu quum de rebus ab se gestis disseruisset, quoque in statu provincia esset ; questus est cum Patribus conscriptis, quod, tanto bello una secunda pugna tam feliciter perfecto, non esset habitus Diis immortalibus honos. Postulavit deinde, ut supplicationem simul triumphumque decernerent. Prius tamen, quam relatio fieret, Q. Metellus, qui consul dictatorque fuerat, *Literas eodem tempore, dixit, et consulis L. Cornelii ad senatum, et M. Marcelli ad magnam partem senatorum, adlatas esse, inter se pugnantes : eoque dilatam esse consultationem, ut presentibus uictoribus earum literarum disceptaretur. Itaque expectasse sese, ut consul, qui sciret ab legato suo adversus se scriptum aliquid, quum ipsi veniendum esset, deduceret eum secum Romam : quum etiam verius esset, Ti. Sempronio imperium habenti tradi exercitum, quam legato. Nunc videri esse amotum de industria, ne ea, quæ scripsisset, præsens diceret, aut argueret coram : et, si quid vani adferret, argui posset, donec ad liquidum veritas explorata esset. Itaque nihil eorum, quæ postularet consul, decernendum in presentia censere.* Quum pergeret nihilo segnius referre, ut supplicatio decerneretur, triumphantique sibi urbem invehni liceret ; M. et C. Titinii tribuni plebis, se intercessuros, si de ea re fieret senatusconsultum, dixerunt.

U. C. 559.
A. C. 193.
L. Cornelius postulat triumphum sibi decerni.

Nec impetrat.

IX. Censores erant priore anno creati Sex. Ælius Pætus et C. Cornelius Cethegus. Cornelius lustrum condidit : censa sunt civium capita centum quadraginta tria millia, septingenta quatuor. Aquæ

U. C. 559. ingentes eo anno fuerunt, et Tiberis loca plana
 A. C. 193. urbis inundavit. Circa portam Flumentanam etiam
 conlapsa quædam ruinis sunt: et porta Cœlimon-
 tana fulmine icta est, nurusque circa multis locis
 de cœlo tactus. Et Ariciæ, et Lanuvii, et in Aven-
 tino, lapidibus pluit; et a Capua nunciatum est,
 examen vesparum ingens in forum advolasse, et in
 Martis æde consedisse: eas conlectas cum cura, et
 igni crematas esse. Horum prodigiorum causa de-
 cemviri libros adire jussi, et novemdiale sacrum
 factum, et supplicatio indicta est, atque urbs lus-
 trata. Iisdem diebus ædiculam Victoriæ Virginis,
 prope ædem Victoriæ, M. Porcius Cato dedicavit,
 biennio post, quam vovit. Eodem anno coloniam
 Latinam in agrum Thurinum triumviri deduxerunt
 Cn. Manlius Vulso, L. Apustius Fullo, Q. Ælius
 Tubero, cujus lege deducebatur: tria millia pedi-
 tum iere, trecenti equites: numerus exiguus pro
 copia agri. Dari potuere tricena jugera in pedites,
 sexagena in equites. Apustio auctore, tertia pars
 agri demta est: quo postea, si vellent, novos colo-
 nos adscribere possent. Vicena jugera pedites, qua-
 dragena equites acceperunt.

X. In exitu jam annus erat, et ambitio magis,
 quam umquam alias, exarserat consularibus comi-
 tiis: multi et potentes petebant patricii plebeiique;
 P. Cornelius Cn. filius Scipio, qui ex Hispania pro-
 vincia nuper decesserat magnis rebus gestis, et L.
 Quinctius Flaminius, qui classi in Græcia præfu-
 erat, et Cn. Manlius Vulso: hi patricii. Plebei au-
 tem C. Lælius, Cn. Domitius, C. Livius Salinator,
 M. Acilius: sed omnium oculi in Quinctium Cor-
 neliumque conjecti: nam et in unum locum pete-

Multi et
 potentes
 candidati
 consula-
 tus.

bant ambo patricii, et rei militaris gloria recens U. C. 559.
 utrumque commendabat. Ceterum ante omnia cer- A. C. 198.
 tamen accendebant fratres candidatorum, duo cla-
 rissimi ætatis suæ imperatores: major gloria in
 Scipione; et, quo major, eo propior invidiam:
 Quinctii recentior, ut qui eo anno triumphasset.
 Accedebat, quod alter decimum jam prope annum
 adsiduus in oculis hominum fuerat; quæ res minus
 verendos magnos homines ipsa satietate facit: con-
 sul iterum post devictum Hannibalem, censorque
 fuerat. In Quinctio nova et recentia omnia ad gra-
 tiam erant: nihil nec petierat a populo post trium-
 phum, nec adeptus erat: *pro fratre germano, non
 patruæ, se petere aiebat; pro legato et particeps ad-
 ministrati belli: se terra, fratrem mari, rem gessisse.*

His obtinuit, ut præferretur candidato, quem Afri- Scipio
victus a
Quinctio.
 canus frater ducebat; quem Cornelia gens, Corne-
 lio consule comitia habente; quem tantum præju-
 dicium senatus, virum e civitate optimum judica-
 tum, qui matrem Idæam Pessinunte venientem in
 urbem acciperet. L. Quinctius et Cn. Domitius
 Ahenobarbus consules facti: adeo ne in plebeio
 quidem consule, quum pro C. Lælio niteretur, Afri-
 canus valuit. Postero die prætores creati L. Scri-
 bonius Libo, M. Fulvius Centumalus, A. Atilius
 Serranus, M. Bæbius Tamphilus, L. Valerius Tappo,
 Q. Salonius Sarra. Ædilitas insignis eo anno fuit
 M. Æmilii Lepidi et L. Æmilii Paulli. Multos pe-
 cuarios damnarunt: ex ea pecunia clipea inaurata
 in fastigio Jovis ædis posuerunt. Porticum unam
 extra portam Trigeminam, emporio ad Tiberim ad-
 jecto; alteram a porta Fontinali ad Martis aram, qua
 in Campum iter esset, perduxerunt.

U. C. 559.
A. C. 193.
Res gestæ
apud Li-
gures.

Numida-
rum equi-
tatus libe-
rat exerci-
tum Ro-
manum.

XI. Diu nihil in Liguribus dignum memoria gestum erat. Extremo ejus anni his in magnum periculum res adducta est: nam et castra consulis obpugnata, ægre sunt defensa; et non ita multo post per saltum angustum quum duceretur agmen Romanum, ipsas fauces exercitus Ligurum insedit: qua quum exitus non pateret, converso agmine redire institit consul: et ab tergo fauces saltus occupatæ a parte hostium erant, Caudinæque cladis memoria non animis modo, sed prope oculis, obversabatur. Numidas octingentos ferme equites inter auxilia habebat: eorum præfectus consuli pollicetur, *se parte, utra vellet, cum suis erupturum. Tantum uti diceret, utra pars frequentior vicis esset: in eos se inpetum facturum: et nihil prius quam flammam tectis injecturum, ut is pavor cogeret Ligures excedere saltu, quem obsiderent, et discurrere ad operam ferendam suis.* Conlaudatum eum consul spe præmiorum onerat. Numidæ equos conscendunt, et obequitare stationibus hostium, neminem lacessentes, cœperunt. Nihil primo adpectu contemptius: equi hominesque paulluli et graciles: discinctus et inermis eques, præterquam quod jacula secum portat: equi sine frenis, deformis ipse cursus rigida cervice et extento capite currentium. Hunc contemptum de industria augentes, labi ex equis, et per ludibrium spectaculo esse. Itaque, qui primo intenti paratique, si lacesserentur, in stationibus fuerant, jam inermes sedentesque pars maxima spectabant. Numidæ adequitare, dein refugere, sed propius saltum paullatim evehi; velut quos impotentes regendi equi invitos efferrent; postremo subditis calcaribus inter medias stationes hostium eru-

pere : et, in agrum latiore[m] evec[t]i, omnia propin-
 qua viæ tecta incendunt : proximo deinde vico in-
 ferunt ignem, ferro flammaque omnia pervastant.
 Fumus primo conspectus, deinde clamor trepidan-
 tium in vicis auditus, postremo seniores puerique
 refugientes tumultum in castris fecerunt : itaque
 sine consilio, sine imperio, pro se quisque currere
 ad sua tutanda : momentoque temporis castra re-
 licta erant, et obsidione liberatus consul, quo in-
 tenderat, pervenit.

XII. Sed neque Boii, neque Hispani, cum qui-
 bus eo anno bellatum erat, tam inimici infestique
 erant Romanis, quam Ætolorum gens. Ætolorum
 molitiones. Ii post de-
 portatos ex Græcia exercitus primo in spe fue-
 rant, et Antiochum in vacuam Europæ possessio-
 nem venturum ; nec Philippum, aut Nabin quietu-
 ros. Ubi nihil usquam moveri viderunt, agitandum
 aliquid miscendumque rati, ne cunctando senesee-
 rent consilia, concilium Naupactum indixerunt.
 Ibi Thoas prætor eorum, conquestus injurias Ro-
 manorum statumque Ætoliæ, *quod omnium Græciæ
 gentium civitatumque inhonoratissimi post eam victo-
 riam essent, cujus causa ipsi fuissent*, legatos censuit
 circa reges mittendos, qui non solum tentarent animos
 eorum, sed suis quemque stimulis moverent ad Ro-
 manum bellum. Damoeritus ad Nabin, Nicander
 ad Philippum, Dicæarehus frater prætoris ad An-
 tiochum est missus. Tyranno Laedæmonio Da-
 mocritus, *adentis maritimis civitatibus enervatam ty-
 rannidem, dicere : inde militem, inde naves navales-
 que socios habuisse : inclusum suis prope muris Achæos
 videre dominantes in Peloponneso ; numquam habitu-
 rum recuperandi sua occasionem, si eam, quæ tum es-*

Concitant
 reges ad
 bellum Ro-
 manum.

U. C. 559. *set, prætermisisset. Nullum exercitum Romanum in*
 A. C. 193. *Græcia esse: nec propter Gythium, aut maritimos*
alios Laconas, dignam causam existimaturos Roma-
nos, cur legiones in Græciam rursus transmittant.
 Hæc ad incitandum animum tyranni dicebantur, ut,
 quum in Græciam Antiochus trajecisset, conscien-
 tia violatæ per sociorum injurias Romanæ amicitiaë,
 conjungeret se cum Antiocho. Et Philippum Ni-
 cander haud dissimili oratione incitabat: erat et-
 iam major orationi materia, quo ex altiore fastigio
 rex, quam tyrannus, detractus erat, quoque plures
 ademtæ res. Ad hoc vetusta regum Macedoniæ
 fama, peragratusque orbis terrarum victoriis ejus
 gentis referebatur. *Et tutum vel incepto, vel eventu*
se consilium adferre: nam neque, ut ante se moveat
Philippus, quam Antiochus cum exercitu transierit in
Græciam, suadere; et, qui sine Antiocho adversus Ro-
manos Ætolosque tam diu sustinuerit bellum, ei, ad-
jecto Antiocho, sociis Ætolis, qui tum graviores hos-
tes, quam Romani, fuerint, quibus tandem viribus re-
sistere Romanos posse? Adjiciebat de duce Hanni-
 bale, nato adversus Romanos hoste, qui plures et
 duces et milites eorum occidisset, quam quot super-
 essent. Hæc Philippo Nicander. Alia Dicæarehus
 Antiocho: et omnium primum, *prædam de Philippo*
Romanorum esse dicere, victoriam Ætolorum, et adi-
tum in Græciam Romanis nullos alios, quam Ætolos,
dedisse; et ad vincendum vires eosdem præbuisse: de-
inde quantas peditum equitumque copias præbituri
 Antiocho ad bellum essent: quæ loca terrestribus
 copiis, quos portus maritimis. Tum de Philippo
 et Nabide libero mendacio abutebatur: *paratum*
utrumque ad rebellandum esse: et primam quamque

occasionem recuperandi ea, quæ bello amisissent, ad-repturos. Ita per totum simul orbem terrarum Ætoli Romanis concitabant bellum : reges tamen aut non moti, aut tardius moti sunt.

XIII. Nabis extemplo circa omnes vicos maritimos dimisit, ad seditiones in iis miscendas : et alios principum donis ad suam causam perduxit, alios pertinaciter in societate Romana manentes occidit. Achæis omnium maritimorum Laconum tuendorum a T. Quinctio cura mandata erat : itaque extemplo et ad tyrannum legatos miserunt, qui admonerent fœderis eum Romani, denunciarentque, ne pacem, quam tantopere petisset, turbaret : et auxilia ad Gythium, quod jam obpugnabatur a tyranno, et Romam, qui ea nunciarent, legatos miserunt. Antiochus rex, ea hieme Raphiæ in Phœnice Ptolemæo regi Ægypti filia in matrimonium data, quum Antiochiam se recepisset, per Ciliciam, Tauro monte superato, extremo jam hiemis Ephesum pervenit : inde principio veris, Antiocho filio misso in Syriam ad custodiam ultimarum partium regni, ne quid, absente se, ab tergo moveretur, ipse cum omnibus terrestribus copiis ad Pisidas, qui circa Sidam incolunt, obpugnandos est profectus. Eo tempore legati Romani P. Sulpicius et P. Villius, qui ad Antiochum (sicut ante dictum est) missi erant, jussi prius Eumenem adire, Elæam venere ; inde Pergamum (ibi regia Eumenis fuit) escenderunt. Cupidus belli adversus Antiochum Eumenes erat, gravem, si pax esset, adcolam tanto potentior regem credens ; eundem, si motum bellum esset, non magis parem Romanis fore, quam Philippus fuisset : et aut funditus sublatum iri ; aut, si

Nabis
bellum
molitur.

Legati Ro-
mani ad
Antio-
chum.

U. C. 559. pax victo daretur, multa illi detracta sibi accessura ;
 A. C. 193. ut facile deinde se ab eo sine ullo Romano auxilio
 tueri posset. Etiam, si quid adversi casurum foret,
 satius esse Romanis sociis quamcumque fortunam
 subire, quam solum aut imperium pati Antiochi,
 aut abnuentem vi atque armis cogi. Ob hæc, quan-
 tum auctoritate, quantum consilio valebat, incitabat
 Romanos ad bellum.

XIV. Sulpicius æger Pergami substitit. Villius,
 quum Pisidiæ bello occupatum esse regem audisset,
 Ephesum profectus, dum paucos ibi moratur dies,
 dedit operam, ut cum Hannibale, qui tum ibi forte
 erat, sæpe congregeretur ; ut animum ejus et ten-
 taret, si qua posset, et metum demeret periculi ei
 quidquam ab Romanis esse. His colloquiis aliud
 quidem actum nihil est : secutum tamen sua sponte
 est, velut consilio petitum esset, ut vilior ob ea regi
 Hannibal et suspectior ad omnia fieret. Claudius,
 secutus Græcos Acilianos libros, P. Africanum in
 ea fuisse legatione tradit : eumque Ephesi conlocu-
 tum cum Hannibale. Et sermonem etiam unum
 refert, quo quærenti Africano, *quem fuisse maximum
 imperatorem Hannibal crederet ?* respondisse, *Alex-
 andrum Macedonum regem ; quod parva manu innu-
 merabiles exercitus fudisset, quodque oras, quas visere
 supra spem humanam esset, peragrasset.* Quærenti
 deinde, *quem secundum poneret ?* *Pyrrhum,* dixisse :
*castra metari primum docuisse : ad hoc neminem ele-
 gantius loca cepisse, præsidia disposuisse, urtem etiam
 conciliandi sibi homines eam habuisse, ut Italicæ gen-
 tes regis externi, quam populi Romani, tamdiu princi-
 pis in ea terra, imperium esse mollent.* Exsequenti,
quem tertium duceret ? haud dubie semet ipsum dix-

Conlo-
 quium
 Scipionis
 cum Han-
 nibale.

isse. Tum risum obortum Scipioni, et subjecisse: U. C. 559.
Quidnam tu diceres, si me vicisses? Tum me vero, A. C. 193.
 inquit, *et ante Alexandrum, et ante Pyrrhum, et ante
 omnes alios imperatores esse. Et perplexum Punico
 astu responsum, et inprovisum adsentationis genus
 Scipionem movisse, quod e grege se imperatorum
 velut inæstimabilem secrevisset.*

XV. Villius ab Epheso Apameam processit: eo
 et Antiochus, audito Romanorum legatorum ad-
 ventu, obcurrit: Apameæ congressis disceptatio ea-
 dem ferme fuit, quæ Romæ inter Quinctium et le-
 gatos regis fuerat. Mors nunciata Antiochi, filii <sup>Moritur re-
 gis filius.</sup>
 regis, quem missum paullo ante dixeram in Syriam,
 diremit colloquia. Magnus luctus in regia fuit,
 magnumque ejus juvenis desiderium: id enim jam
 specimen sui dederat, ut, si vita longior contigisset,
 magni justique regis in eo indolem fuisse adpareret.
 Quo carior acceptiorque omnibus erat, eo mors
 ejus suspectior fuit, gravem successorem eum in-
 stare senectuti suæ patrem credentem, per spadones
 quosdam, talium ministeriis facinorum acceptos re-
 gibus, veneno sustulisse. Eam quoque causam
 clandestino facinori adjiciebant, quod, quum Se-
 leuco filio Lysimachiam dedisset, Antiocho quam
 similem daret sedem, ut procul ab se honore eum
 quoque ablegaret, non habuisset. Magni tamen
 luctus species per aliquot dies regiam tenuit: le-
 gatusque Romanus, ne alieno tempore incommodus
 obversaretur, Pergamum concessit. Rex Ephesum,
 omisso, quod inchoaverat, bello, rediit: ibi, per
 luctum regia clausa, cum Minione quodam, qui
 princeps amicorum ejus erat, secreta consilia agita-
 vit. Minio, ignarus omnium externorum, viresque

U. C. 559. æstimans regis ex rebus in Syria aut Asia gestis, non
 A. C. 193. caussa modo superiorem esse Antiochum, quod nihil æqui postularent Romani, sed bello quoque superaturum credebat. Fugienti regi disceptationem cum legatis, seu jam experto eam minus prosperam, seu mœrore recenti confuso, professus Minio, se, quæ pro caussa essent, dicturum, persuasit, ut a Pergamo arcesserentur legati.

Conloquium legatorum Rom. cum Minione.

XVI. Jam convaluerat Sulpicius: itaque ambo Ephesum venerunt. Rex a Minione excusatus, et absente eo res agi cœpta est. Ibi præparata oratione Minio; *Specioso titulo, inquit, uti vos, Romani, Græcarum civitatum liberandarum video: sed facta vestra orationi non conveniunt; et aliud Antiocho juris statuistis, alio ipsi utimini. Qui enim magis Smyrnæi Lampsacenique Græci sunt, quam Neapolitani, et Rhegini, et Tarentini, a quibus stipendium, a quibus naves ex fœdere exigitis? Cur Syracusas, atque in alias Siciliae Græcas urbes prætorem quotannis, cum imperio et virgis et securibus, mittitis? nihil aliud profecto dicatis, quam armis superatis vos iis has leges inposuisse. Eandem de Smyrna et Lampsaco civitatibusque, quæ Ionæ aut Æolidis sunt, causam ab Antiocho accipite. Bello superatas a majoribus, et stipendiarias ac vectigales factas, in antiquum jus repetit: itaque ad hæc ei responderi velim, si ex æquo disceptatur, et non belli caussa quæritur. Ad ea Sulpicius, Fecit verecunde, inquit, Antiochus, qui, si alia pro caussa ejus non erant, quæ dicerentur, quemlibet ista, quam se, dicere maluit. Quid enim simile habet civitatum earum, quas comparasti, caussa? Ab Rheginis, et Neapolitanis, et Tarentinis, ex quo in nostram venerunt potestatem, uno et perpetuo tenore juris, semper usurpato, numquam in-*

termisso, quæ ex fœdere debent, exigimus. Potesne tandem dicere, ut ii populi non per se, non per alium quemquam fœdus mutaverint, sic Asiæ civitates, ut semel venerunt in majorum Antiochi potestatem, in perpetua possessione regni vestri permansisse, et non alias earum in Philippi, alias in Ptolemæi fuisse potestate, alias per multos annos nullo ambigente libertatem usurpasse? Nam si, quod aliquando servierunt, temporum iniquitate pressi, jus post tot secula adserendi eos in servitutem faciet; quid abest, quin actum nobis nihil sit, quod a Philippo liberavimus Græciam, et repetant posterius ejus Corinthum, Chalcedem, Demetriadem, et Thesalorum totam gentem? Sed quid ego causam civitatum ago, quam, ipsis agentibus, et nos et regem ipsum cognoscere æquius est?

XVII. Vocari deinde civitatum legationes jussit, præparatas jam ante et instructas ab Eumene, qui, quantumcumque virium Antiocho decessisset, suo id accessurum regno ducebat. Admissi plures, dum suas quisque nunc querelas, nunc expostulationes inserit, et æqua iniquis miscent, e disceptatione altercationem fecerunt: itaque, neque remissa ulla re, neque inpetrata, æque ac venerant, omnium incerti legati Romam redierunt. Rex, dimissis iis, consilium de bello Romano habuit. Ibi alius alio ferocius (quia quo quisque asperius adversus Romanos locutus esset, eo spes gratiæ major erat) alius superbiam postulatorum increpare, tamquam Nabidi victo, sic Antiocho, maximo Asiæ regum, inponentium leges: *quamquam Nabidi tamen dominationem in patriam suam, et patriam Lacedæmonem, remissam: Antiocho si Smyrna et Lampsacus imperata faciant, indignum videri. Alii, parvas et vix dictu dignas belli*

U. C. 559.

A. C. 193.

Rex consilium habet de Romano bello.

U. C. 559. *caussas tanto regi eas civitates esse: sed initium semper*
 A. C. 193. *a parvis injusta imperandi fieri: nisi crederent, Persas,*
quum aquam terramque ab Lacedæmoniis petierunt,
gleba terræ et haustu aquæ eguisse. Per similem ten-
tationem Romanis de duabus civitatibus agi: et alias
civitates, simul duas jugum exuisse vidissent, ad libera-
torem populum defecturas. Si non libertas servitute
potior sit, tamen omn: præsentî statu spem cuique no-
vandi res suas blandiorem esse.

XVIII. Alexander Acarnan in consilio erat, Philippi quondam amicus, nuper relicto eo secutus opulentiorē regiā Antiochi: et, tamquam peritus Græciæ, nec ignarus Romanorum, in eum gradum amicitiae regis, ut consiliis quoque arcanis interesset, acceptus erat. Is, tamquam non, utrum bellandum esset, nec ne, consuleretur, sed ubi et qua ratione bellum gereretur, *Victoriam se haud dubiam proponere animo adfirmabat, si in Europam transisset rex, et in aliqua Græciæ parte sedem bello cepisset. Jam primum Ætolos, qui umbilicum Græciæ incolerent, in armis eum inventurum, antesignanos ad asperrima quæque belli paratos. In duobus velut cornibus Græciæ, Nabin a Peloponneso concitaturum omnia, repetentem Argivorum urbem, repetentem maritimas civitates; quibus eum depulsum Romani Lacedæmonis muris inclusissent; a Macedonia Philippum, ubi primum bellicum cani audisset, arma capturum. Nosse se spiritus ejus, nosse animum; scire, ferarum modo, quæ claustris aut vinculis teneantur, ingentes jam diu iras eum in pectore volvere: meminisse etiam se, quoties in bello precari omnes Deos solitus sit, ut Antiochum sibi darent adiutorem: cujus voti si compos nunc fiat, nullam moram rebellandi facturum. Tantum non cunctandum, neque*

cessandum esse: in eo enim victoriam verti, si et loca opportuna, et socii præoccuparentur. Hannibalem quoque sine mora mittendum in Africam esse ad distringendos Romanos.

U. C. 559.

A. C. 193.

XIX. Hannibal non adhibitus in consilium, propter conloquia cum Villio suspectus regi, et in nullo postea honore habitus, primo eam contumeliam tacitus tulit: deinde melius esse ratus, et percunctari causam repentinæ alienationis, et purgare se, tempore apto, quæsitâ simpliciter iracundiæ causa auditaque, *Pater Hamilcar, inquit, Antioche, parvum admodum me, quum sacrificaret, altaribus admotum jurejurando adegit, numquam amicum fore populi Romani. Sub hoc sacramento sex et triginta annos militavi: hoc me in pace patria mea expulit: hoc patria extorrem in tuam regiam adduxit: hoc duce, si tu spem meam destitueris, ubicumque vires, ubi arma esse sciam, huc veniam, toto orbe terrarum quærens aliquos Romanis hostes. Itaque, si quibus tuorum meis criminibus apud te crescere libet, aliam materiam crescendi ex me quærant. Odi, odioque sum Romanis: id me verum dicere, pater Hamilcar et Dii testes sunt. Proinde, quum de bello Romano cogitabis, inter primos amicos Hannibalem habeto: si qua res te ad pacem compellet, in id consilium alium, cum quo deliberes, quærito.* Non movit modo talis oratio regem, sed etiam reconciliavit Hannibali. Ex consilio ita discessum est, ut bellum gereretur.

Hannibal suspectus regi.

Se purgat.

XX. Romæ destinabant quidem sermonibus hostem Antiochum, sed nihil dum ad id bellum præter animos parabant. Consulibus ambobus Italia provincia decreta est: ita ut inter se compararent, sor-

U. C. 560.

A. C. 192.

U. C. 560. tirenturve, uter comitiis ejus anni præset: ad
 A. C. 192. utrum ea non pertineret cura, ut paratus esset, si
 quo eum extra Italiam opus esset ducere legiones. Huic consuli permissum, ut duas legiones scriberet
 novas, et sociûm Latini nominis viginti millia, et equites octingentos. Alteri consuli duæ legiones
 decretæ, quas L. Cornelius consul superioris anni
 habuisset: et sociûm ac Latini nominis ex eodem
 exercitu quindecim millia, et equites quingenti. Q.
 Minucio cum exercitu, quem in Liguribus habebat,
 prorogatum imperium: additum, in supplementum
 ut quatuor millia peditum Romanorum scriberentur,
 et centum quinquaginta equites; et sociis eodem
 quinque millia peditum imperarentur, ducenti quin-
 quaginta equites. Cn. Domitio extra Italiam, quo
 senatus censuisset, provincia evenit, L. Quinctio
 Gallia et comitia habenda. Prætores deinde pro-
 vincias sortiti: M. Fulvius Centumalus urbanam,
 L. Scribonius Libo peregrinam, L. Valerius Tappo
 Siciliam, Q. Salonius Sarra Sardiniam, M. Bæbius
 Tamphilus Hispaniam citeriorem, A. Atilius Serra-
 nus ulteriorem. Sed his duobus primum senatus-
 consulto, deinde plebis etiam scito permutatæ pro-
 vincia sunt. Atilio classis et Macedonia, Bæbio
 Bruttii decreti. Flaminio Fulvioque in Hispaniis
 prorogatum imperium. Bæbio Tamphilo in Brut-
 tios duæ legiones decretæ, quæ priore anno urbanæ
 fuissent: et ut sociis eodem millia peditum quindecim
 imperarentur, et quingenti equites. Atilius tri-
 ginta naves quinqueres facere jussus, et ex nava-
 libus veteres deducere, si quæ utiles essent, et scri-
 bere navales socios. Et consulibus imperatum, ut

Classem
 parant
 Romani.

ei duo millia socium ac Latini nominis, et mille pedites darent Romanos. Hi duo praetores et duo exercitus, terrestris navalisque, adversus Nabin, aperte jam obpugnantem socios populi Romani, dicebantur parari. Ceterum legati ad Antiochum missi expectabantur: et, priusquam ii redissent, vetuerat Cn. Domitium consulem senatus ab urbe discedere.

XXI. Praetoribus Fulvio et Scribonio, quibus, ut jus dicerent Romae, provincia erat, negotium datum, ut, praeter eam classem, cui Atilius praefuturus erat, centum quinqueremes pararent. Priusquam consul praetoresque in provincias proficiscerentur, supplicatio fuit prodigiorum causa. Capram sex haedos uno foetu edidisse, ex Piceno nunciatum est: et Arretii puerum natum unimanum: Amiterni terra pluisse: Formiis portam murumque de caelo tacta: et (quod maxime terrebat) consulis Cn. Domitii bovem locutum, ROMA CAVE TIBI. Ceterorum prodigiorum causa supplicatum est: bovem cum cura servari alicue aruspices jusserunt. Tiberis, infestiore quam priore inpetu inlatus urbi, duo pontes, aedificia multa, maxime circa portam Flumentanam, evertit. Saxum ingens, sive imbribus, sive motu terrae levio, quam ut alioqui sentiretur, labefactatum, in vicum Jugarium ex Capitolio procidit, et multos obpressit. In agris passim inundatis pecua ablata, villarum strages facta est. Priusquam L. Quinctius consul in provinciam perveniret, Q. Minucius in agro Pisano cum Liguribus signis conlatis pugnavit: non Ligur. victi
a Minucio.
millia hostium occidit: ceteros fusos fugatosque in castra compulit. Ea usque in noctem magno certamine obpugnata defensaque sunt: nocte clam profecti Ligures; prima luce Romanus vacua castra

U. C. 560. invasit: prædæ minus inventum est, quod subinde
 A. C. 192. spolia agrorum capta domos mittebant. Minucius
 nihil deinde laxamenti hostibus dedit: ex agro Pi-
 sano in Ligures profectus, castella vicosque eorum
 igni ferroque pervastavit: ibi præda Etrusca, quæ
 missa a populatoribus fuerat, repletus est miles Ro-
 manus.

Atilius
 contra
 Nabin
 missus.

Res His-
 paniaë.

XXII. Sub idem tempus legati ab regibus Ro-
 mam reverterunt: qui quum nihil, quod satis matu-
 ram causam belli haberet, nisi adversus Lacedæ-
 monium tyrannum, adtulissent, quem et Achæi le-
 gati nunciabant contra fœdus maritimam oram La-
 conum obpugnare; Atilius prætor cum classe mis-
 sus est in Græciam ad socios tuendos. Consules,
 quando nihil ab Antiocho instaret, proficisci ambo
 in provincias placuit. Domitius ab Arimino, qua
 proximum fuit, Quinctius per Ligures in Boios ve-
 nit. Duo consulum agmina diversa late agrum hos-
 tium pervastarunt: primo equites eorum pauci cum
 præfectis, deinde universus senatus, postremo in qui-
 bus aut fortuna aliqua, aut dignitas erat, ad mille
 quingenti ad consules transfugerunt. Et in utraque
 Hispania eo anno res prospere gestæ: nam et C.
 Flaminius oppidum Litabrum, munitum opulentum-
 que, vineis expugnavit, et nobilem regulum Corribi-
 lonem vivum cepit: et M. Fulvius proconsul cum
 duobus exercitibus hostium duo secunda prælia fe-
 cit; oppida duo Hispanorum, Vesceliam Holonem-
 que, et castella multa expugnavit: alia voluntate ad
 eum defecerunt: tum in Orctanos progressus, et ibi
 duobus potitus oppidis, Noliba et Cusibi, ad Tagum
 amnem ire pergit. Toletum ibi parva urbs erat, sed
 loco munito: eam quum obpugnaret, Vectonum

magnus exercitus Toletanis subsidio venit. Cum his signis conlatis prospere pugnavit: et, fuis Vec-
 tonibus, operibus Toletum cepit. U. C. 560.
A. C. 192.

XXIII. Ceterum eo tempore minus ea bella, quæ gerebantur, curæ Patribus erant, quam exspectatio nondum cæpti cum Antiocho belli: nam etsi per legatos idem omnia explorabantur, tamen rumores, temere sine ullis auctoribus orti, multa falsa veris miscebant. Inter quæ adlatum erat, quum in Ætoliâ venisset Antiochus, extemplo classem eum in Siciliam missurum. Itaque senatus, etsi prætor Atilium cum classe miserat in Græciam, tamen, quia non copiis modo, sed etiam auctoritate opus erat ad tuendos sociorum animos, T. Quinctium, et Cn. Octavium, et Cn. Servilium, et P. Villium legatos in Græciam misit; et, ut M. Bæbius ex Bruttis ad Tarentum et Brundisium promoveret legiones, decrevit; ut inde, si res posceret, in Macedoniam trajiceret; et ut M. Fulvius prætor classem navium triginta mitteret ad tuendam Siciliæ oram: et ut cum imperio esset, qui classem eam duceret: (duxit L. Oppius Salinator, qui priore anno ædilis plebis fuerat) et ut idem prætor L. Valerio collegæ scriberet, *Periculum esse, ne classis regis Antiochi ex Ætolia in Siciliam trajiceret: itaque placere senatui, ad eum exercitum, quem haberet, tumultuariorum militum ad duodecim millia, et quadringentos equites scribere eum, quibus oram maritimam provinciæ, qua vergeret in Græciam, tueri posset.* Eum delectum prætor non ex Sicilia ipsa tantum, sed etiam ex circumjacentibus insulis habuit: oppidaque omnia maritima, quæ in Græciam versa erant, præsiis firmavit. Addidit alimenta rumoribus adventus Attali, Eumenis fra-
Legati in
Græciam
missi.

Attalus fra-
ter Eume-
nis Romæ.

U. C. 560. tris, qui nunciavit, Antiochum regem Hellespontum
 A. C. 192. cum exercitu transisse; et Ætolos ita se parare, ut
 sub adventum ejus in armis essent. Et Eumeni ab-
 senti, et præsentì Attalo gratiæ actæ: et ædes libe-
 ræ, locus, lautia decreta, et munera data, equi duo,
 bina equestria arma, et vasa argentea centum pondo,
 et aurea viginti pondo.

XXIV. Quum alii atque alii nuncii bellum in-
 stare adferrent, ad rem pertinere visum est, consules
 primo quoque tempore creari. Itaque senatuscon-
 sultum factum est, ut M. Fulvius prætor literas ex-
 templo ad consulem mitteret, quibus certior fieret,
 senatui placere, provincia exercituque tradito lega-
 tis, Romam reverti eum, et ex itinere præmittere
 edictum, quo comitia consulibus creandis ediceret.
 Paruit his literis consul, et, præmisso edicto, Ro-
 mam venit. Eo quoque anno magna ambitio fuit,
 quod patricii tres in unum locum petierunt, P. Cor-
 nelius Cn. F. Scipio, qui priore anno repulsam tulerat,
 et L. Cornelius Scipio, et Cn. Manlius Vulso.
 P. Scipioni, ut dilatam viro tali, non negatum, ho-
 norem adpareret, consulatus datus est: additur ei
 de plebe collega, M. Acilius Glabrio. Postero die
 prætores creati, L. Æmilius Paullus, M. Æmilius
 Lepidus, M. Junius Brutus, A. Cornelius Mammula,
 C. Livius, et L. Oppius; utrique eorum Salinator
 cognomen erat. Oppius is erat, qui classem triginta
 navium in Siciliam duxerat. Interim dum novi ma-
 gistratus sortirentur provincias, M. Bæbius a Brun-
 disio cum omnibus copiis transire in Epirum est
 jussus, et circa Apolloniam copias continere: et
 M. Fulvio prætori urbano negotium datum est, ut
 quinqueremes novas quinquaginta faceret.

XXV. Et populus quidem Romanus ita se ad omnes conatus Antiochi præparabat. Nabis jam non differebat bellum, sed summa vi Gythium obpugnabat; et, infensus Achæis, quod miserant obsessis præsidium, agros eorum vastabat. Achæi non antea ausi capessere bellum, quam ab Roma revertissent legati, ut, quid senatui placeret, scirent, post reditum legatorum et Sicyonem concilium edixerunt, et legatos ad T. Quinctium miserunt, qui consilium ab eo peterent. In concilio omnium ad bellum extemplo capessendum inclinatæ sententiæ erant: literæ T. Quinctii cunctationem injecerunt, quibus auctor erat prætorem classemque Romanam expectandi. Quum principum alii in sententia permanerent; alii utendum ejus, quem ipsi consulissent, consilio censerent; multitudo Philopœmenis sententiam expectabat. Prætor is tum erat, et omnes eo tempore et prudentia et auctoritate antebat. Is præfatus, *bene comparatum apud Ætolos esse, ne prætor, quum de bello consulisset, ipse sententiam diceret*: statuere quamprimum ipsos, quid velent, jussit. *Prætorem decreta eorum cum fide et cura exsecuturum: adnisciturumque, ut, quantum in consilio humano positum esset, nec pacis eos pœniteret, nec belli.* Plus ea oratio momenti ad incitandos ad bellum habuit, quam si aperte suadendo cupiditatem res gerendi ostendisset. Itaque ingenti consensu bellum decretum est: tempus et ratio administrandi ejus libera prætori permissa sunt. Philopœmen, præterquam quod ita Quinctio placeret, et ipse existimabat classem Romanam expectandam, quæ a mari Gythium tueri posset, sed metuens, ne dilationem res non pateretur, et non Gythium solum, sed præ-

U. C. 569.

A. C. 192.

Nabis Gythium obpugnat.

Achæi bellum in eum decernunt.

U. C. 560. sidium quoque missum ad tuendam urbem amitteretur. A. C. 192. tur, naves Achæorum deduxit.

XXVI. Comparaverat et tyrannus modicam classem ad prohibenda, si qua obsessis mari submitterentur, præsidia, tres tectas naves, et lembos pristisque, tradita vetere classe ex fœdere Romanis. Harum novarum tum navium agilitatem ut experiretur, simul ut omnia satis apta ad certamen essent, provectos in altum quotidie renigem militemque simulacris navalis pugnæ exercebat, in eo ratus verti spem obsidionis, si præsidia maritima interclusisset. Prætor Achæorum, sicut terrestrium certaminum arte quemvis clarorum imperatorum vel usu vel ingenio æquabat, ita rudis in re navali erat; Arcas, mediterraneus homo, externorum etiam omnium, nisi quod in Creta præfectus auxiliorum militaverat, ignarus. Navis erat quadriremis vetus, capta annis octoginta ante, quum Crateri uxorem Nicæam ab Naupacto Corinthum veheret: hujus fama motus (fuerat enim nobile in classe regia quondam navigium) deduci ab Ægio putrem jam admodum et vetustate dilabentem jussit. Hac tum prætoriam nave præcedente classem, quum in ea Patrensis Tiso præfectus classis veheretur, obcurrerunt a Gythio Laconum naves: et primo statim incursu ad novam et firmam navem vetus, quæ per se ipsa omnibus compagibus aquam acciperet, divulsa est: captique omnes, qui in nave erant. Cetera classis, prætoriam nave amissa, quantum quæque remis valuit, fugerunt: ipse Philopœmen in levi speculatoria nave fugit: nec ante fugæ finem, quam Patras ventum est, fecit. Nihil ea res animum militaris viri, et multos experti casus, inminuit: quin contra, si in

Classe vincitur Philopœmen.

re navali, cujus esset ignarus, offendisset, eo plus in ea, quorum usu calleret, spei nactus, breve id tyranno gaudium se effecturum adfirmabat.

U. C. 560.

A. C. 192.

XXVII. Nabis, quum prospera elatus re, tum spem etiam haud dubiam nactus, nihil jam a mari periculi fore, et terrestres aditus claudere opportune positis præsiidiis voluit: tertia parte copiarum ab obsidione Gythii abducta, ad Pleias posuit castra. Inminet is locus et Leucis, et Acriis, qua videbantur hostes exercitum admoturi. Quum ibi stativa essent, et pauci tabernacula haberent, multitudo alia casas ex arundine textas fronde, quæ umbram modo præberet, texissent; priusquam in conspectum hostium veniret Philopæmen, nec opinantem eum improviso genere belli adgredi statuit. Navigia parva in stationem occultam agri Argivi contraxit: in ea expeditos milites, cætratos plerosque, cum fundis et jaculis, et alio levi genere armaturæ, inposuit: inde litora legens, quum ad propinquum castris hostium promontorium venisset, egressus callibus notis, nocte Pleias pervenit: et, sopitis vigilibus, ut in nullo propinquo metu, ignem casis ab omni parte castrorum injecit. Multi prius incendio absumpti sunt, quam hostium adventum sentirent: et, qui senserant, nullam opem ferre potuerunt. Ferro flammaque omnia absumpta: perpauci tamen ex tam ancipiti peste ad Gythium in majora castra perfrugerunt. Ita percussis hostibus, Philopæmen protinus ad depopulandam Tripolim Laconici agri, qui proximus finem Megalopolitarum est, duxit: et, magna vi pecorum hominumque inde abrepta, priusquam a Gythio tyrannus præsidium agris mitteret, discessit. Inde Tegeam exercitu contracto, concilioque eodem

Nabidis
castra in-
cendit.

U. C. 560. et Achæis et sociis indicto, in quo et Epirotarum et

A. C. 192. Acarnanum fuere principes, statuit, quoniam satis et suorum a pudore maritimæ ignominia restituti animi, et hostium conterriti essent, ad Lacedæmonem ducere: eo modo uno ratus ab obsidione Gythii hostem abduci posse. Ad Caryas primum in hostium terra posuit castra. Eo ipso die Gythium expugnatum est: cujus rei ignarus Philopœmen, castra ad Barbosthenem (mons est decem millia passuum ab Lacedæmone) promovit. Et Nabis, recepto Gythio, cum expedito exercitu inde profectus, quum præter Lacedæmonem raptim duxisset, Pyrrhi (quæ vocant) castra occupavit: quem peti locum ab Achæis, non dubitabat: inde hostibus obcurrit. Obtinebant autem longo agmine propter angustias viæ prope quinque millia passuum: cogeatur agmen ab equitibus, et maxime a parte auxiliorum; quod existimabat Philopœmen, tyrannum mercenariis militibus, quibus plurimum fideret, ab tergo suos adgressurum. Duæ res simul inopinatæ perculerunt eum: una, præoccupatus, quem petebat, locus: altera, quod primo agmini obcurrisse hostem cernebat, ubi, quum per loca confragosa iter esset, sine levis armaturæ præsidio signa ferri non videbat posse.

Philopœmenis solertia in locis capiendis.

XXVIII. Erat autem Philopœmen præcipuæ in ducendo agmine locisque capiendis solertiæ atque usus: nec belli tantum temporibus, sed etiam in pace, ad id maxime animum exercuerat. Ubi iter quopiam faceret, et ad difficilem transitu saltum venisset, contemplatus ab omni parte loci naturam, quum solus iret, secum ipse agitabat animo; quum comites haberet, ab iis quærebat, *Si hostis eo loco adparuisset, quid, si a fronte, quid, si ab latere hoc*

aut illo, quid, si ab tergo adoriretur, capiendum consilii foret? Posse instructos recta acie, posse inconditum agmen, et tantummodo aptum viæ, obcurrere. Quem locum ipse capturus esset, cogitando aut quærendo exsequebatur; aut quot armatis, aut quo genere armorum (plurimum enim interesse) usus; quo impedimenta, quo sarcinas, quo turbam inermem rejiceret; quanto ea, aut quali præsidio custodiret; et utrum pergere, qua cæpisset ire via, an eam, qua venisset, repetere melius esset; castris quoque quem locum caperet, quantum munimento amplecteretur loci, qua opportuna aquatio, qua pabuli lignorumque copia esset: qua postero die castra moventi tutum maxime iter, quæ forma agminis foret. His curis cogitationibusque ita ab ineunte ætate animum agitaverat, ut nulla ei nova in tali re cogitatio esset. Et tum omnium primum agmen constituit: dein Cretenses auxiliares et, quos Tarentinos vocabant, equites, binos secum trahentes equos, ad prima signa misit: et, jussis equitibus subsequi, super torrentem, unde aquari possent, rupem occupavit. Eo impedimenta omnia et calonum turbam coniectam armatis circumdedit, et pro natura loci castra communivit: tabernacula statuere in aspretis et inæquabili solo difficile erat. Hostes quingentos passus aberant: ex eodem rivo utrimque cum præsidio levis armaturæ aquati sunt: et, priusquam (qualia in propinquis castris solent) contraberetur certamen, nox intervenit. Postero die adparebat pugnandum pro aquatoribus circa rivum esse: nocte in valle a conspectu hostium aversa, quantam multitudinem locus oculere poterat, condidit, cætratorum.

XXIX. Luce orta, Cretensium levis armatura et

U. C. 560. A. C. 192. Prælium inter Philopœmenem et Nabin.

Tarentini equites super torrentem prælium commiserunt. Telemnastus Cretensis popularibus suis, equitibus Lycortas Megalopolitanus præerat. Cretenses et hostium auxiliares, equitumque idem genus Tarentini, præsidio aquatoribus erant. Aliquamdiu dubium prælium fuit, ut eodem ex parte utraque hominum genere, et armis paribus. Procedente certamine, et numero vicere tyranni auxiliares, et quia ita præceptum a Philopœmene præfectis erat, ut, modico edito prælio, in fugam inclinarent, hostemque ad insidiarum locum pertraherent. Effuse secuti fugientes per convallem, plerique et vulnerati, et interfecti sunt, priusquam occultum hostem viderent. Cætrati ita, quantum latitudo vallis patiebatur, instructi sederant, ut facile per intervalla ordinum fugientes suos acciperent. Consurgunt deinde ipsi integri, recentes, instructi: et in hostes inordinatos, effusos, labore etiam et vulneribus fessos, in petum faciunt. Nec dubia victoria fuit: extemplo terga dedit tyranni miles: et haud paullo concitatius cursu, quam secutus erat, fugiens, ad castra est compulsus: multi cæsi captique in ea fuga sunt. Et in castris quoque foret trepidatum, ni Philopœmen receptui cani jussisset; loca magis confragosa, et, quacumque temere processisset, iniqua, quam hostem, metuens. Inde et ex fortuna pugnae, et ex ingenio ducis conjectans, in quo tum is pavore esset, unum de auxiliariis specie transfugæ mittit ad eum, qui pro comperto adferret: Achæos statuisset postero die ad Eurotam amnem, qui prope ipsis adfluit mœnibus, progredi, ut intercluderent iter; ne aut tyrannus, quum vellet, receptum ad urbem haberet; aut commeatus ab urbe in castra portarentur: si-

mul etiam tentaturus, si quorum animi sollicitari ad defectionem a tyranno possent. Non tam fidem dictis perfuga fecit, quam perculso metu relinquendi castra causam probabilem præbuit. Postero die Pythagoram cum auxiliariis et equitatu stationem agere pro vallo jussit: ipse, tanquam in aciem cum robore exercitus egressus, signa ocius ferri ad urbem jussit.

U. C. 560.
A. C. 192.
Castris deserit tyrannus.

XXX. Philopœmen, postquam citatum agmen per angustam et proclivem viam duci raptim vidit, equitatum omnem et Cretensium auxiliares in stationem hostium, quæ pro castris erat, emittit. Illi, ubi hostes adesse, et a suis se desertos viderunt, primo in castra recipere se conati sunt: deinde, postquam instructa acies tota Achæorum admovebatur, metu ne cum ipsis castris caperentur, sequi suorum agmen aliquantum prægressum insistent. Extemplo cætrati Achæorum in castra inpetum faciunt, et diripiunt: ceteri ad persequendos hostes ire pergunt. Erat iter tale, per quod vix tranquillum ab hostili metu agmen expediri posset. Ut vero ad postremos prælium ortum est, clamorque terribilis a tergo paventium ad prima signa est perlatus, pro se quisque, armis abjectis, in circumjectas itineri silvas diffugiunt, momentoque temporis strage armorum septa via est, maxime hastis; quæ, pleræque adversæ cadentes, velut vallo objecto, iter impediebant. Philopœmen, utcumque possent, instare et persequi auxiliariis jussis, (utique enim equitibus haud facilem futuram fugam) ipse gravius agmen via patientiore ad Eurotam amnem deduxit: ibi castris sub occasum solis positis, levem armaturam, quam ad persequendum reliquerat hostem, obperie-

Funditur
ejus exercitus.

U. C. 560. batur. Qui ubi prima vigilia venerunt, nunciantes,
 A. C. 192. tyrannum cum paucis ad urbem penetrasse, ceteram multitudinem inermem toto sparsam vagari saltu, corpora curare eos jubet: ipse ex cetera copia militum (qui, quia priores in castra venerant, refecti et cibo sumto, et modica quiete erant) delectos, nihil præter gladios secum ferentes, extemplo educit, et duarum portarum itineribus, quæ Pheras, quæque Barbothienem ferunt, eos instruxit; qua ex fuga recepturos sese hostes credebat. Nec eum opinio fefellit: nam Lacedæmonii, quoad lucis superfuit quidquam, deviis oallibus medio saltu se recipiebant. Primo vespere ut lumina in castris hostium conspexere, e regione eorum occultis semitis se tenuerunt: ubi ea sunt prægressi, jam tutum rati, in patentibus vias descenderunt: ibi excepti ab insidente hoste passim ita multi cæsi captique sunt, ut vix quarta pars de toto exercitu evaserit. Philopœmen, incluso tyranno in urbem, insequentes dies prope triginta vastandis agris Laconum absumsit, debilitatisque ac prope fractis tyranni viribus, domum rediit, æquantibus eum gloria rerum Achæis imperatori Romano, et, quod ad Laconicum bellum adtineret, præferentibus etiam.

XXXI. Dum inter Achæos et tyrannum bellum erat, legati Romanorum circumire sociorum urbes, solliciti, ne Ætoli partis alicujus animos ad Antiochum avertissent: minimum operæ in Achæis adeundis consumserunt; quos, quia Nabidi infesti erant, ad cetera quoque satis fidos censebant esse. Athenas primum, inde Chalcidem, inde in Thessaliam iere: adlocutique concilio frequenti Thessalos, Demetriadem iter flexere: eo Magnetum concilium in-

Legati
 Rom. apud
 Magnetas.

dictum est. Adcuratior ibi habenda oratio fuit, quod U. C. 560.
 pars principum alienati a Romanis, totique Antio- A. C. 192.
 chi et Ætolorum erant: quia, quum reddi filium ob-
 sidem Philippo adlatum esset, stipendiumque inpo-
 situm remitti, inter cetera vana adlatum erat, De-
 metriadem quoque ei reddituros Romanos esse. Id
 ne fieret, Eurylochus princeps Magnetum, factionis-
 que ejus quidam, omnia novari Ætolorum Antiochi-
 que adventu malebant. Adversus eos ita disseren-
 dum erat, ne, timorem vanum iis demendo, spes in-
 cisa Philippum abalienaret: in quo plus ad omnia
 momenti, quam in Magnetibus, esset. Illa tantum
 commemorata, *quum totam Graciam beneficio liber-
 tatis obnoxiam Romanis esse, tum eam civitatem præ-
 cipue. Ibi enim non præsidium modo Macedonum fu-
 isse, sed regiam exædificatam, ut præsens semper in
 oculis habendus esset dominus. Ceterum nequidquam
 ea facta, si Ætoli Antiochum in Philippi regiam ad-
 ducerent, et novus et incognitus pro vetere et experto
 habendus rex esset.* Magnetarchen summum magis-
 tratum vocant: is tum Eurylochus erat: ac potes-
 tate ea fretus, negavit dissimulandum sibi et Mag-
 netibus esse, quæ fama vulgata de reddenda Deme-
 triade Philippo foret: id ne fieret, omnia et conanda
 et audenda Magnetibus esse. Et inter dicendi con-
 tentionem inconsultius evectus projecit, *Tum quoque
 specie liberam Demetriadem esse: re vera omnia ad nu-
 tum Romanorum fieri.* Sub hanc vocem fremitus
 variantis multitudinis fuit, partim adsensum, partim
 indignationem, dicere id ausum eum. Quinctius
 quidem adeo exarsit ira, ut, manus ad cælum ten-
 dens, Deos testes ingrati ac perfidi animi Magne-
 tum invocaret. Hac voce perterritis omnibus, Ze-

Eurylochi
 inconsulta
 vox.

U. C. 560. no, ex principibus unus, magnæ tum ob eleganter
 A. C. 192. actam vitam auctoritatis, tum quod semper Romanorum haud dubie partis fuerat, ab Quinctio legatisque aliis flens petiit, *ne unius amentiam civitati assignarent. Suo quemque periculo furere. Magnetas non libertatem modo, sed omnia, quæ hominibus sancta caraque sint, T. Quinctio et populo Romano debere. Nihil quemquam ab Diis immortalibus precari posse, quod non Magnetes ab illis haberent; et in corpora sua citius per furorem savituros, quam ut Romanam amicitiam violarent.*

Ætoli defectionem nudant.

XXXII. Hujus orationem subsecutæ multitudinis preces sunt. Eurylochus ex concilio itineribus occultis ad portam, atque inde protinus in Ætoliam profugit. Jam enim, et id magis in dies, Ætoli defectionem nudabant: coque ipso forte tempore Thoas, princeps gentis, quem miserant ad Antiochum, redierat, indeque Menippum secum adduxerat, regis legatum. Qui, priusquam concilium iis daretur, impleverant omnium aures, terrestres navalesque copias commemorando; *ingentem vim peditum equitumque venire: ex India elephantos: ante omnia (quæ maxime moveri credebant multitudinis animos) tantum advehi auri, ut ipsos emere Romanos possit.* Adparebat, quid ea oratio in concilio motura esset: nam et venisse eos, et, quæ agerent, omnia Romanis legatis deferebantur: et, quamquam prope abscisa res erat, tamen non ab re esse Quinctio visum est, sociorum aliquos legatos interesse ei concilio, qui admonerent Romanæ societatis Ætolos, qui vocem liberam mittere adversus regis legatum auderent. Athenienses maxime in eam rem idonei visi sunt, propter et civitatis dignitatem, et vetustam

societatem cum Ætolis: ab iis Quinctius petiit, ut legatos ad Panætolicum concilium mitterent. Thoas primus in eo concilio renunciavit legationem. Menippus post eum intromissus, *optimum fuisse omnibus, qui Græciam Asiamque incolerent, ait, integris rebus Philippi potuisse intervenire Antiochum: sua quemque habiturum fuisse, neque omnia sub nutum ditionemque Romanam perventura. Nunc quoque, inquit, si modo vos, quæ inchoastis, consilia constanter perducitis ad exitum, poterit, Diis juvantibus, et Ætolis sociis, Antiochus quamvis inclinatas Græciæ res restituere in pristinam dignitatem. Ea autem in libertate posita est, quæ suis stat viribus, non ex alieno arbitrio pendet.* Athenienses, quibus primis, post regiam legationem, dicendi, quæ vellent, potestas facta est, mentione omni regis prætermissa, Romanæ societatis Ætolos, meritorumque in universam Græciam T. Quinctii, admonuerunt, *ne temere eam celeritate nimia consiliorum everterent. Consilia calida et audacia prima specie læta, tractatu dura, eventu tristia esse: legatos Romanos, et in iis T. Quinctium, haud procul inde abesse. Dum integra omnia essent, verbis potius de iis, quæ ambigerentur, disceptarent, quam Asiam Europamque ad funestum armarent bellum.*

XXXIII. Multitudo avida novandi res, Antiochi tota erat; et ne admittendos quidem in concilium Romanos censebant: principum maxime seniores auctoritate obtinere, ut daretur iis concilium. Hoc decretum Athenienses quum retulissent, eundem in Ætoliam Quinctio visum est. Aut enim moturum aliquid, aut omnes homines testes fore, penes Ætolos belli culpam esse: Romanos justa ac prope necessaria sumtuos arma. Postquam ventum est eo,

U. C. 560.

A. C. 192.

Concilium
Panætoli-
cum.Legati Ro-
mani in
Ætoliam
eunt.

U. C. 560. Quinctius in concilio, orsus a principio societatis

A. C. 192. Ætolorum cum Romanis, et quoties ab iis fides mota fœderis esset, pauca de jure civitatum, de quibus ambigeretur, disseruit. *Si quid tamen æqui se habere arbitrarentur, quanto esse satius Romam mittere legatos, seu disceptare, seu rogare senatum mallent; quam populum Romanum cum Antiocho, lanistis Ætolis, non sine motu magno generis humani, et pernicie Græciæ dimicare? nec ullos prius cladem ejus belli sensuros, quam qui movissent.* Hæc nequidquam velut vaticinatus Romanus. Thoas deinde ceterique factionis ejusdem, cum adsensu omnium auditi, pervicerunt, ut, ne dilato quidem concilio, et absentibus Romanis, decretum fieret, quo arcesseretur Antiochus ad liberandam Græciam, disceptatumque inter Ætolos et Romanos. Huic tam superbo decreto addidit propriam contumeliam Damocritus prætor eorum: nam quum id ipsum decretum posceret eum Quinctius, non veritus majestatem viri, *aliud in præsentia, quod magis instaret, prævertendum sibi esse, dixit: decretum responsumque brevi in Italia, castris super ripam Tiberis positis, daturum.* Tantus furor illo tempore gentem Ætolorum, tantusque magistratus eorum cepit.

Ætoli ar-
cessunt
Antio-
chum.

XXXIV. Quinctius legatique Corinthum redierunt: inde, ut quæque de Antiocho, nihil per se ipsi moti, et sedentes expectare adventum viderentur regis, concilium quidem universæ gentis post dimissos Romanos non habuerunt: per apocletos autem (ita vocant sanctius consilium: ex delectis constat viris) id agitabant, quonam modo res in Græcia novarentur. Inter omnes constabat, in civitatibus principes, optimum quemque, Romanæ societatis

esse, et præsentī statu gaudere: multitudinem, et quorum res non ex sententiā ipsorum essent, omnia novare velle. *Ætoli* consilium uno die spei quoque non audacis modo, sed etiam impudentis, ceperunt, *Demetriadem*, *Chalcidem*, et *Lacedæmonem* occupandi. Singuli in singulas missi sunt principes: *Thoas* *Chalcidem*, *Alexamenus* *Lacedæmonem*, *Diocles* *Demetriadem*. Hunc exsul *Eurylochus*, de cuius fuga causaque fugæ ante dictum est, quia reditus in patriam nulla spes alia erat, adjuvit. Literis *Eurylochi* admoniti propinqui amicique, et qui ejusdem factionis erant, liberos et conjugem ejus cum sordida veste, tenentes velamenta supplicum, concionem frequentem adire jubent, singulos universosque obtestantes, ne insontem, indemnatum consensescere in exsilio sinerent. Et simplices homines misericordia, et improbos seditiososque inmiscendi res tumultu *Ætolico* spes movit: pro se quisque revocare jubebant. His præparatis, *Diocles*, cum omni equitatu (et erat tunc præfectus equitum) specie reducentis exulem hospitem profectus, die ac nocte ingens iter emensus, quum millia sex ab urbe abesset, luce prima tribus electis turmis, cetera multitudine equitum subsequi jussa, præcessit: postquam portæ adpropinquabat, desilire omnes ex equis jussit, et loris ducere equos, itineris maxime modo, solutis ordinibus: ut comitatus magis præfecti videretur, quam præsidium. Ibi una ex turmis ad portam relicta, ne excludi subsequens equitatus posset, media urbe ac per forum, manu *Eurylochum* tenens, multis obcurrentibus gratulantibusque, domum deduxit. Mox equitum plena urbs erat, et loca opportuna occupabantur: tum in domos missi, qui

U. C. 560.

A. C. 192.

Demetriadem occupant.

U. C. 560. principes adversæ factionis interficerent. Ita Deme-
 A. C. 192. trias Ætolorum facta est.

Nabin
 dolo capi-
 unt, et oc-
 cidunt.

XXXV. Lacedæmone non urbi vis adferenda, sed tyrannus dolo capiendus erat: quem, spoliatum maritimis oppidis a Romanis, tunc intra moenia etiam Lacedæmonis ab Achæis compulsus, qui occupasset occidere, eum totius gratiam rei apud Lacedæmonios laturum. Causam mittendi ad eum habuerunt, quod fatigabat precibus, ut auxilia sibi, quum illis auctoribus rebellasset, mitterentur. Mille pedites Alexameno dati sunt, et triginta delecti ex juventute equites. Iis a prætore Damocrito in consilio arcano gentis, de quo ante dictum est, denunciatum, *Ne se ad bellum Achaicum aut rem ullam, quam sua quisque opinione præcipere posset, crederent missos esse: quidquid Alexamenum res monuisset subiti consilii capere, ad id, quamvis inopinatum, temerarium, audax, obedienter exsequendum parati essent, ac pro eo acciperent, tamquam ad id unum agendum missos ab domo se scirent.* Cum his ita præparatis Alexamenus ad tyrannum venit, quem adveniens exemplo spei implevit. *Antiochum jam in Europam transisse, mox in Græcia fore; terras, maria, armis, viris completurum. Non cum Philippo rem esse credituros Romanos: numerum iniri peditum equitumque ac navium non posse; elephantorum aciem conspectu ipso debellataram. Ætolos toto suo exercitu paratos esse venire Lacedæmonem, quum res poscat: sed frequentes armatos ostendere adveniendi regi voluisse. Nabidi quoque et ipsi faciendum esse, ut, quas haberet copias, non sineret sub tectis marcescere otio: sed educeret, et in armis decurrere cogeret, simul animos acueret, et corpora exerceret. Consuetudine leviolem laborem fore:*

et comitate ac benignitate ducis etiam non injucundum fieri posse. Educi inde frequenter ante urbem in campum ad Eurotam amnem cœpere. Satellites tyranni media fere in acie consistebant, tyrannus cum tribus summum equitibus, inter quos plerumque Alexamenus erat, ante signa vectabatur, cornua extrema invisens; in dextro cornu Ætoli erant, et qui ante auxiliares tyranni fuerant, et qui venerant mille cum Alexameno. Fecerat sibi morem Alexamenus, nunc cum tyranno inter paucos ordines circumeundi, mouendique eum, quæ in rem esse videbantur; nunc in dextrum cornu ad suos adequitandi; mox inde, velut imperato, quod res poposcisset, recipiendi se ad tyrannum. Sed, quem diem patrando facinori statuerat, eo paullisper cum tyranno vectatus, quum ad suos concessisset, tum equitibus ab domo secum missis, *Agenda, inquit, res est, juvenes, audendaque, quam me duce inpigre exsequi jussi estis. Parate animos dextrasque, ne quis in eo, quod me viderit facientem, cesset. Qui cunctatus fuerit, et suum consilium meo interponet, sciat sibi reditum ad penates non esse.* Horror cunctos cepit: et meminerant, cum quibus mandatis exissent. Tyrannus ab lævo cornu veniebat. Ponere hastas equites Alexamenus jubet, et se intueri: colligit et ipse animum confusum tantæ cogitatione rei. Postquam adpropinquabat, inpetum facit, et, transfixo equo, tyrannum deturbat. Jacentem equites confodiunt: multis frustra in lorica ictibus datis, tandem in nudum corpus vulnera pervenerunt: et, priusquam a media acie subcurreretur, exspiravit.

XXXVI. Alexamenus cum omnibus Ætolis citato gradu ad regiam occupandam perguit. Corporis cus-

U. C. 560.

A. C. 192.

U. C. 560.
A. C. 192.

todes, quum res in oculis gereretur, pavor primo cepit: deinde, postquam abire Ætolorum agmen videre, concurrunt ad relictum tyranni corpus: et spectatorum turba ex custodibus vitæ mortisque ultoribus est facta. Nec movisset se quisquam, si extemplo, positis armis, vocata in concionem multitudo fuisset, et oratio habita temporari conveniens, frequentes inde retenti in armis Ætoli sine injuria cujusquam: sed, ut oportuit in consilio fraude cœpto, omnia in maturandam perniciem eorum, qui fecerant, sunt acta. Dux regia inclusus diem ac noctem in scrutandis thesauris tyranni consumsit: Ætoli, velut capta urbe, quam liberasse videri volebant, in prædam versi. Simul indignitas rei, simul contemptus, animos Lacedæmonii ad coëundum fecit: alii dicere, exturbandos Ætolos, et libertatem, quum restitui videretur, interceptam repetendam: alii, ut caput agendæ rei esset, regii generis aliquem in speciem adsumendum. Laconicus ejus stirpis erat puer admodum, educatus cum liberis tyranni: eum in equum inponunt, et, armis adreptis, Ætolos vagos per urbem cædunt. Tum regiam invadunt: ibi Alexamenum cum paucis resistentem obruncant. Ætoli circa Chalciæcon (Minervæ est templum æreum) congregati cæduntur. Pauci, armis abjectis, pars Tegeam, pars Megalopolim perfugiunt: ibi, comprehensi a magistratibus, sub corona venierunt.

Lacedæmonii cædunt Ætolos.

Philopœmen Lacedæmonias societati Achæorum adjungit.

XXXVII. Philopœmen, audita cæde tyranni, profectus Lacedæmonem, quum omnia turbata metu invenisset; evocatis principibus, et oratione habita, qualis habenda ab Alexameno fuerat, societati Achæorum Lacedæmonios adjunxit: eo etiam facilius, quod forte ad idem tempus A. Atilius cum qua-

tuor et viginti quinquerebus ad Gythium accessit. U. C. 560.
 Iisdem diebus circa Chalcidem Thoas, per Euthymi- A. C. 192.
 dam principem, pulsum opibus eorum, qui Romanæ Thoas frustra
 societatis erant, post T. Quintii legatorumque ad- tra Chalci-
 ventum, et Herodorum Cianum mercatorem, sed po- dem tentat.
 tentem Chalchide propter divitias, præparatis ad pro-
 ditionem iis, qui Euthymidæ factionis erant, nequa-
 quam eandem fortunam, qua Demetrias per Eu-
 rylochum occupata erat, habuit. Euthymidas ab
 Athenis (eum domicilio delegerat locum) Thebas
 primum, hinc Salganea processit; Herodorus ad
 Thronium. Inde haud procul in Maliaco sinu duo
 millia peditum Thoas et ducentos equites, onerarias
 leves ad triginta habebat: eas cum sexcentis pediti-
 bus Herodorus trajicere in insulam Atalantam jus-
 sus; ut inde, quum pedestres copias adpropinquare
 jam Aulidi atque Euripo sensisset, Chalcidem traji-
 ceret: ipse ceteras copias, nocturnis maxime itine-
 ribus, quanta poterat celeritate, Chalcidem ducebat.

XXXVIII. Mictio et Xenoclidés, penes quos tum
 summa rerum, pulso Euthymida, Chalchide erat, seu
 ipsi per se suspicati, seu indicata re, primo pavidi,
 nihil usquam spei, nisi in fuga, ponebant: deinde,
 postquam resedit terror, et prodi et deseri non pa-
 triam modo, sed etiam Romanorum societatem, cer-
 nebant, consilio tali animum adjecerunt. Sacrum
 anniversarium eo forte tempore Eretriæ Amarynthi-
 dis Dianæ erat: quod non popularium modo, sed
 Carystiorum etiam cœtu celebratur. Eo miserunt,
 qui orarent Eretrienses Carystiosque, *Ut et suarum
 fortunarum in eadem insula geniti misererentur, et Ro-
 manam societatem respicerent: ne sinerent Ætolorum
 Chalcidem fieri. Eubæam habituros, si Chalcidem ha-*

U. C. 560. *buissent. Graves fuisse Macedonas dominos; multo*
 A. C. 192. *minus tolerabiles futuros Ætolos.* Romanorum ma-
 xime respectus civitates movit, et virtutem nuper in
 bello, et in victoria justitiam benignitatemque ex-
 pertas: itaque, quod roboris in juventute erat, utra-
 que civitas armavit misitque. His tuenda mœnia
 Chalcidis oppidani quum tradidissent, ipsi omnibus
 copiis transgressi Euripum, ad Salganea posuerunt
 castra: inde caduceator primum, deinde legati ad
 Ætolos missi percunctatum, quo suo dicto factove
 socii atque amici ad se obpugnandos venirent? Re-
 spondit Thoas dux Ætolorum, *Non ad obpugnandos,*
sed ad liberandos ab Romanis, venire sese. Splendi-
diores nunc eos catena, sed multo graviore, vinctos esse,
quam quum præsidium Macedonum in arce habuissent.
Se vero, negare Chalcidenses, aut servire ulli, aut
præsidio cujusquam egere. Ita digressi ex conloquio
 legati ad suos. Thoas et Ætoli, ut qui spem omnem
 in eo, ut inproviso obrimerent, habuissent, ad jus-
 tum bellum obpugnationemque urbis mari ac terra
 munitæ haudquaquam pares, domum rediere. Eu-
 thymidas, postquam castra popularium ad Salganea
 esse, profectosque Ætolos audivit, et ipse a Thebis
 Athenas rediit. Et Herodorus, quum per aliquot
 dies intentus ab Atalanta signum nequidquam ex-
 spectasset, missa speculatoria nave, ut, quid moræ
 esset, sciret, postquam rem omissam a sociis vidit,
 Thronium, unde venerat, repetit.

XXXIX. Quinctius quoque, his auditis, ab Corin-
 tho veniens navibus, in Chalcidis Euripo Eumeni
 regi obcurrit. Placuit, quingentos milites præsidi-
 i caussa relinquere Chalcide ab Eumene rege: ipsum
 Athenas ire. Quinctius, quo profectus erat, Deme-

triadem contendit; ratus Chalcidem liberatam mo-
 menti aliquid apud Magnetas ad repetendam socie-
 tatem Romanam facturam. Et, ut præsidi aliquid
 esset suæ partis hominibus, Eunomo prætori The-
 salorum scripsit, ut armaret juventutem, et Villium
 ad Demetriadem præmisit ad tentandos animos: non
 aliter, nisi pars aliqua inclinaret ad respectum pris-
 tinæ societatis, rem adgressurus. Villius quinque-
 remi nave ad ostium portus est invectus. Eo mul-
 tudo Magnetum omnis quum se effudisset, quæsivit
 Villius, utrum ad amicos, an ad hostes, sese venisse
 mallent? Respondit Magnetarches Eurylochus, *Ad
 amicos venisse eum: sed abstineret portu, et sineret
 Magnetas in concordia et libertate esse, nec per con-
 loquii speciem multitudinem sollicitaret.* Altercatio
 inde, non sermo, fuit: quum Romanus ut ingratos
 increparet Magnetas, imminentesque prædiceret cla-
 des; multitudo obstreperet, nunc senatum, nunc
 Quinctium accusando: ita irrito incepto Villius ad
 Quinctium sese recepit. At Quinctius, nuncio ad
 prætorem misso, ut reduceret domum copias, ipse
 navibus Corinthum rediit.

XL. Abstulerunt me velut de spatio Græciæ res
 innixtæ Romanis: non quia ipsas operæ pretium
 esset perscribere, sed quia causæ fuerunt cum An-
 tiocho belli. Consulibus designatis, (inde namque
 diverteram) L. Quinctius et Cn. Domitius consules Res Italiæ.
 in provincias profecti sunt: Quinctius in Ligures,
 Domitius adversus Boios. Boii quieverunt: atque
 etiam senatus eorum cum liberis, et præfecti cum
 equitatu (summa omnium mille et quingenti) con-
 suli dederunt sese. Ab altero consule ager Ligu-
 rum late est vastatus, castellaque aliquot capta:

U. C. 560. unde non præda modo omnis generis cum captivis
 A. C. 192. parta, sed recepti quoque aliquot cives sociique, qui
 in hostium potestate fuerant. Eodem hoc anno Vi-
 bonem colonia deducta est ex senatusconsulto ple-
 beique scito: tria millia et septingenti pedites ierunt,
 trecenti equites. Triumviri deduxerunt eos, Q. Næ-
 vius, M. Minucius, M. Furius Crassipes: quina dena
 jugera agri data in singulos pedites sunt, duplex
 equitibus. Bruttiorum proxime fuerat ager: Bruttii
 ceperant de Græcis. Romæ per idem tempus duo
 maximi fuerunt terrores; diutinus alter, sed segnior.
 Terra dies duodequadraginta movit: per totidem dies
 feræ in sollicitudine ac metu fuere: in triduum ejus
 rei causa supplicatio habita est. Ille non pavor
 vanus, sed vera multorum clades fuit: incendio a
 foro Boario orto, diem noctemque ædificia in Tibe-
 rim versa arsere, tabernæque omnes cum magni
 pretii mercibus conflagraverunt.

Adparatus
 belli ad-
 versus An-
 tiochum.

XLI. Jam fere in exitu annus erat: et in dies
 magis fama de Antiochi bello, et cura Patribus
 crescebat. Itaque de provinciis magistratum de-
 signatorum, quo intentiores essent omnes, agitari
 cœptum est. Decrevit, ut consulibus Italia, et
 quo senatus censuisset, (jam esse bellum adversus
 Antiochum regem omnes sciebant) provinciæ essent:
 cujus ea sors esset, quatuor millia peditum civium
 Romanorum, et trecenti equites, sex millia socium
 Latini nominis cum quadringentis equitibus sunt de-
 creta. Eorum delectum habere L. Quinctius consul
 jussus; ne quid moraretur, quo minus consul
 novus, quo senatus censuisset, extemplo proficisci
 posset. Item de provinciis prætorum decretum est:
 prima ut sors duæ, urbanaque et inter cives ac pere-

grinos jurisdictiono esset: secunda, Bruttii: tertia, U. C. 560.
 classis, ut navigaret, quo senatus censuisset: quarta, A. C. 192.
 Sicilia: quinta, Sardinia: sexta, Hispania ulterior.
 Imperatum præterea L. Quinctio consuli est, ut
 duas legiones civium Romanorum novas conscriberet;
 et sociùm ac Latini nominis viginti millia pedum,
 et octingentos equites: eum exercitum prætori, cui
 Bruttii provincia evenisset, decreverunt. Ædes
 duæ Jovi eo anno in Capitolio dedicatæ sunt. Vo-
 verat L. Furius Purpureo prætor Gallico bello unam,
 alteram consul: dedicavit Q. Marcius Ralla duum-
 vir. Judicia in fœneratores eo anno multa severe
 sunt facta, accusantibus privatos ædilibus curulibus,
 M. Tuccio et P. Junio Bruto: de multa damnato-
 rum quadrigæ inauratæ in Capitolio positæ in cella
 Jovis supra fastigium ædiculæ, et duodecim clipea
 inaurata: et iidem porticum extra portam Trigemi-
 nam inter lignarios fecerunt.

XLII. Intentis in adparatum novi belli Romanis,
 ne ab Antiocho quidem cessabatur. Tres eum civi-
 tates tenebant, Smyrna, et Alexandria Troas, et
 Lampsacus; quas neque vi expugnare ad eam diem
 poterat, neque conditionibus in amicitiam perlicere,
 neque a tergo relinquere, trajiciens ipse in Europam,
 volebat. Tenuit eum et de Hannibale deliberatio.

Et primo naves apertæ, quas cum eo missurus in Antiochi de
 Hannibale
 deliberatio.
 Africani fuerat, moratæ sunt: deinde, an omnino
 mittendus esset, consultatio mota est, maxime a
 Thoante Ætolo, qui, omnibus in Græcia tumultu
 completis, Demetriadem adferebat in potestate esse:
 et, quibus mendaciis de rege, multiplicando verbis
 copias ejus, erexerat multorum in Græcia animos,
 iisdem et regis spem inflabat; *omnium votis eum ar-*

U. C. 560. *cessi: concursum ad litora futurum, unde classem re-*
 A. C. 192. *giam prospexissent. Hic idem ausus de Hannibale*
est movere sententiam prope jam certam regis: nam
neque dimittendam partem navium a classe regia cen-
sebat: neque, si mittendæ naves forent, minus quem-
pium ci classi, quam Hannibalem, præficiendum. Ex-
sulem illum et Pænum esse, cui mille in dies nova con-
silia vel fortuna sua, vel ingenium possit facere. Et
ipsam eam gloriam belli, qua velut dote Hannibal con-
cilietur, nimiam in præfecto regio esse. Regem con-
spici, regem unum ducem, unum imperatorem videri
debere. Si classem, si exercitum amittat Hannibal,
idem damni fore, ac si per alium ducem amittantur:
si quid prospere eveniat, Hannibalis eam, non Antiochi,
gloriam fore. Si vero universo bello vincendi Roma-
nos fortuna detur, quam spem esse, sub rege victurum
Hannibalem uni subjectum, qui patriam prope non tu-
lerit? Non ita se a juvena eum gessisse, spe animoque
complexum orbis terrarum imperium, ut in senectute
dominum laturus videatur. Nihil opus esse regi Han-
nibale duce: comite et consiliario eodem ad bellum uti
posse. Modicum fructum ex ingenio tali neque gravem,
neque inutilem fore: si summa petantur, et dantem, et
accipientem prægravatura.

Consilium XLIII. Nulla ingenia tam prona ad invidiam
 mittendi sunt, quam eorum, qui genus ac fortunam suam
 Hannibalis in Italia animis non æquant: quia virtutem et bonum alie-
 niam abjicit. num oderunt. Extemplo consilium mittendi Han-
 nibalis, quod unum in principio belli utiliter cogita-
 tum erat, abjectum est. Demetriadis maxime de-
 fectione ab Romanis ad Ætolos elatus, non ultra

Antiochus differre profectionem in Græciam constituit. Prius-
 in Euro- quam solveret naves, Ilium a mari adscendit, ut
 pam tra- jicit.

Minervæ sacrificaret. Inde ad classem regressus, U. C. 560.
 proficiscitur quadraginta tectis navibus, apertis sex- A. C. 192.
 aginta : et ducentæ onerariæ cum omnis generis com-
 meatu bellicoque alio adparatu sequebantur. Imbrum
 primo insulam tenuit : inde Scyathum, trajecit : ubi,
 conlectis in alto, quæ dissipatæ erant, navibus, ad
 Pteleum primum continentis venit. Ibi Eurylochus
 ei Magnetarches principesque Magnetum ab Deme-
 triade obcurrerunt : quorum frequentia lætus, die
 postero in urbis portum navibus est investus. Co-
 pias haud procul inde exposuit : decem millia pedi-
 tum fuere, et quingenti equites, sex elephanti ; vix
 ad Græciam nudam occupandam satis copiarum, ne-
 dum ad sustinendum Romanum bellum. Ætoli, post-
 quam Demetriadem venisse Antiochum adlatum est,
 concilio indicto, decretum, quo arcesserent eum, fe-
 cerunt. Jam profectus ab Demetriade rex, quia ita
 decreturos sciebat, Phalara in sinum Maliacum pro-
 cesserat : inde, decreto accepto, Lamiam venit, ex-
 ceptus ingenti favore multitudinis, cum plausibus
 clamoribusque, et quibus aliis lætitia effusa vulgi sig-
 nificatur.

XLIV. In concilium ut ventum est, ægre a Phæ-
 nea prætore principibusque introductus, inde facto
 silentio, rex dicere orsus. Prima ejus oratio fuit ex-
 cusantis, *Quod tanto minoribus spe atque opinione* Antiochi
omnium copiis venisset. Id suæ impensæ erga eos vo- oratio in
luntatis maximum debere indicium esse, quod nec para- concilio
tus satis ulla re, et tempore ad navigandum inmaturo, Ætolorum.
vocantibus legatis eorum, haud gravate obsecutus esset,
credidissetque, quum se vidissent Ætoli, omnia vel in
se uno posita præsidia existimatuos esse. Ceterum eo-
rum quoque se, quorum expectatio destituta in præ-

U. C. 560. *sentia videatur, spem abunde expleturum. Nam simul*
 A. C. 192. *primum anni tempus navigabile præbuisset mare, omnem se Græciam armis, viris, equis, omnem oram maritimam classibus completurum. Nec inpensæ, nec labori, nec periculo parsurum, donec, depulso cervicibus eorum imperio Romano, liberam vere Græciam, atque in ea principes Ætolos fecisset: cum exercitibus commentatus quoque omnis generis ex Asia venturos. In præsentia curæ esse Ætolis debere, ut copia frumenti suis, et annona tolerabilis rerum aliarum subpeditetur.*

XLV. In hanc sententiam rex cum magno omnium adsensu locutus discessit. Post discessum regis, inter duos principes Ætolorum, Phæneam et Thoan-tem, contentio fuit. Phæneas, reconciliatore pacis et disceptatore de iis, quæ in controversia cum populo Romano essent, utendum potius Antiocho, censebat, quam duce belli. *Adventum ejus et majestatem ad verecundiam faciendam Romanis vim majorem habiturum, quam arma. Multa homines, ne bellare necesse sit, voluntate remittere, quæ bello et armis cogi non possint. Thoas negare, paci studere Phæneam: sed discutere adparatum belli velle, ut tadio et inpetus relanguescat regis, et Romani tempus ad comparandum habeant. Nihil enim æqui ab Romanis inpetrari posse, toties legationibus missis Romam, toties cum ipso Quinctio disceptando, satis expertum esse: nec, nisi abscissa omni spe, auxilium Antiochi inploraturos fuisse. Quocelerius spe omnium oblato, non esse elanguendum, sed orandum potius regem, ut, quoniam, quod maximum fuerit, ipse vindex Græciæ venerit, copias quoque terrestres navalesque arcessat. Armatum regem aliquid inpetraturum: inermem non pro Ætolis modo, sed ne pro se quidem ipso, momenti ullius futurum apud Ro-*

manos. Hæc vicit sententia : imperatoremque regem adpellandum censuerunt : et triginta principes, cum quibus, si qua vellet, consultaret, delegerunt.

U. C. 560.
A. C. 192.
Imperatorem cum Ætoli adpellant.

XLVI. Ita, dimisso concilio, multitudo omnis in suas civitates dilapsa est. Rex postero die cum apocletis eorum, unde bellum ordiretur, consultabat. Optimum visum est, Chalcidem, frustra nuper ab Ætolis tentatam, primum adgredi : et celeritate in eam rem magis, quam magno conatu et adparatu, opus esse. Itaque cum mille peditibus rex, qui ab Demetriade secuti erant, profectus per Phocidem est : et alio itinere principes Ætoli, juniorum paucis evocatis, ad Chæroneam obcurrerunt, et decem constratis navibus secuti sunt. Rex, ad Salganea castris positus, navibus ipse cum principibus Ætolorum Euripum trajecit, et, quum haud procul portu egressus esset, magistratus quoque Chalcidensium et principes ante portam processerunt. Pauci utrimque ad conloquium congressi sunt. Ætoli magnopere suadere, ut, salva Romanorum amicitia, regem quoque adsumerent socium atque amicum. Neque enim eum inferendi belli, sed liberandæ Græciæ, causa in Europam trajecisse ; et liberandæ re, non verbis et simulatione, quod fecissent Romani. Nihil autem utilius Græciæ civitatibus esse, quam utramque complecti amicitiam : ita enim ab utriusque injuria tutam alterius semper præsidio et fiducia fore. Nam si non recepissent regem, viderent, quid patiendum iis extemplo foret : quum Romanorum procul auxilium, hostis Antiochus, cui resistere viribus suis non possent, ante portas esset. Ad hæc Mictio, unus ex principibus, Mirari se, dixit, ad quos liberandos Antiochus, relicto regno suo, in Europam trajecisset. Nullam enim civitatem se in Græ-

Chalcidem frustra tentat.

U. C. 560. *cia nosse, quæ aut præsidium habeat, aut stipendium*
 A. C. 192. *Romanis pendat, aut fœdere iniquo adligata, quas no-*
lit, leges patiatur. Itaque Chalcidenses neque vindice
libertatis ullo egere, quum liberi sint, neque præsidio,
quum pacem ejusdem populi Romani beneficio et liber-
tatem habeant. Amicitiam regis non adspernari, neque
ipsorum Ætolorum : id primum eos pro amicis facturos,
si insula excedant, atque abeant : nam ipsis certum esse,
non modo non recipere mænibus, sed ne societatem qui-
dem ullam pacisci, nisi ex auctoritate Romanorum.

XLVII. Hæc renunciata regi ad naves, ubi resti-
 terat, quum essent ; in præsentia (neque enim iis
 venerat copiis, ut vi agere quidquam posset) reverti
 Demetriadem placuit : ibi, quoniam primum vanum
 inceptum evasisset, consultare cum Ætolis rex, quid
 deinde fieret. Placuit, Achæos et Amyndrum, re-
 gem Athamanum, tentare. Bœotorum gentem aver-
 sam ab Romanis jam inde a Brachyllæ morte, et
 quæ secuta eam fuerant, censebant. Achæorum Phi-
 lopœmenem principem, æmulatione gloriæ in bello
 Laconum, infestum invisumque esse Quinctio crede-
 bant. Amynder uxorem Apamiam, filiam Alex-
 andri cujusdam Megalopolitani, habebat : qui, se
 oriundum a Magno Alexandro ferens, filiis duobus
 Philippum atque Alexandrum, et filiae Apamiam no-
 mina inposuerat : quam, regiis inclitam nuptiis, ma-
 jor ex fratribus Philippus secutus in Athamaniam
 fuerat. Hunc, forte ingenio vanum, Ætoli et Antio-
 chus iupulerant in spem, quod is vere regum stirpis
 esset, regni Macedoniæ, si Amyndrum Athama-
 nesque Antiocho conjunxisset : et ea vanitas pro-
 missorum non apud Philippum modo, sed etiam apud
 Amyndrum, valuit.

XLVIII. In Achaia legatis Antiochi Ætolorum-
 que, coram T. Quinctio, Ægii datum est concilium. Antiochi legatus prior, quam Ætoli, est auditus. Is, ut plerique, quos opes regiae alunt, vaniloquus, maria terrasque inani sonitu verborum complevit. *Equitum innumerabilem vim trajici Hellesponto in Europam, partim loricanos, quos cataphractos vocant; partim sagittis ex equo utentes, et, a quo nihil satis tecti sit, aversos refugiente equo certius figentes.* His equestribus copiis quamquam vel totius Europæ exercitus in unum coacti obrui possent, adjiciebat multiplices copias peditum, et nominibus quoque gentium vix fando auditis terrebat; Dahas, Medos, Elymæosque et Cadusios adpellans. *Navalium vero copiarum, quas nulli portus capere in Græcia possent, dextrum cornu Sidonios et Tyrios, sinistrum Aradios, et ex Pamphylia Sidelas tenere; quas gentes nullæ umquam nec arte, nec virtute navali æquassent. Jam pecuniam, jam alios belli adparatus referre, supervacaneum esse: scire ipsos, abundasse semper auro regna Asiæ. Itaque non cum Philippo, nec Hannibale rem futuram Romanis, principe altero civitatis, altero Macedonia tantum regni finibus incluso; sed cum magno Asiæ totius partisque Europæ rege. Eum tamen, quamquam ab ultimis orientis terminis ad liberandam Græciam veniat, nihil postulare ab Achæis, in quo fides eorum adversus Romanos, priores socios atque amicos, lædatur. Non enim, ut secum adversus eos, arma capiant, sed ut neutri parti sese conjungant, petere. Pacem utrique parti, quod medios deceat amicos, optent: bello se non interponant.* Idem ferme et Ætolorum legatus Archidamus petiit, ut, quæ facillima et tutissima esset, quietem præstarent, spectatoresque belli, fortunarum

U. C. 560.

A. C. 192.

Legati Antiochi et

Ætolorum

ad Achæos.

U. C. 560. alienarum eventum sine ullo discrimine rerum suarum
 A. C. 192. obperirentur. Profectus deinde est intemperantia
 linguæ in maledicta, nunc communiter Romanorum,
 nunc proprie ipsius Quinctii : *ingratos* adpellans, et
 exprobrans *non victoriam modo de Philippo virtute
 Ætolorum partam, sed etiam salutem ; ipsumque et
 exercitum sua opera servatos : quo enim illum umquam
 imperatoris functum officio esse ? Auspiciantem, immo-
 lantemque, et vota nuncupantem sacrificuli vatis modo
 in acie vidisse, quum ipse corpus suum pro eo telis hos-
 tium obji ceret.*

Eorum
 dicta con-
 futat
 Quinc-
 tius.

XLIX. Ad ea Quinctius, *Coram quibus magis,
 quam apud quos, verba faceret, dicere, Archidamum
 rationem habuisse. Achæos enim probe scire, Ætolo-
 rum omnem ferociam in verbis, non in factis, esse ; et
 in conciliis magis concionibusque, quam in acie, adpar-
 rere : itaque parvi Achæorum existimationem, quibus
 notos esse se scirent, fecisse ; legatis regis, et per eos
 absentis regi eum se jactasse. Quod si quis antea igno-
 rasset, quæ res Antiochum et Ætolos conjunxisset, ex
 legatorum sermone potuisse adparere : mentiendo in vi-
 cem jactandoque vires, quas non haberent, inflasse vana
 spe, atque inflatos esse : dum ii ab se Philippum victum,
 sua virtute protectos Romanos, et quæ modo audiebatis,
 narrant ; vos ceterasque civitates et gentes suam sectam
 esse secuturos : rex contra peditum equitumque nubes
 jactat, et consternit maria suis classibus. Est autem
 res simillima cænæ Chalcidensis hospitis mei, hominis
 et boni, et sciti convivatoris : apud quem solstitiali tem-
 pore comiter accepti quum miraremur, unde illi eo tem-
 pore anni tam multa et varia venatio ; homo non, quam
 isti sunt, gloriosus, renidens, condimentis, ait, varieta-
 tem illam et speciem ferinæ carnis ex mansueto sue*

factam. Hoc dici apte in copias regis, quæ paullo ante jactatæ sint, posse. Varia enim genera armorum, et multa nomina gentium inauditarum, Dahas, et Medos, et Caddusios, et Elymaeos, Syros omnes esse: haud paullo mancipiorum melius, propter servilia ingenia, quam militum genus. Et utinam subjicere oculis vestris, Achæi, possem concursationem regis magni ab Demetriade, nunc Lamiam in concilium Ætolorum, nunc Chalcidem! Videretis vix duarum male plenarum legiuncularum instar in castris regis: videretis regem, nunc mendicantem prope frumentum ab Ætolis, quod militi admetiatur; nunc mutuas pecunias fienore in stipendium quærentem; nunc ad portas Chalcidis stantem; et mox inde exclusam, nihil aliud quam Aulide atque Euripo spectatis, in Ætoliam redeuntem. Male crediderunt et Antiochus Ætolis, et Ætoli regis vanitati. Quo minus vos decipi debetis, sed expertæ potius spectatæque Romanorum fidei credere. Nam quod optimum esse dicant, non interponi vos bello; nihil immo tam alienum rebus vestris est. Quippe sine gratia, sine dignitate, præmium victoris eritis.

L. Nec absurde adversus utrosque respondisse visus est, et facile erat orationem apud faventes æquis auribus accipi: nulla enim nec disceptatio, nec dubitatio fuit, quin omnes, eosdem genti Achæorum hostes et amicos, quos populus Romanus censuisset, judicarent, bellumque et Antiocho, et Ætolis nunciari juberent. Auxilia etiam, quo censuit Quinctius, quingentorum militum Chalcidem, quingentorum Piræeum extemplo miserunt. Erat enim haud procul seditione Athenis res, trahentibus ad Antiochum quibusdam spe largitionum venalem pretio multitudinem; donec ab iis, qui Romanæ partis erant,

Achæi bellum Antiocho et Ætolis nunciari jubent.

U. C. 560. Quinctius est aditus, et, accusante Leonte quodam,
 A. C. 192. Apollodorus auctor defectionis damnatus, atque in
 exsilium est ejectus. Et ab Achæis quidem cum
 tristi responso legatio ad regem rediit. Bæoti nihil
 certi responderunt : *quum Antiochus in Bæotiam ve-*
nisset, tum, quid sibi faciendum esset, se deliberaturos
esse. Antiochus, quum ad Chalcidis præsidium, et
 Achæos et Eumenum regem misisse audisset, matu-
 randum ratus, ut et prævenirent sui, et venientes, si
 possent, exciperent, Menippum cum tribus ferme
 millibus militum, et cum omni classe Polyxenidam
 mittit : ipse paucos post dies sex millia suorum mi-
 litum, et ex ea copia, quæ Lamiae repente conligi
 potuit, non ita multos Ætolos ducit. Achæi quin-
 genti, et ab Eumene rege modicum auxilium missum,
 duce Xenoclide Chalcidensi, nondum obsessis itine-
 ribus, tuto transgressi Euripum, Chalcidem pervene-
 runt. Romani milites, quingenti ferme et ipsi, quum
 jam Menippus castra ante Salganea ad Hermæum,
 qua transitus ex Bæotia in Eubœam insulam est,
 haberet, venerunt. Mictio erat cum iis, legatus a
 Chalcide ad Quinctium, ad id ipsum præsidium pe-
 tendum, missus : qui, postquam obsessas ab hostibus
 fauces vidit, omisso ad Aulidem itinere, Delium con-
 vertit, ut inde in Eubœam transmissurus.

Ad De-
 lium cæsi
 milites
 Romani.

LI. Templum est Apollinis Delium, imminens ma-
 ri ; quinque millia passuum a Tanagra abest : minus
 quatuor millium inde in proxima Eubœæ est mari
 trajectus. Ubi et in fano lucoque, ea religione et eo
 jure sancto, quo sunt templa, quæ asyla Græci ad-
 pellant, et nondum aut indicto bello, aut ita com-
 misso, ut strictos gladios, aut sanguinem usquam
 factum audissent, quum per magnum otium milites,

alii ad spectaculum templi lucique versi, alii in litore inermes vagarentur, magna pars per agros lignatum pabulatumque dilapsa esset; repente Menippus, palatos passim adgressus, eos cecidit, ad quinquaginta vivos cepit: perpauci effugerunt, in quibus Mictio parva oneraria nave exceptus. Ea res Quinctio Romanisque, sicut jactura militum molesta, ita ad jus inferendi Antiocho belli adjecisse aliquantum videbatur. Antiochus, admoto ad Aulidem exercitu, quum rursus oratores, partim ex suis, partim Ætolos, Chalcidem misisset, qui eadem illa, quæ nuper, cum minis gravioribus agerent, nequidquam contra Mictione et Xenoclide tendentibus, facile tenuit, ut portæ sibi aperirentur. Qui Romanæ partis erant, sub adventum regis urbe excesserunt. Achæorum et Eumenis milites Salganea tenebant. Et in Euripo castellum Romani milites pauci custodiæ causa loci communiebant. Salganea Menippus, rex ipse castellum Euripi obpugnare est adortus. Priores Achæi et Eumenis milites pacti, ut sine fraude liceret abire, præsidio excesserunt: pertinacius Romani Euripum tuebantur. Hi quoque tamen, quum terra marique obsiderentur, et jam machinas tormentaque comportari viderent, non tulere obsidionem. Quum id, quod caput erat Eubææ, teneret rex, ne ceteræ quidem ejus insulæ urbes imperium abnuerunt: magnoque principio sibi orsus bellum videbatur, quod tanta insula et tot opportunæ urbes in suam ditionem venissent.

U. C. 560.

A. C. 192.

Chalcidem

Antiochus

occupat.

EPITOME LIBRI XXXVI.

*M*AN. ACILIUS GLABRIO consul Antiochum, apud Thermopylas, Philippo rege adjuvante, victum, Græcia expulit, idemque Ætolos subegit. P. Cornelius Scipio Nasica consul ædem matris Deûm, quam ipse in Palatium intulerat, vir optimus a senatu iudicatus, dedicavit; idemque Boios Gallos victos in dedicationem accepit, et de iis triumphavit. Præterea navalia certamina prospera adversus præfectos Antiochi regis referuntur.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XXXVI.

P. CORNELIUM Cn. filium Scipionem et M'. U. C. 561.
Acilium Glabrionem consules, inito magistratu, A. C. 191.

Patres, priusquam de provinciis agerent, res divinas facere majoribus hostiis jusserunt in omnibus fanis, in quibus lectisternium majorem partem anni fieri solet; precarique, quod senatus de novo bello in animo haberet, ut ea res senatui populoque Romano bene ac feliciter eveniret. Ea omnia sacrificia læta fuerunt, primisque hostiis perlitatum est: et ita aruspices responderunt, eo bello terminos populi Romani propagari, victoriam ac triumphum ostendi. Hæc quum renunciata essent, solutis religione animis, Patres rogationem ad populum ferri jusserunt:

Vellent juberentae, cum Antiocho rege, quique sectam ejus secuti essent, bellum iniri? si ea rogatio perlata esset, tum, si ita videretur consulibus, rem integram ad senatum referrent. P. Cornelius eam rogationem pertulit: tum senatus decrevit, ut consules Italiam et Græciam provincias sortirentur; cui Græcia evenisset, ut præter eum numerum militum, quem L. Quinctius in eam provinciam ex auctoritate senatus scripsisset imperassetve, ut eum exercitum acciperet, quem M. Bæbius prætor anno prioris ex se-

Bellum a
P. R. in
Antiochum
decernitur.

U. C. 561. natusconsulto in Macedoniam trajecisset. Et extra
 A. C. 191. Italiam permissum, ut, si res postulasset, auxilia ab
 sociis, ne supra quinque millium numerum, acciperet. L. Quinctium superioris anni consulem legari ad id bellum placuit. Alter consul, cui Italia provincia evenisset, cum Boiis jussus bellum gerere, utro exercitu mallet ex duobus, quos superiores consules habuissent; alterum ut mitteret Romam, æque urbanæ legiones essent paratæ, quo senatus censuisset.

II. His ita in senatu ad id, quæ cujus provincia foret, decretis, tum demum sortiri consules placuit. Acilio Græcia, Cornelio Italia evenit. Certa deinde sorte senatusconsultum factum est: *quod populus Romanus eo tempore duellum jussisset esse cum rege Antiocho, quique sub imperio ejus essent, ut ejus rei causa supplicationem imperarent consules: utique M. Acilius consul ludos magnos Jovi voveret, et dona ad omnia pulvinaria.* Id votum in hæc verba, præeunte P. Licinio pontifice maximo, consul nuncupavit: *Si duellum, quod cum Antiocho rege sumi populus jussit, id ex sententia senatus populi que Romani confectum erit; tum tibi, Jupiter, populus Romanus ludos magnos dies decem continuos faciet; donaque ad omnia pulvinaria dabuntur de pecunia, quantam senatus decreverit. Quisquis magistratus eos ludos quando ubique faxit, hi ludi recte facti, donaque data recte sunt.* Supplicatio inde ab duobus consulibus edicta per biduum fuit. Consulibus sortitis provincias, extemplo et prætores sortiti sunt. M. Junio Bruto jurisdictio utraque evenit, A. Cornelio Mammulæ Bruttii, M. Æmilio Lepido Sicilia, L. Oppio Salinatori Sardinia, C. Livio Salinatori classis, L. Æmilio Paulio Hispa-

nia ulterior. His ita exercitus decreti, A. Cornelio U. C. 561.
 novi milites, conscripti priore anno ex senatuscon- A. C. 191.
 sulto a L. Quinctio consule, dati sunt; jussusque
 tueri omnem oram circa Tarentum Brundisiumque.
 L. Æmilio Paulo in ulteriorem Hispaniam præter eum
 exercitum, quem a M. Fulvio proprætoe accepturus
 esset, decretum est, ut novorum militum tria millia
 duceret, et trecentos equites; ita ut in iis duæ partes
 sociûm Latini nominis, tertia civium Romanorum
 esset. Idem supplementi ad C. Flaminium, cui im-
 perium prorogabatur, in Hispaniam citeriorem est
 missum. M. Æmilius Lepidus a L. Valerio, cui
 successurus esset, simul provinciam exercitumque
 accipere jussus: L. Valerium, si ita videretur, pro-
 prætoe in provincia retinere, et provinciam ita di-
 videre, ut una ab Agrigento ad Pachynum esset, al-
 tera a Pachyno Tyndarium. Eam maritimam oram
 L. Valerius viginti navibus longis custodiret. Eidem
 prætori mandatum, ut duas decumas frumenti exi-
 geret: id ad mare comportandum devehendumque in
 Græciam curaret. Idem L. Oppio de alteris decu-
 mis exigendis in Sardinia imperatum. Ceterum non
 in Græciam, sed Romam, id frumentum portari pla-
 cere. C. Livius prætor, cui classis evenerat, cum
 triginta navibus paratis trajicere in Græciam primo
 quoque tempore jussus, et ab Atilio naves accipere:
 veteres naves, quæ in navalibus erant, ut reficeret et
 armaret, M. Junio prætori negotium datum est, et
 in eam classem socios navales libertinos legeret.

III. Legati terni in Africam ad Karthaginenses
 et in Numidiam ad frumentum rogandum, quod in
 Græciam portaretur, missi; pro quo pretium solveret
 populus Romanus. Adeoque in adparatum curam-

U. C. 561. que ejus belli civitas intenta fuit, ut P. Cornelius
 A. C. 191. consul ediceret, *Qui senatores essent, quibusque in senatu sententiam dicere liceret, quique minores magistratus essent, ne quis eorum longius ab urbe Roma abiret, quam unde eo die redire posset; neve uno tempore quinque senatores ab urbe Roma abessent.* In comparando impigre classem C. Livium prætorem contentio, orta cum colonis maritimis, paullisper tenuit. Nam, quum cogerentur in classem, tribunos plebei adpellarunt: ab iis ad senatum rejecti sunt. Senatus ita, ut ad unum omnes consentirent, decrevit, vacationem rei navalis his colonis non esse. Ostia, et Fregenæ, et Castrum novum, et Pyrgi, et Antium, et Tarracina, et Minturnæ, et Sinuessa fuerunt, quæ cum prætore de vacatione certaverunt. Consul deinde M. Acilius ex senatusconsulto ad collegium fecialium retulit: *Ipsine utique regi Antiocho indiceretur bellum, an ad præsidium nunciaretur? et num Ætolis quoque separatim indici juberent bellum? et num prius societas eis et amicitia renuncianda esset, quam bellum indicendum?* Feciales responderunt: *Jam ante sese, quum de Philippo consulerentur, decresse, nihil referre, ipsi coram, an ad præsidium, nunciaretur. Amicitiam renunciatam videri, quum legatis, toties repcentibus res, nec reddi, nec satisfieri æquum censuissent. Ætolos ultro sibi bellum indixisse, quum Demetriadem, sociorum urbem, per vim occupassent; Chalcidem terra marique obpugnatum issent; regem Antiochum in Europam ad bellum populo Romano inferendum traduxissent.* Omnibus jam satis comparatis, M. Acilius consul edixit: *Ut, quos L. Quinctius milites conscripsisset, et quos socii nominique Latino imperasset, quos secum in provinciam*

ire oporteret, et tribuni militum legionis primæ et tertię, uti omnes Brundisium Idibus Maiis convenirent: U. C. 561.
A. C. 191.

ipse ante diem quintum Nonas Maias paludatus urbe egressus est. Per eosdem dies et prætores in provincias profecti sunt.

IV. Sub idem tempus legati ab duobus regibus, Legati a Philippo et Ptolemæo. Philippo Macedoniae et Ptolemæo Ægypti, Romam venerunt, pollicentes ad bellum auxilia, et pecuniam, et frumentum: ab Ptolemæo etiam mille pondo auri, viginti millia pondo argenti adlata. Nihil ejus acceptum. Gratia regibus acta et, quum uterque se cum omnibus copiis in Ætoliam venturum, belloque interfuturum polliceretur, Ptolemæo id remissum: Philippi legatis responsum, gratum cum senatui populoque Romano facturum, si M. Acilio consuli non defuisset. Item ab Karthaginiensibus et Masinissa rege legati venerunt: Karthaginienses tritici modium mille, hordei quingenta millia ad exercitum, dimidium ejus Romam adportaturos polliciti sunt; id ut ab se munus Romani acciperent, petere se: et classem suorum suo sumtu comparaturos; et stipendium, quod pluribus pensionibus in multos annos deberent, præsens omne daturus. Masinissæ legati quingenta millia modium tritici, trecenta hordei ad exercitum in Græciam; Romam trecenta millia modium tritici, ducenta quinquaginta hordei; equites quingentos, elephantos viginti regem ad M. Acilium consulem missurum. De frumento utrisque responsum, ita usurum eo populum Romanum, si pretium acciperent. De classe Karthaginiensibus remissum; præterquam si quid navium ex fœdere deberent: de pecunia item responsum, nullam ante diem accepturos.

U. C. 561.
A. C. 191.
Antiochus
civitates
Græciæ
sollicitat.

V. Quum hæc Romæ agebantur, Chalcide Antiochus, ne cessaret per hibernorum tempus, partim ipse sollicitabat civitatum animos mittendis legatis, partim ultro ad eum veniebant: sicut Epirotæ communi gentis consensu, et Elei e Peloponneso venerunt. Elei auxilium adversus Achæos petebant, quos, post bellum non ex sua sententia indictum Antiocho, primum civitati suæ arma inlaturus credebant. Mille iis pedites cum duce Cretensi Euphane sunt missi. Epirotarum legatio erat minime in partem ullam Eberii aut simplicis animi. Apud regem gratiam initam volebant cum eo, ut caverent, ne quid obfenderent Romanos: petebant enim, *ne se tenere in causam deduceret, expositos adversus Italianam pro omni Græcia, et primos in petus Romanorum excepturos. Sed, si ipse posset terrestribus navalibusque copiis præsidere Epiro, cupide eum omnes Epirotas et urbibus et portibus suis accepturos: si id non posset, deprecari, ne se nudos atque inermes Romano bello objiceret.* Hac legatione id agi adparebat, ut, sive (quod magis credebant) abstinuisset Epiro, integra sibi omnia apud exercitus Romanos essent, conciliata satis apud regem gratia, quod accepturi fuissent venientem; sive venisset, sic quoque spes veniæ ab Romanis foret, quod, non exspectato longinquo auxilio ab se, præsentis viribus subcubuissent. Huic tam perplexæ legationi, quia non satis in promptu erat, quid responderet, legatos se missurum ad eos dixit, qui de iis, quæ ad illos seque communiter pertinerent, loquerentur.

VI. In Bæotiam ipse profectus est, causas in speciem iræ adversus Romanos eas, quas ante dixi, habentem; Brachyllæ necem, et bellum a Quinctio

Coroneæ, propter Romanorum militum cædes, inlatum; re vera per multa jam secula publice privatimque labante egregia quondam disciplina gentis, et multorum eo statu, qui diuturnus esse sine mutatione rerum non posset. Obviam effusis undique Bœotiae principibus, Thebas venit: ibi in concilio gentis, quamquam et ad Delium, inpetu in præsidium Romanum facto, et ad Chalcidem commiserat nec a parvis nec dubiis principiis bellum, tamen eandem orationem exorsus, qua in colloquio primo ad Chalcidem, quaque per legatos in concilio Achæorum usus erat, ut amicitiam secum institui, non bellum indici Romanis postularet; neminem, quid ageretur, fallebat: decretum tamen sub levi verborum prætextu pro rege adversus Romanos factum est. Hac quoque gente adjuncta, Chalcidem regressus, præmissis inde literis, ut Demetriadem convenirent principes Ætolorum, cum quibus de summa rerum deliberaret, navibus eo ad diem indictam concilio venit. Et Amynder aditus ad consultandum ex Athamania; et Hannibal Pœnus, jam diu non adhibitus, interfuit ei concilio. Consultatum de Thessalorum gente est, quorum omnibus, qui aderant, voluntas tentanda videbatur: in eo modo diversæ sententiæ erant; quod alii extemplo agendum; alii ex hieme, quæ tum ferme media erat, differendum in veris principium; et alii legatos tantummodo mittendos; alii cum omnibus copiis eundem censebant, terreatosque metu, si cunctarentur.

U. C. 561.

A. C. 191.

Deliberat
cum sociis
de summa
rerum.

VII. Quum circa hanc fere consultationem disceptatio omnis verteretur, Hannibal, nominatim interrogatus sententiam, in universi belli cogitationem regem atque eos, qui aderant, tali oratione avertit:

U. C. 561.
A. C. 191.
Hannibalis
sententia.

Si, ex quo trajecimus in Græciam, adhibitus essem in consilium, quum de Eubæa, de Achæis, de Bœotia agebatur; eandem sententiam dixissem, quam hodie, quum de Thessalis agitur, dicam. Ante omnia Philippum et Macedonas in societatem belli quacumque ratione censeo deducendos esse: nam quod ad Eubæam Bœotosque et Thessalos adinet, cui dubium est, quin, ut quibus nullæ suæ vires sint, præsentibus adulando semper, quem metum in consilio habeant, eodem ad inpetrandam veniam utantur? simul ac Romanum exercitum in Græcia viderint, ad consuetum imperium se avertant? nec iis noxæ futurum sit, quod, quum Romani procul abessent, vim tuam præsentis exercitusque tui experiri noluerint? Quanto igitur prius potiusque est, Philippum nobis conjungere, quam hos? cui, si semel in causam descenderit, nihil integri futurum sit, quique eas vires adferat, quæ non accessio tantum ad Romanum esse bellum, sed per se ipsæ nuper sustinere potuerint Romanos. Hoc ego adjuncto (absit verbo invidia) qui dubitare de eventu possim? quum, quibus adversus Philippum valuerint Romani, iis nunc fore videam ut ipsi obpugnentur. Ætoli, qui Philippum (quod inter omnes constat) vicerunt, cum Philippo adversus Romanos pugnabunt. Amynder atque Athamanum gens, quorum secundum Ætolos plurima fuit opera in eo bello, nobiscum stabunt. Philippus tum, te quieto, totam molem sustinebat belli: nunc duo maximi reges, Asiæ Europæque viribus, adversus unum populum, (ut meam utramque fortunam taceam) patrum certe ætate ne uni quidem Epirotarum regi parem, (quid tandem erit vobiscum comparatus?) geretis bellum. Quæ igitur res mihi fiduciam præbet, conjungi nobis Philippum posse? Una, communis utilitas, quæ societatis maxi-

num vinculum est : altera, auctores vos Ætoli. Vester enim legatus hic Thoas inter cetera, quæ ad exciendum in Græciam Antiochum dicere est solitus, ante omnia hoc semper adfirmavit ; fremere Philippum, et ægre pati, sub specie pacis leges servitutis sibi inpositus. Ille quidem feræ bestię vinctæ aut clausæ, et refringere claustra cupienti, regis iram verbis æquabat : cujus si talis animus est, solvamus nos ejus vincula, et claustra refringamus, ut erumpere diu cœrcitam iram in hostes communes possit. Quod si nihil eum legatio nostra moverit, at nos, quoniam nobis eum adungere non possumus, ne hostibus nostris ille adjungi possit, caveamus. Seleucus filius tuus Lysimachiæ est : qui si eo exercitu, quem secum habet, per Thraciam proxima Macedoniæ cæperit depopulari ; facile ab auxilio ferendo Romanis Philippum ad sua potissimum tuenda avertet. De Philippo meam sententiam habes. De ratione universi belli quid sentirem, jam ab initio non ignorasti : quod si tum auditus forem, non in Eubœa Chalcidem captam, et castellum Euripi expugnatum Romoni, sed Etruriam Ligurumque et Galliæ Cisalpinæ oram bello ardere, et, qui maximus iis terror est, Hannibalem in Italia esse audirent. Nunc quoque arcessas censeo omnes navales terrestresque copias. Sequantur classem onerariæ cum com meatibus : nam hic sicut ad belli munera pauci sumus, sic nimis multi pro inopia com meatuum. Quum omnes tuas contraxeris vires, divisam classem partim Corcyræ in statione habebis, ne transitus Romanis liber ac tutus pateat : partim ad litus Italiæ, quod Sardiniam Africamque spectat, trajicies : ipse cum omnibus terrestribus copiis in Byllinum agrum procedes. Inde Græciæ præsidebis, et speciem Romanis trajecturum te præbens, et, si res poposcerit, trajecturus. Hæc suadeo,

U. C. 561.

A. C. 191.

U. C. 561. *qui, ut non omnis peritissimus sim belli, cum Romanis*
 A. C. 191. *certe bellare bonis malisque meis didici In quæ consi-*
lium dedi, in eadem nec infidelem, nec segnem operam
polliceor. Dii adprobent eam sententiam, quæ tibi op-
tima visa fuerit.

Eam non
 exsequitur
 Antiochus.

VIII. Hæc ferme Hannibalis oratio fuit; quam laudarunt magis in præsentia, qui aderant, quam rebus ipsis exsecuti sunt: nihil enim eorum est factam, nisi quod ad classem copiasque arcessendas ex Asia Polyxenidam misit. Legati Larissam ad concilium Thessalorum sunt missi, et Ætolis Amynandroque dies ad conveniendum exercitui Pheras est dicitus: eodem et rex cum suis copiis confestim venit. Ibi dum obperitur Amynandrum atque Ætolos, Philippum Megalopolitanum cum duobus millibus hominum ad legenda ossa Macedonum circa Cynoscephalas, ubi debellatum erat cum Philippo, misit; sive ab ipso, quærente sibi commendationem ad Macedonum gentem et invidiam regi, quod insepultos milites reliquisset, monitus; sive ab insita regibus vanitate ad consilium specie amplum, re inane, animo adjecto. Tumulus est, in unum ossibus, quæ passim strata erant, coacervatis, factus; qui nullam gratiam ad Macedonas, odium ingens ad Philippum movit. Itaque, qui ad id tempus fortunam esset in consilio habiturus, is extemplo ad M. Bæbium proprætorem misit, *Antiochum in Thessaliam inpetum fecisse: si videretur ei, moveret ex hibernis: se obviam processurum, ut, quid agendum esset, consultarent.*

Legit ossa
 Macedo-
 num ad Cy-
 noscephala-
 las.

Ejus gesta
 in Thessa-
 lia.

IX. Antiocho, ad Pheras jam castra habenti, ubi conjunxerant ei se Ætoli et Amynander, legati ab Larissa venerunt, quærentes, quod ob factum dictumve Thessalorum bello lacerasset eos? simul oran-

tes, ut, remoto exercitu, per legatos, si quid ei videretur, secum disceptaret. Eodem tempore quingentos armatos, duce Hippolochō, Pheras in præsidium miserunt: hi, exclusi aditu, jam omnia itinera obsidentibus regiis, Scotussam se receperunt. Legatis Larissæorum rex clementer respondit, *Non belli faciendi, sed tuendæ et stabiliendæ libertatis Thessalorum causa, se Thessaliam intrasse.* Similia his qui cum Pheræis ageret, missus: cui nullo dato responso, Pheræi ipsi legatum ad regem, principem civitatis Pausaniam, miserunt. Qui quum haud dissimilia his, ut in causa pari, quæ pro Chalcidensibus in conloquio ad Euripi fretum dicta erant, quædam etiam ferocius, egisset; rex etiam atque etiam deliberare eos jussos, ne id consilii caperent, cujus, dum in futurum nimis cauti et providi essent, extemplo pœniteret, dimisit. Hæc renunciata Pheras legatio quum esset, ne paullum quidem dubitarunt, quin pro fide erga Romanos, quicquid fors bellis tulisset, paterentur. Itaque et hi summa ope parabant se ad urbem defendendam: et rex ab omni parte simul obpugnare mœnia est adgressus; et, ut qui satis intelligeret, (neque enim dubium erat) in eventu ejus urbis positum esse, quam primam adgressus esset, aut sperni deinde ab universa gente Thessalorum, aut timeri se, omnem undique terrorem obsessis injecit. Primum inpetum obpugnationis satis constanter sustinuerunt: dein, quum multi propugnantes caderent, aut vulnerarentur, labare animi cœpere. Revocati deinde castigationibus principum ad perseverandum in proposito, relicto exteriori circulo muri, deficientibus jam copiis, in interiorē partem urbis concesserunt, cui brevior orbis munitionis cir-

U. C. 581.

A. C. 191.

U. C. 561. cumjectus erat: postremo victi malis, quum time-
 A. C. 191. rent, ne vi captis nulla apud victorem venia esset,
 dediderunt sese. Nihil inde moratus rex, quatuor
 millia armatorum, dum recens terror esset, Scotus-
 sam misit: nec ibi mora deditiois est facta, cer-
 nentibus Pheræorum recens exemplum; qui, quod
 pertinaciter primo abnuerant, malo domiti tandem
 fecissent: cum ipsa urbe Hippolochus Larissæorum-
 que deditum est præsidium. Dimissi ab rege invio-
 lati omnes; quod eam rem magni momenti futuram
 rex ad conciliandos Larissæorum animos credebat.

X. Intra decimum diem, quam Pheras venerat,
 his perfectis, Cranonem, profectus cum toto exerci-
 tu, primo adventu cepit: inde Cypæram et Metro-
 polim, et iis circumjecta castella recepit; omniaque
 jam regionis ejus, præter Atracem et Gyrtionem, in
 potestate erant. Tum adgredi Larissam constituit:
 ratus vel terrore ceterarum expugatarum, vel bene-
 ficio præsidii dimissi, vel exemplo tot civitatum
 dedentium sese, non ultra in pertinacia mansuros.
 Elephantis agi ante signa terroris causa jussis, qua-
 drato agmine ad urbem incessit; ut incerti fluctua-
 rentur animi magnæ partis Larissæorum inter me-
 tum præsentem hostium et verecundiam absentium
 sociorum. Per eodem dies Amynder cum Atha-
 manum juventute occupat Pellinæum: et Menippus,
 cum tribus millibus peditum Ætolorum et ducentis
 equitibus in Perrhæbiam profectus, Mallæam et Cy-
 retias vi cepit, depopulatusque est agrum Tripolita-
 num. His raptim peractis, Larissam ad regem red-
 eunt: consultant, quidnam agendum esset de La-
 rissa, supervenerunt. Ibi in diversum sententiæ ten-
 debant: aliis, vim adhibendam, et non differendum

censentibus, quin operibus ac machinis simul undique mœnia adgrederentur urbis sitæ in plano, apertæ, campestri undique aditu: aliis nunc vires urbis, nequaquam Pheris conferendæ, memorantibus; nunc hiemem et tempus anni nulli bellicæ rei, minime obsidioni atque obpugnationi urbium, aptum. Incerto regi inter spem metumque legati a Pharsalo, qui ad dedendam urbem suam forte venerant, animos auxerunt. M. Bæbius interim, cum Philippo in Dassaretiis congressus, Ap. Claudium ex communi consilio ad præsidium Larissæ misit, qui per Macedoniam magnis itineribus in jugum montium, quod super Gonnos est, pervenit. Oppidum Gonni viginti millia ab Larissa abest, in ipsis faucibus saltus, quæ Tempe adpellantur, situm. Ibi castra metatus latius, quam pro copiis, et plures, quam quot satis in usum erant, ignes quum accendisset, speciem, quam quæsierat, hosti fecit, omnem ibi Romanum exercitum cum rege Philippo esse. Itaque hiemem instare apud suos caussatus rex, unum tantum moratus diem, ab Larissa recessit, et Demetriadem rediit: Ætoli que et Athamanes in suos receperunt se fines. Appius, etsi, cujus rei caussa missus erat, solutam cernebat obsidionem, tamen Larissam ad confirmandos in reliquum sociorum animos descendit: duplexque lætitia erat, quod et hostes excesserant finibus, et intra mœnia præsidium Romanum cernebant.

XI. Rex Chalcidem a Demetriade profectus, Antiochus amore captus virginis Chalcidensis Cleoptolemi filiæ, nuptias Chalcide quum patrem, primo adlegando, deinde coram ipse celebrat. rogando, fatigasset, invitum se gravioris fortunæ conditioni inligantem, tandem inpetrata re, tamquam in media pace nuptias celebrat: et reliquum

U. C. 561.

A. C. 191.

U. C. 561. hiemis, oblitus quantas simul duas res suscepisset,
 A. C. 191. bellum Romanum et Græciam liberandam, ommissa
 omnium rerum cura, in conviviiis et vinum sequen-
 tibus voluptatibus, ac deinde, ex fatigatione magis,
 quam satietate earum, in somno traduxit. Eadem
 omnes præfectos regios (qui ubique, ad Bœotiam
 maxime, præpositi hibernis erant) cepit luxuria :
 in eandem et milites effusi sunt : nec quisquam eo-
 rum aut arma induit, aut stationem, aut vigilias ser-
 vavit ; aut quidquam, quod militaris operis, aut mu-
 neris esset, fecit. Itaque principio veris, quum per
 Phocidem Chæroneam, quo convenire omnem undi-
 que exercitum jusserat, venisset ; facile animadvertit,
 nihilo severiore disciplina milites, quam ducem,
 hibernasse. Alexandrum inde Acarnana et Menip-
 pum Macedonem Stratum Ætoliæ copias ducere
 jussit : ipse, Delphis sacrificio Apollini factò, Nau-
 pactum processit : consilio principum Ætoliæ ha-
 bito, via, quæ præter Calydonem et Lysimachiam
 fert ad Stratum, suis, qui per Maliacum sinum ve-
 niebant, obcurrit. Ibi Mnesilochus princeps Acar-
 nianum, multis entus donis, non ipse solum gentem
 regi conciliabat, sed Clytum etiam prætorem, pene
 quem tum summa potestas erat, in suam sententiam
 adduxerat. Is quum Leucadios, quod Acarnaniæ
 caput est, non facile ad defectionem posse cerneret
 impelli, propter metum Romanæ classis, quæ cum
 Atilio, quæve circa Cephalleniam erat, arte eos est
 adgressus : nam quum in concilio dixisset, tuenda
 mediterranea Acarnaniæ esse, et omnibus, qui arma
 ferrent, exeundum ad Medionem et Thyrium, ne ab
 Antiocho aut Ætolis occuparentur ; fuere, qui dice-
 rent, nihil adtinere omnes tumultuose concitari ; sa-

Exercitus
 luxuria
 conrum-
 pitur.

Antiochus
 Acarnani-
 am petit.

tis esse quingentorum hominum præsidium: eam U. C. 561.
 juventutem nactus, trecentis Medione, ducentis Thy- A. C. 191.
 rii in præsidio positus, id agebat, ut pro obsidibus
 futuri venirent in potestatem regis.

XII. Per eosdem dies legati regis Medionem
 venerunt: quibus auditis, quum in concione, quid-
 nam respondendum regi esset, consultaretur; et alii
 manendum in Romana societate, alii non adspen-
 tandam amicitiam regis censerent; media visa est
 Clyti sententia, eoque accepta est, ut ad regem mit-
 terent legatos, peterentque ab eo, ut Medionios su-
 per tanta re consultare in concilio Acarnanum pa-
 teretur. In eam legationem Mnesilochus, et qui
 ejus factionis erant, de industria conjecti, clam mis-
 sis, qui regem admovere copias juberent, ipsi tere-
 bant tempus: itaque vixdum iis egressis legatis,
 Antiochus in finibus, mox ad portas erat, et trepi-
 dantibus, qui expertes prodicionis fuerant, tumultu-
 oseque juventutem ad arma vocantibus, ab Clyto
 et Mnesilocho in urbem est inductus: et, aliis sua
 voluntate adfluentibus, metu coacti etiam, qui dis-
 sentiebant, ad regem convenerunt: quos placida
 oratione territos quum permulsisset, ad spem vul-
 gatæ clementiæ aliquot populi Acarnaniæ defece-
 runt. Thyrium a Medione profectus est, Mnesilo-
 cho eodem et legatis præmissis. Ceterum detecta
 Medione fraus cautiores, non timidiore, Thyrienses
 fecit, dato ei haud perplexo responso, nullam se
 novam societatem, nisi ex auctoritate Romanorum
 imperatorum, accepturos, portisque clausis, armatos
 in muris disposerunt. Et peropportune ad confir-
 mandos Acarnanum animos Cn. Octavius missus a
 Quintio, quum præsidium et paucas naves ab A.

U. C. 561. Postunio, qui ab Atilio legato Cephalleniae præpositus fuerat, accepisset, Leucadem venit, inplevitque spei socios: M. Acilium consulem jam cum legionibus mare trajecisse, et in Thessalia castra Romana esse. Hunc rumorem quia similem veri tempus anni maturum jam ad navigandum faciebat; rex, præsidio Medione inposito, et in quibusdam aliis Acarnaniae oppidis, Thyrio abscessit, et per Ætoliæ ac Phocidis urbes Chalcidem rediit.

Redit in
Eubœam.

Philippus
et Bæbius
in Thes-
salia.

XIII. Sub idem tempus M. Bæbius et Philippus rex, jam ante per hiemem in Dassaretiis congressi, quum Ap. Claudium, ut obsidione Larissam eximeret, in Thessaliam misissent, quia id tempus rebus gerendis innaturum erat, in hiberna regressi, principio veris conjunctis copiis in Thessaliam descenderunt. In Acarnania tum Antiochus erat. Advenientes, Philippus Mallœam Perrhæbiæ, Bæbius Phacium est adgressus, quo primo prope inpetu capto, Phæstum eadem celeritate capit: inde Atracem quum se recepisset, Cyretias hinc et Eritium occupat: præsidisque per recepta oppida dispositis, Philippo rursus obsidenti Mallœam se conjungit. Sub adventum Romani exercitus, seu ad metum virium, seu ad spem veniæ, quum deditissent sese; ad ea recipienda oppida, quæ Athamanes occupaverant, uno agmine ierunt. Erant autem hæc, Æginium, Ericinium, Gomphi, Silana, Tricca, Melibœa, Phaloria. Inde Pellinæum, ubi Philippus Megalopolitanus cum quingentis peditibus et equitibus quadraginta in præsidio erat, et circumsidunt, et, priusquam obpugnarent, mittunt ad Philippum, qui moneret, ne vim ultimam experiri vellet. Quibus ille satis ferociter respondit, vel Romanis, vel Thessalis

se crediturum fuisse: in Philippi se potestatem U. C. 561.
 commissurum non esse. Postquam adparuit vi A. C. 191.
 agendum, quia videbatur et Limnæam eodem tem-
 pore obpugnari posse, regem ad Limnæam ire
 placuit: Bæbius restitit ad Pellinæum obpugnan-
 dum.

XIV. Per eos forte dies M. Acilius consul, cum M. Acilii
res gestæ.
 decem millibus peditum, duobus millibus equitum,
 quindecim elephantis, mari trajecto, pedestres co-
 pias Larissam ducere delectos militum tribunos jus-
 sit: ipse cum equitatu Limnæam ad Philippum ve-
 nit. Adventu consulis deditio sine cunctatione est
 facta: traditumque præsidium regium, et eum iis
 Athamanes. Ab Limnæa Pellinæum consul profi-
 ciscitur. Ibi primi Athamanes tradiderunt sese, de-
 inde et Philippus Megalopolitanus: cui, decedenti
 de præsidio, quum obvius forte fuisset Philippus
 rex, ad ludibrium regem eum consalutari jussit; ipse
 congressus fratrem, haud sane decoro majestati suæ
 joco, adpellavit. Deductus inde ad consulem custo-
 diri jussus, et haud ita multo post in vinculis Ro-
 mam missus: cetera multitudo Athamanum aut mi-
 litum Antiochi regis, quæ in præsidiis deditorum per
 eos dies oppidorum fuerat, Philippo tradita regi est:
 fuere autem ad tria millia hominum. Consul La-
 rissam est profectus, ibi de summa belli consultatu-
 rus: in itinere ab Pieria et Metropoli legati traden-
 tes urbes suas obcurrerunt. Philippus, Athama-
 num præcipue captivis indulgenter habitis, ut per
 eos conciliaret gentem, nactus spem Athamanicæ po-
 tiundæ, exercitum eo duxit, præmissis in civitates
 captivis. Et illi magnam auctoritatem apud popu-
 lares habuerunt, clementiam erga se regis munifi-

U. C. 561. centiamque commemorantes: et Amynder, cujus
 A. C. 191. præsentis majestas aliquos in fide continisset, veritus ne traderetur Philippo jam pridem hosti, et Romanis merito tunc propter defectionem infensis, cum conjuge ac liberis regno excessit, Ambraciamque se contulit: ita Athamania omnis in jus ditio- nemque Philippi concessit. Consul, ad reficienda maxime jumenta, quæ et navigatione, et postea itineribus fatigata erant, paucos Larissæ moratus dies, velut renovato modica quiete exercitu Cranonem est progressus. Venienti Pharsalus, Scotussa, et Pheræ, quæque in eis præsidia Antiochi erant, deduntur: ex iis interrogatis, qui manere secum vellent, mille volentes Philippo tradit: ceteros inermes Demetriadem remittit. Proœrnâ inde recepit, et quæ circa eam castella erant. Ducere tum porro in sinum Maliacum cœpit. Adpropinquante faucibus, super quas siti Thaumaci sunt, deserta urbe, juvenus omnis armata silvas et itinera insedit, et in agmen Romanum ex superioribus locis incursavit. Consul primo mittere, qui ex propinquo conloquentes detererent eos a tali furore: postquam perseverare in incepto vidit, tribuno cum duorum signorum militibus circummisso, interclusit ad urbem iter armatis, vacuamque eam cepit: tum, clamore ab tergo captæ urbis audito, refugientium undique ex silvis insidiatorum cædes facta est. A Thaumacis altero die consul ad Sperchium amnem pervenit: inde Hypætæorum agros vastavit.

XV. Quum hæc agebantur, Chalcide erat Antiochus: qui, jam tum cernens, nihil se ex Græcia, præter amœna Chalcide hiberna et infames nuptias, petisse, Ætolorum vana promissa incusare et Thoan-

tem; Hannibalem vero, non ut prudentem tantum U. C. 561.
virum, sed prope vatem omnium, quæ tum eveni- A. C. 191.
rent, admirari: ne tamen temere cœpta, segnitia
insuper everteret, nuncios in Ætoliâ mittit, ut,
omni contracta juventute, convenirent. Jam et ipse
eo decem millia fere peditum ex iis, qui postea ve-
nerant ex Asia, expleta, et equites quingentos duxit.
Quo quum aliquanto pauciores, quam unquam
antea, convenissent, et principes tantummodo cum
paucis clientibus essent, atque ii dicerent, omnia
sedulo ab se facta, ut quam plurimos ex civitatibus
suis evocarent; nec auctoritate, nec gratia, nec im-
perio adversus detractantes militiam valuisse; desti-
tutus undique et ab suis, qui morabantur in Asia,
et ab sociis, qui ea, in quorum spem vocaverant,
non præstabant, intra saltum Thermopylarum sese
recepit. Id jugum, sicut Apennini dorso Italia di-
viditur, ita mediam Græciam dirimit: ante saltum
Thermopylarum in septentrionem versa Epirus, et
Perrhæbia, et Magnesia, et Thessalia est, et Phthio-
tæ Achæi, et sinus Maliacus: intra fauces ad meri-
diem vergunt Ætolie pars major, et Acarnania, et
cum Locride Phocis, et Bœotia adjunctaque insula
Eubœa, et, excurrente in altum, velut promontorio,
Attica terra, sita ab tergo et Peloponnesus. Hoc
jugum, ab Leucade et mari ad occidentem verso per
Ætoliâ ad alterum mare orienti objectum tendens,
ea aspreta rupesque interjectas habet, ut non modo
exercitus, sed ne expediti quidem facile ullas ad
transitum calles inveniant. Extremos ad orientem
montes Œtam vocant, quorum quod altissimum est,
Callidromion adpellatur: in cujus valle ad Maliacum
sinum vergente iter est non latius, quam sexaginta

Antiochus
intra sal-
tum Ther-
mopyla-
rum castra
locat.

Descriptio
locorum.

U. C. 561. passus. Hæc una militaris via est, qua traduci
 A. C. 191. exercitus, si non prohibeantur, possint: ideo Pylæ,
 et ab aliis, quia calidæ aquæ in ipsis faucibus sunt,
 Thermopylæ locus adpellatur, nobilis Lacedæmonio-
 rum adversus Persas morte magis memorabili, quam
 pugna.

XVI. Haudquaquam pari tum animo Antiochus,
 intra portas loci ejus castris positis, munitionibus
 insuper saltum inpediebat: et, quum duplici vallo
 fossaque, et muro etiam, qua res postulabat, ex
 multa copia passim jacentium lapidum, permunisset
 omnia, satis fidens, numquam ea vim Romanum ex-
 ercitus facturum, Ætolos ex quatuor millibus (tot
 enim convenerant) partim ad Heracleam præsidio
 obtinendam, quæ ante ipsas fauces posita est, par-
 tim Hypatam mittit, et Heracleam haud dubius con-
 sulum obpugnaturum, et jam multis nunciantibus,
 Consul ad circa Hypatam omnia evastari. Consul, depopula-
 Thermopylas. tus Hypatensem primo, deinde Heracleensem agrum,
 inutili utrobique auxilio Ætolorum, in ipsis faucibus
 prope fontes calidarum aquarum adversus regem cas-
 tra posuit. Ætolorum utræque manus Heracleam
 sese incluserunt. Antiochum, cui, priusquam hos-
 tem cerneret, satis omnia permunita et præsidiis ob-
 septa videbantur, timor deinde incessit, ne quas per
 imminencia juga calles inveniret ad transitum Ro-
 manus: nam et Lacedæmonios quondam ita a Per-
 sis circumitos fama erat; et nuper Philippum ab
 iisdem Romanis: itaque nuncium Heracleam ad
 Ætolos mittit, ut hanc saltem sibi operam eo bello
 præstarent, ut vertices circa montium occuparent
 obsiderentque, ne qua transire Romanus posset.
 Hoc nuncio audito, dissensio inter Ætolos orta est:

pars imperio parendum regis atque eundem cense-
bant, pars subsistendum Heracleæ ad utramque for-
tunam; ut, sive victus a consule rex esset, in expedito haberent integras copias ad opem propinquis ferendam civitatibus suis; sive vinceret, ut dissipatos in fugam Romanos persequerentur. Utraque pars non mansit modo in sententia sua, sed etiam exsecuta est consilium: duo millia Heracleæ substituerunt: duo trifariam divisa Callidromum, et Rhoduntiam, et Tichiunta (hæc nomina cacuminibus sunt) occupavere.

XVII. Consul postquam in sessa superiora loca ab Ætolis vidit, M. Porcium Catonem et L. Valerium Flaccum, consulares legatos, cum binis millibus delectorum peditum, ad castella Ætolorum, Flaccum in Rhoduntiam et Tichiunta, Catonem in Callidromum mittit: ipse, priusquam ad hostem copias admoveret, vocatos in concionem milites paucis est adlocutus: *Plerosque omnium ordinum, milites, inter vos esse video, qui in hac eadem provincia T. Quintii ductu auspicioque militaveritis. Macedonico bello inexsuperabilis magis saltus ad anem Aoum fuit, quam hic. Quippe portæ sunt hæ, et unus, inter duo maria clausis omnibus, velut naturalis transitus est:munitiones et locis opportunioribus tunc fuerunt, et validiores inpositæ: exercitus hostium ille et numero major, et militum genere aliquanto melior. Quippe illic Macedones Thracesque et Illyrii erant, ferocissima omnes gentes: hic Syri et Asiatici Græci sunt, levissima genera hominum et servituti nata. Rex ille bellicosissimus, exercitatus jam inde ab juvena finitimis Thracum atque Illyriorum, et circa omnium adcolarum bellis; hic, ut aliam omnem vitam omittam, is*

Consul
suos hor-
tatur.

U. C. 561. est, qui, quum ad inferendum populo Romano bellum
 A. C. 191. ex Asia in Europam transisset, nihil memorabilius toto
 tempore hibernorum gesserit, quam quod amoris causa
 ex domo privata, et obscuri etiam inter populares generis,
 uxorem duxit: et novus maritus, velut saginatus
 nuptialibus cœnis, ad pugnam processit. Summa virium
 speique ejus in Ætolis fuit; gente vanissima et
 ingrattissima, ut vos prius experti estis, nunc Antiochus
 experitur. Nam nec convenerunt frequentes, nec contineri
 in castris potuerunt, et in seditione ipsi inter se
 sunt: et quum Hypatam tuendam Heracleamque depoposcissent,
 neutram tutati, refugerunt in juga montium, pars Heracleæ
 incluserunt sese. Rex ipse confessus, nusquam æquo campo
 non modo congregi se ad pugnam audere, sed ne castra
 quidem in aperto ponere, relicta omni ante se regione
 ea, quam se nobis ac Philippo ademisse gloriabatur,
 condidit se intra rupes: ne ante fauces quidem saltus,
 ut quondam Lacedæmonios fama est, sed intra penitus
 retractis castris: quod quantum interest ad timorem
 ostendendum, an muris alicujus urbis obsidendum
 sese incluserit? Sed neque Antiochum tuebuntur
 angustiae, nec Ætolos verices illi, quos ceperunt.
 Satis undique provisum atque præcantum est, ne quid
 adversus vos in pugna præter hostes esset. Illud
 proponere animo vestro debetis, non vos pro Græciæ
 libertate tantum dimicare, (quamquam is quoque egregius
 titulus esset, liberatam a Philippo ante, nunc ab Ætolis
 et ab Antiocho liberare) neque ea tantum in præmium
 vestrum cessura, quæ nunc in regibus castris sunt:
 sed illum quoque omnem adparatum, qui in dies ab
 Epheso expectatur, prædæ futurum: Asiam deinde
 Syriamque, et omnia usque ad ortus solis ditissima
 regna imperio Romano aperturos. Quid deinde aberit,

quin ab Gadibus ad mare rubrum Oceano fines terminemus, qui orbem terrarum amplexu finit, et omne humanum genus secundum Deos nomen Romanum veneretur? In hac tanta præmia dignos parate animos, ut crastino die, bene jurantibus Diis, acie decernamus.

XVIII. Ab hac concione dimissi milites, priusquam corpora curarent, arma telaque parant. Luce pugna ad Thermopylas.
 prima, signo pugnae proposito, instruit aciem consul, arta fronte, ad naturam et angustias loci. Rex, postquam signa hostium conspexit, et ipse copias eduxit. Levis armaturæ partem ante vallum in primo locavit; tum Macedonum robur, quos Sarissophoros adpellabant, velut firmamentum circa ipsas munitiones constituit: his ab sinistro cornu jaculatorum sagittariorumque et funditorum manum sub ipsis radicibus montis posuit, ut ex altiore loco nuda latera hostium incesserent: ab dextro Macedonibus ad ipsum munimentorum finem, qua loca usque ad mare invia palustri limo et voraginibus claudunt, elephantos cum adsueto præsidio posuit; post eos, equites; tum, modico intervallo relicto, ceteras copias in secunda acie. Macedones, pro vallo locati, primo facile sustinebant Romanos, tentantes ab omni parte aditus: multum adjuvantibus, qui ex loco superiore fundis, velut nimbum, glandes et sagittas simul ac jacula ingerebant. Deinde, ut major, nec jam toleranda vis hostium inferebat se, pulsus loco intra munimenta, subductis ordinibus, concesserunt; inde ex vallo prope alterum vallum, hastis præ se objectis, fecerunt: et ita modica altitudo valli erat, ut et locum superiorem ad pugnandum suis præberet, et propter longitudinem hastarum subjectum haberet hostem. Multi, temere subeuntes vallum, transfixi

U. C. 561. sunt : et aut incepto irrito recessissent, aut plures
A. C. 191. cecidissent, ni M. Porcius ab jugo Callidromi, de-
jectis inde Ætolis, et magna ex parte cæsis, (incau-
tos enim et plerosque sopitos obpresserat) super in-
minentem castris collem adparuisset.

XIX. Flacco non eadem fortuna ad Tichiunta et
Rhodontiam, nequidquam subire ad ea castella co-
nato, fuerat. Macedones, quique alii in castris re-
giis erant, primo, dum procul nihil aliud, quam turba
et agmen, adparebat, Ætolos credere, visa procul
pugna, subsidio venire. Ceterum, ut primum signa-
que et arma ex propinquo cognita errorem aperue-
runt, tantus repente pavor omnes cepit, ut, abjectis
armis, fugerent : et munimenta sequentes inpedie-
runt, et angustiae vallis, per quam sequendi erant ;
et maxime omnium, quod elephanti novissimi ag-
minis erant, quos pedes ægre præterire, eques nullo
poterat modo, timentibus equis, tumultumque inter
se majorem, quam in prælio, edentibus. Aliquantum
temporis et direptio castrorum tenuit. Scarphiam
tamen eo die persecuti sunt hostem. Multis in ipso
itinere cæsis captisque, non equis virisque tantum,
sed etiam elephantis, quos capere non potuerant, in-
terfectis, in castra reverterunt ; quæ tentata eo die
inter ipsum pugnae tempus ab Ætolis, Heracleam
obtinentibus præsidio, sine ullo haud parum audacis
incepti effectu, fuerant. Consul, noctis insequentis
tertia vigilia præmisso equitatu ad persequendum
hostem, signa legionum prima luce movit. Aliquan-
tum viæ præceperat rex ; ut qui non ante, quam
Elatiæ, ab effuso constiterit cursu : ubi primum re-
liquiis pugnaeque et fugæ conlectis, cum perexigua
manu semiermium militum Chalcidem se recepit.

Chalcidem
se recipit.

Romanus equitatus ipsum quidem regem Elatiæ ad-^{U. C. 561.}
 secutus non est, sed magnam partem agminis, aut^{A. C. 191.}
 lassitudine subsistentis, aut errore, ut qui sine duci-
 bus per ignota itinera fugerent, dissipatos obpresse-
 runt: nec præter quingentos, qui circa regem fue-
 runt, ex toto exercitu quisquam effugit: etiam ex
 decem millibus militum, quos, Polybio auctore, tra-
 jecisse secum regem in Græciam scripsimus, exiguus
 numerus: quid si Antiati Valerio credamus, sexa-
 ginta millia militum fuisse in regio exercitu scribenti,
 quadraginta inde millia cecidisse, supra quinque mil-
 lia capta cum signis militaribus ducentis triginta?
 Romanorum centum quinquaginta in ipso certamine
 pugnæ, ab incursu Ætolorum se tuentes non plus
 quinquaginta interfecti sunt.

XX. Consule per Phocidem et Bœotiam exercitum^{Consul An-}
 ducente, consciæ defectionis civitates cum velamentis^{tiochum}
 ante portas stabant, metu ne hostiliter diriperentur:^{persequi-}
 ceterum per omnes dies haud secus, quam in pacato
 agro, sine violatione ullius rei agmen processit, do-
 nec in agrum Coronæum ventum est. Ibi statua regis
 Antiochi, posita in templo Minervæ Itoniæ, iram
 accendit; permissumque militi est, ut circumjectum
 templo agrum popularetur: deinde cogitatio animum
 subiit, quum communi decreto Bœotorum posita
 esset statua, indignum esse, in unum Coronensem
 agrum sævire. Revocato extemplo milite, finis po-
 pulandi factus: castigati tantum verbis Bœoti ob
 ingratum in tantis tamque recentibus beneficiis ani-
 mum erga Romanos. Inter ipsum pugnæ tempus
 decem naves regiæ cum præfecto Isidoro ad Thro-
 nium in sinu Maliaco stabant: eo gravis vulneribus
 Alexander Acarnan, nuncius adversæ pugnæ, quum

U. C. 561. perfugisset, trepidæ inde recenti terrore naves Ce-
 A. C. 191. næum Eubœæ petierunt: ibi mortuus sepultusque
 Alexander. Tres, quæ ex Asia profectæ eundem
 portum tenuerant, naves, audita exercitus clade,
 Ephesum redierunt. Isidorus ab Cenæo Demetri-
 adem, si forte eo deferret fuga regem, trajecit. Per
 eosdem dies A. Atilius, præfectus Romanæ classis,
 magnos regios commeatus, jam fretum, quod ad An-
 drum insulam est, prætervectos, excepit: alias mer-
 sit, alias cepit naves: quæ novissimæ agminis erant,
 cursum in Asiam verterunt. Atilius Piræcum, unde
 profectus erat, cum agmine captivarum navium re-
 vectus, magnam vim frumenti et Atheniensibus et
 aliis ejusdem regionis sociis divisit.

Antiochus
 in Asiam
 trajecit.

XXI. Antiochus, sub adventum consulis a Chal-
 cide profectus, Tenum primo tenuit: inde Ephesum
 transmisit. Consuli Chalcidem venienti portæ pa-
 tuerunt, quum, adpropinquante eo, Aristoteles, præ-
 fectus regis, urbe excessisset: et ceteræ urbes in
 Eubœa sine certamine traditæ, post paucosque dies,
 omnibus perpacatis, sine ullius noxa urbis exercitus
 Thermopylas reductus, multo modestia post victo-
 riam, quam ipsa victoria, laudabilior. Inde consul
 M. Catonem, per quem, quæ gesta essent, senatus
 populusque Romanus haud dubio auctore sciret, Ro-
 mania misit. Is a Creusa (Thespiensium emporium
 est, in intimo sinu Corinthiaco retractum) Patras
 Achaïæ petit; a Patris Coreyram usque Ætoliaë at-
 que Acarnaniaë litora legit, atque ita ad Hydruntum
 Italiaë trajecit: quinto die inde pedestri itinere Ro-
 mam ingenti cursu pervenit: ante lucem ingressus
 urbem, a porta ad prætorem M. Junium iter intendit.
 Is prima luce senatum vocavit: quo L. Cornelius

Scipio, aliquot diebus ante a consule dimissus, quum U. C. 561.
 adveniens audisset, prægressum Catonem in senatu A. C. 191.
 esse, supervenit exponenti, quæ gesta essent. Duo
 inde legati jussu senatus in concionem sunt pro-
 ducti: atque ibi eadem, quæ in senatu, de rebus in
 Ætolia gestis exposuerunt. Supplicatio in triduum
 decreta est; et ut quadraginta hostiis majoribus
 prætor, quibus Diis ei videretur, sacrificaret. Per
 eosdem dies et M. Fulvius Nobilior, qui biennio ante
 prætor in Hispaniam erat profectus, ovans urbem
 est ingressus: argenti bigati præ se tulit centum
 triginta millia: et extra numeratum duodecim millia
 pondo argenti: auri pondo centum viginti septem.

XXII. Acilius consul ab Thermopylis Heracleam Ætolos ad
 ad Ætolos præmisit, ut tunc saltem, experti regiam resipiscend-
 vanitatem, resipiscerent; traditaque Heraclea, cogita- dum invi-
 rent de petenda ab senatu seu furoris sui, seu erroris ve- tat consul.
 nia: et ceterus Græciæ civitates defecisse eo bello ab
 optime de se meritis Romanis: sed, quia post fugam
 regis, cujus fiducia officio decessissent, non addidissent
 pertinaciam culpæ, in fidem receptas esse. Ætolos quo-
 que, quamquam non secuti sint regem, sed arcessierint,
 et duces belli, non socii, fuerint, si penitere possint,
 posse et incolumes esse. Ad ea quum pacati nihil re-
 sponderetur, adpareretque, armis rem gerendam, et,
 rege superato, bellum Ætolicum integrum restare;
 castra ab Thermopylis ad Heracleam movit: eoque Heracleam
 ipso die, ut situm nosceret urbis, ab omni parte obsidet.
 equo mœnia est circumvectus. Sita est Heraclea in
 radicibus Cætæ montis: ipsa in campo, arcem imni-
 nentem loco alto et undique præcipiti habet. Con-
 templatibus omnia, quæ noscenda erant, quatuor si-
 mul locis adgredi urbem constituit: a flumine Aso-

U. C. 561. po, qua et gymnasium est, L. Valerium operibus at-
 A. C. 191. que obpugnationi præposuit: arcem extra muros,
 quæ frequentius prope, quam urbs, habitabatur, Ti.
 Sempronio Longo obpugnandam dedit: a sinu Ma-
 liaco, quæ aditum haud facilem pars habebat, M.
 Bæbium; ab altero amniculo, quem Melana vocant,
 adversus Dianæ templum, Ap. Claudium obposuit.
 Horum magno certamine intra paucos dies turres,
 arietesque, et alius omnis adparatus obpugnandarum
 urbium perficitur. Et quum ager Heracleensis pa-
 luster omnis frequensque proceris arboribus, benignè
 ad omne genus operum materiam subpeditabat:
 tum, quia refugerant intra mœnia Ætoli, deserta,
 quæ in vestibulo urbis erant, tecta in varios usus
 non tigna modo et tabulas, sed laterem quoque, et
 cœmenta, et saxa variæ magnitudinis, præbebant.

XXIII. Et Romani quidem operibus magis, quam
 armis, urbem obpugnabant; Ætoli contra armis se
 tuebantur: nam, quum ariete quaterentur muri, non
 laqueis, ut solet, exceptos declinabant ictus; sed ar-
 mati frequentes, quidam ignes etiam, quos aggeribus
 injicerent, ferebant: fornices quoque in muro erant
 apti ad excurrendum; et ipsi, quum pro dirutis refi-
 ceerent muros, crebriores eos, ut pluribus erumpere-
 tur in hostem locis, faciebant. Hoc primis diebus,
 dum integræ vires erant, et frequentes et impigre fe-
 cerunt: in dies deinde, pauciores et sequius. Ete-
 nim, quum multis urgerentur rebus, nulla eos res
 æque, ac vigiliæ conficiebant; Romanis in magna
 copia militum succedentibus aliis in stationem alio-
 rum, Ætolos propter paucitatem eosdem dies noc-
 tesque adsiduo labore urente. Per quatuor et vi-
 ginti dies, ita ut nullum tempus vacuum dimicatione-

esset, adversus quatuor e partibus simul obpugnantes hostem nocturnus diurno continuatus labor est. U. C. 561.
A. C. 191.

Quum fatigatos jam Ætolos sciret consul et ex ratione temporis, et quod ita transfugæ adfirmabant, tale consilium iniit: media nocte receptui signum dedit, et ab obpugnatione simul omnes milites deductos usque ad tertiam diei horam quietos in castris tenuit: inde cœpta obpugnatio ad mediam rursus noctem perducta est; intermissa deinde usque ad tertiam diei horam. Fatigationem rati causam esse Ætoli non continuandæ obpugnationis, quæ et ipsos adfecerat, ubi Romanis datum receptui signum esset, velut ipsi quoque hoc revocati, pro se quisque ex stationibus decedebant: nec ante tertiam diei horam armati in muris adparebant.

XXIV. Consul, quum nocte media intermisisset obpugnationem, quarta vigilia rursus ab tribus partibus summa vi adgressus, ab una Ti. Sempronium tenere intentos milites signumque exspectantes iussit, ad ea in nocturno tumultu, unde clamor exaudiretur, haud dubie ratus hostes concursuros. Ætoli pars sopiti adfecta labore ac vigiliis corpora ex somno moliebantur: pars vigilantes adhuc ad strepitum pugnantium in tenebris currunt. Hostes partim per ruinas jacentis muri transcendere conantur: partim seclis adscensus tentant: adversus quos undique ad opem ferendam obcurrunt Ætoli. Pars una, in qua ædificia extra urbem erant, neque defenditur, neque obpugnatur: sed, qui obpugnarent, intenti signum exspectabant; defensor nemo aderat. Jam dilucebat, quum signum consul dedit: et sine ullo certamine partim per semiruta, partim seclis integros muros transcendere. Simul clamor, index capti op-

Et capit.

U. C. 561. pidi, est exauditus, undique Ætoli, desertis stationi-
 A. C. 191. bus, in arcem fugiunt. Oppidum victores permissu
 consulis diripiunt; non tam ab ira, nec ab odio,
 quam ut miles, coërcitus in tot receptis ex potestate
 hostium urbibus, aliquo tandem loco fructum victo-
 riæ sentiret. Revocatos inde a medio ferme die mi-
 lites quum in duas divisisset partes, unam radicibus
 montium circumduci ad rupem jussit, quæ, fastigio
 altitudinis par, media valle velut abrupta ab arce
 erat; sed adeo prope geminata cacumina eorum
 montium sunt, ut ex vertice altero conjici tela in
 arcem possint: cum dimidia parte militum consul,
 ab urbe escensurus in arcem, signum ab iis, qui ab
 tergo in rupem evasuri erant, exspectabat. Non tu-
 lere, qui in arce erant, Ætoli primum eorum, qui
 rupem ceperant, clamorem, deinde inpetum ab urbe
 Romanorum, et fractis jam animis, et nulla ibi præ-
 parata re ad obsidionem diutius tolerandam: utpote
 congregatis feminis, puerisque, et inbelli alia turba
 in arcem, quæ vix capere, nedum tueri, multitu-
 dinem tantam posset: itaque, ad primum inpetum
 abjectis armis, dediderunt sese. Traditus inter ce-
 teros princeps Ætolorum Damocritus est: qui prin-
 cipio belli decretum Ætolorum, quo arcesseundum
 Antiochum censuerant, T. Quinctio poscenti respon-
 derat: *In Italia daturum, quum castra ibi Ætoli po-
 suissent: ob eam ferociam majus victoribus gaudium
 traditus fuit.*

XXV. Eodem tempore, quo Romani Heracleam,
 Philippus Lamiam ex composito obpugnabat, circa
 Thermopylas cum consule, redeunte ex Bœotia, ut
 victoriam ipsi populoque Romano gratularetur, ex-
 cusaretque, quod morbo impeditus bello non inter-

fuisset, congressus : inde diversi ad duas simul ob-
 pugandas urbes profecti. Intersunt septem millia
 ferme passuum : et quia Lamia quum posita est in
 tumulo, tum regionem ea maxime despeccat oppi-
 dum, qua breve intervallum videtur, et omnia in
 conspectu sunt ; quum enise, velut proposito certa-
 mine, Romani Macedonesque diem ac noctem aut in
 operibus, aut in præliis essent, hoc major difficultas
 Macedonibus erat, quod Romani aggere et vineis,
 et omnibus supra terram operibus, subtus Mace-
 dones cuniculis obpugnabant : et in asperis locis si-
 lex sæpe inpenetrabilis ferro obcurrerat : et, quum
 parum procederet inceptum, per conloquia princi-
 pum oppidanos tentabat rex, ut urbem dederent ;
 haud dubius, quin, si prius Heraclea capta foret,
 Romanis se potius, quam sibi, dedituri essent, suam-
 que gratiam consul in obsidione liberanda facturum
 esset. Nec eum opinio est frustrata : confestim enim
 ab Heraclea capta nuncius venit, ut obpugnatione
 absisteret : *æquius esse, Romanos milites, qui acie di-
 micassent cum Ætolis, præmia victoriæ habere.* Ita re-
 cessum ab Lamia est, et propinquæ clade urbis ipsi,
 ne quid simile paterentur, effugerunt.

U. C. 561.
 A. C. 191.

Lamiam
 Philippus
 obpugnat.

Jubetur ab
 ea recedere.

XXVI. Paucis, priusquam Heraclea caperetur,
 diebus, Ætoli, concilio Hypatam coacto, legatos ad
 Antiochum miserunt : inter quos et Thoas idem, qui
 antea, missus est. Mandata erant, ut ab rege pete-
 rent, primum, ut ipse, coactis rursus terrestribus na-
 valibusque copiis, in Græciam trajiceret ; deinde, si
 qua ipsum teneret res, ut pecuniam et auxilia mitte-
 ret : *id quum ad dignitatem ejus fidemque pertinere,
 non prodi socios, tum etiam ad incolumitatem regni,
 non sinere, Romanos, omni cura vacuos, quum Ætolo-*

U. C. 561. *rum gentem sustulissent, omnibus copiis in Asiam tra-*
 A. C. 191. *ficere.* Vera erant, quæ dicebantur : eo magis regem
 moverunt. Itaque in præsentia pecuniam, quæ ad
 usus belli necessaria erat, legatis dedit : auxilia ter-
 restria navaliaque adfirmavit missurum. Thoantem
 unum ex legatis retinuit, et ipsum haud invitum mor-
 rantem, ut exactor præsens promissorum adesset.

Ætoli
 de pace
 agunt.

XXVII. Ceterum Heraclea capta fregit tandem
 animos Ætolorum : et post paucos dies, quam ad
 bellum renovandum adiciendumque regem in Asiam
 miserant legatos, abjectis belli consiliis, pacis pe-
 tendæ oratores ad consulem miserunt. Quos dicere
 exsorsos consul interfatus, quum alia sibi prævertenda
 esse dixisset, redire Hypatam eos, datis dierum de-
 cem induciis, et L. Valerio Flacco cum iis misso,
 jussit : ei, quæ secum acturi fuissent, exponere, et
 si qua vellent alia. Hypatam ut est ventum, prin-
 cipes Ætolorum apud Flaccum concilium habue-
 runt ; consultantes, quonam agendum modo apud
 consulem foret. His parantibus antiqua fœderum or-
 diri, meritaque in populum Romanum, *absistere iis,*
 Flaccus jussit, *quæ ipsi violassent ac rupissent : con-*
fessionem iis culpæ magis profuturam, et totam in
preces orationem versam : nec enim in causa ipsorum,
sed in populi Romani clementia spem salutis positam
esse : et se suppliciter agentibus iis adfuturum, et apud
consulem, et Romæ in senatu : eo quoque enim mitten-
dos fore legatos. Hæc una via omnibus ad salutem
 visa est, *ut in fidem se permitterent Romanorum.* Ita
 enim et illis violandi supplices verecundiam se imposi-
 tuos : et ipsos nihilominus suæ potestatis fore, si quid
 melius fortuna ostendisset.

XXVIII. Postquam ad consulem ventum est,

Phæneas legationis princeps longam orationem, et varie ad mitigandam iram victoris compositam, ita ad extremum finivit, ut diceret; *Ætolos se suaque omnia fidei populi Romani permittere.* Id consul ubi audivit: *Etiam atque etiam videte,* inquit, *Ætoli, ut ita permittatis.* Tum decretum Phæneas, in quo id diserte scriptum erat, ostendit. *Quando ergo,* inquit, *ita permittitis, postulo, ut mihi Dicæarchum civem vestrum, et Menestam Epirotam,* (Naupactum is cum præsidio ingressus ad defectionem compulerat) *et Amyndrum cum principibus Athamanum, quorum consilio ab nobis defecistis, sine mora dedatis.* Prope dicentem interfatus Romanum Phæneas, *Non in servitute,* inquit, *sed in fidem tuam nos tradidimus: et certum habeo, te imprudentia labi, qui nobis imperes, quæ moris Græcorum non sint.* Ad hæc consul, *Nec, Hercle,* inquit, *magnopere nunc curo, quid Ætoli satis ex more Græcorum factum esse censeant: dum ego more Romano imperium inhibeam in deditos modo decreto suo, ante armis victos. Itaque, ni propere fit, quod impero, vinciri vos jam jubeo:* adferrique catenas, et circumstistere lictores jussit. Tum fracta Phæneæ ferocia, Ætolisque aliis est: et tandem, cujus conditionis essent, sensere, et, *se quidem,* Phæneas, *et qui adsint Ætolorum, scire facienda esse, quæ imperentur,* dixit; *sed ad decernenda ea concilio Ætolorum opus esse: ad id petere, ut decem dierum inducias daret.* Petente Flacco pro Ætolis, induciæ datæ; et Hypatam reductum est. Ubi quum in concilio delectorum, quos Apocletos vocant, Phæneas, et quæ imperarentur, et quæ ipsis prope accidissent, exposuisset: ingemuerunt quidem principes conditioni

U. C. 567.

A. C. 191.

Fidei pop.
Romani se
permittunt.Consulis
postulata.

U. C. 561. suæ, parendum tamen victori censebant, et ex
 A. C. 191. omnibus oppidis convocandos Ætolos ad concilium.

Exasperantur Ætoli.

XXIX. Postquam vero omnis coacta multitudo eadem illa audivit, adeo sævitia imperii atque indignitate exasperati animi sunt, ut, si in pace fuissent, illo impetu iræ concitari potuerint ad bellum. Ad iram accedebat et difficultas eorum, quæ imperarentur: *quonam modo enim utique regem Amyndrum se tradere posse?* Et spes forte oblata, quod Nicander, eo ipso tempore ab rege Antiocho veniens, inplevit expectatione vana multitudinem, terra marique ingens parari bellum. Is duodecimo die, quam conscenderat navem, in Ætoliæ, perfecta legatione, rediens Phalara in sinu Maliaco tenuit: inde Lamiam pecuniam quam devexisset, ipse cum expeditis vespera prima inter Macedonum Romanæque castra medio agro, dum Hypatam notis callibus petit, in stationem incidit Macedonum, deductusque ad regem est, nondum convivio dimisso. Quod ubi nunciatum est, velut hospitis, non hostis, adventu motus Philippus, adcumbere eum epularique jussum, atque inde, dimissis aliis, solum retentum, ipsum quidem de se timere quidquam vetuit. Ætolorum prava consilia, atque in ipsorum caput semper recidentia, accusavit: qui primum Romanos, deinde Antiochum in Græciam adduxissent. *Sed præteritorum, quæ magis reprehendi, quam corrigi, possint, oblitum se, non facturum, ut insultet adversis rebus eorum.* Ætolos quoque finire tandem adversus se odia debere; et Nicandrum privatim ejus diei, quo servatus a se foret, meminisse. Ita datis, qui in tutum cum prosequere-

rentur, Hypatam Nicauder consultantibus de pace Romana supervenit. U. C. 561.
A. C. 191.

XXX. M. Acilius, vendita, aut concessa militi circa Heracleam præda, postquam nec Hypatæ pacata esse consilia, et Naupactum concurrisse Ætolos, ut inde totum inpetum belli sustinerent, audivit; præmisso Ap. Claudio cum quatuor millibus militum ad occupanda juga, qua difficiles transitus montium erant, ipse Ætam adscendit, Herculi que sacrificium fecit in eo loco, quem Pyram, quod ibi mortale corpus ejus Dei sit crematum, adpellant: inde toto exercitu profectus reliquum iter satis expedito agmine fecit. Ut ad Coracem est ventum, (mons est altissimus inter Callipolin et Naupactum) ibi et jumenta multa ex agmine præcipitata cum ipsis oneribus sunt, et homines vexati. Et facile adparebat, quam cum inerti hoste res esset, qui tam inpeditum saltum nullo præsidio, ut clauderet transitum, insedisset. Tum quoque vexato exercitu, ad Naupactum descendit: et, uno castello adversus arcem posito, ceteras partes urbis, divisis copiis pro situ mœnium, circumsedidit: nec minus operis laborisque ea obpugnatio, quam Heracleæ, habuit.

XXXI. Eodem tempore et Messene in Peloponneso ab Achæis, quod concilii eorum recusaret esse, obpugnari cœpta est. Etenim duæ civitates, Messene et Elis, extra concilium Achaicum erant: cum Ætolis sentiebant. Elei tamen, post fugatum ex Græcia Antiochum, legatis Achæorum lenius respondebant; *dimisso præsidio regio, cogitaturos se, quid sibi faciendum esset.* Messenii, sine responso dimissis legatis, moverant bellum; trepidique rerum suarum, quum jam ager effuso exercitu passim ureretur, cas-

Consul
Naupac-
tum obsi-
det.

U. C. 561. traque prope urbem poni viderent, legatos Chalcidem
 A. C. 191. ad T. Quinctium, auctorem libertatis, miserunt, qui
 nunciarent, Messenios Romanis, non Achæis, et ape-
 rire portas, et dedere urbem paratos esse. Auditis le-
 gatis, extemplo profectus Quinctius, a Megalopoli
 ad Diophanem prætorem Achæorum misit, qui ex-
 templo reducere eum a Messene exercitum, et ve-
 nire ad se juberet. Dicto paruit Diophanes : et, so-
 luta obsidione, expeditus ipse, prægressus agmen,
 circa Andaniam, parvum oppidum, inter Megalopo-
 lim Messenenque positum, Quinctio obcurrit ; et,
 quum caussas obpugnationis exponeret, castigatum
 leniter, quod tantam rem sine auctoritate sua cona-
 tus esset, dimittere exercitum jussit, nec pacem om-
 nium bono partam turbare. Messeniis imperavit,
 ut exsules reducerent, et Achæorum concilii essent :
 si qua haberent, de quibus aut recusare, aut in pos-
 terum caveri sibi vellent, Corinthum ad se venirent.
 Diophanem concilium Achæorum extemplo sibi præ-
 bere jussit. Ibi, de Zacyntho intercepta per frau-
 dem insula questus, postulavit, ut restitueretur Ro-
 manis. Philippi Macedonum regis Zacynthus fue-
 rat : eam mercedem Amynandro dederat, ut per
 Athamaniam ducere exercitum in superiorem partem
 Ætoliæ liceret : qua expeditione fractis animis, Æ-
 tolos compulit ad petendam pacem. Amynander
 Philippum Megalopolitanum insulæ præfecit : postea
 per bellum, quo se Antiocho adversus Romanos con-
 junxit, Philippo ad munia belli revocato, Hieroclem
 Agrigentinum successorem misit.

Zacyn-
 thum re-
 petunt ab
 Achæis
 Romani.

XXXII. Is, post fugam ab Thermopylis Antio-
 chi, Amynandrumque a Philippo Athamania pul-
 sum, missis ultro ad Diophanem prætorem Achæo-

rum nunciis, pecuniam pactus, insulam Achæis tra-
didit. Id præmiun belli suum esse, æquum cense-
bant Romani: *non enim M. Acilium consulem legio-
nesque Romanas Diophani et Achæis ad Thermopylas
pugnasse.* Diophanes adversus hæc purgare inter-
dum sese gentemque; interdum de jure facti disse-
rere. Quidam Achæorum et initio eam se rem ad-
spernatos testabantur, et tunc pertinaciam increpi-
tabant prætoris: auctoribusque iis decretum est, ut
T. Quinctio ea res permitteretur. Erat Quinctius,
sicut adversantibus asper, ita, si cederes, idem pla-
cibilis. Omissa igitur contentione vocis vultusque,
*Si utilem, inquit, possessionem ejus insulæ censerem
Achæis esse, auctor essem senatui populoque Romano,
ut eam vos habere sinerent. Ceterum sicut testudinem,
ubi conlecta in suum tegumen est, tutam ad omnes ictus
video esse; ubi exserit partes aliquas, quodcumque nu-
davit, obnoxium atque infirmum habere; haud dissimi-
liter vos, Achæi, clausos undique mari, quæ intra Pe-
loponnesi sint terminos, ea et jungere vobis, et juncta
tueri facile; simul aviditate plura amplectendi hinc
excedatis, nuda vobis omnia, quæ extra sint, et expo-
sita ad omnes ictus esse.* Adsentiente omni concilio,
nec Diophane ultra tendere auso, Zacynthus Roma-
nis traditur.

XXXIII. Per idem tempus Philippus rex, profi-
ciscentem consulem ad Naupactum percunctatus, si
se interim, quæ defecissent ab societate Romana,
urbes recipere vellet, permittente eo, ad Demetria-
dem copias admovit, haud ignarus, quanta ibi tum
perturbatio esset. Destituti enim ab omni spe,
quum desertos se ab Antiocho, spem nullam in
Ætolis esse cernerent, dies noctesque aut Philippi
Demetrias
se Philippo
dedit.

U. C. 561.
A. C. 191.

U. C. 561. hostis adventum, aut infestio- rem etiam, quo justius
 A. C. 191. irati erant, Romanorum exspectabant. Turba erat
 ibi incondita regionum: qui, primo pauci in præsi-
 dio relictæ, postea plures, plerique inermes, ex præ-
 lio adverso fuga delati, nec virium, nec animi satis
 ad obsidionem tolerandam habebant: itaque præ-
 missis a Philippo, qui spem inpetrabilis veniæ osten-
 debant, responderunt, patere portas regi. Ad pri-
 mum ejus ingressum principum quidam urbe exces-
 serunt: Eurylochus mortem sibi conscivit. Antio-
 chi milites (sic enim pacti erant) per Macedoniam
 Thraciamque, prosequentibus Macedonibus, ne quis
 eos violaret, Lysimachiam deducti sunt. Erant et
 paucæ naves Demetriade, quibus præerat Isidorus:
 eæ quoque cum præfecto suo dimissæ sunt. Inde
 Dolopiam, et Aperantiam, et Perrhæbiæ quasdam
 civitates recepit.

Quinctius
 it Naupac-
 tum.

XXXIV. Dum hæc a Philippo geruntur, T.
 Quinctius, recepta Zacyntho ab Achaico concilio,
 Naupactum trajecit; quæ jam per duos menses (sed
 prope excidium erat) obpugnabatur, et, si capta vi-
 foret, omne ibi nomen Ætolorum ad internecionem
 videbatur venturum. Ceterum, quamquam merito
 iratus erat Ætolis, quod solos obtractasse gloriæ
 suæ, quum liberaret Græciam, meminerat, et nihil
 auctoritate sua motos esse, quum, quæ tum maxime
 acciderant, casura præmonens, a furioso incepto eos
 deterreret; tamen, sui maxime operis esse credens,
 nullam gentem liberatæ a se Græciæ funditus everti,
 obambulare muris, ut facile nosceretur ab Ætolis,
 cœpit. Confestim a primis stationibus cognitus est,
 vulgatumque per omnes ordines, Quinctium esse:
 itaque, concursu facto undique in muros, manus pro

se quisque tendentes, consonante clamore nomina- U. C. 561.
 tim Quinctium orare, ut opem ferret ac servaret. A. C. 191.
 Et tum quidem, quamquam moveretur his vocibus, Opem ejus
 manu tamen abnuit, quidquam opis in se esse. inplorant
 Cæ- Ætoli.
 terum, postquam ad consulem venit: *Utrum fefellit,*
inquit, te, M. Acili, quid agatur? an, quum satis per-
videas, nihil id magnopere ad summam rem pertine-
re censes? Erexerat expectatione consulem; et, Quin-
expromis, inquit, quid rei sit? Tum Quinctius: Ec-
quid vides, te, devicto Antiocho, in duabus urbibus ob-
pugnandis tempus terere, quum jam prope annus cir-
cumactus sit imperii tui? Philippum autem, qui non
aciem, non signa hostium vidit, non solum urbes, sed
tot jam gentes, Athamaniam, Perrhæbiam, Aperan-
tiam, Dolopiam, sibi adjunxisse? Atqui non tantum
interest nostra, Ætolorum opes ac vires minui, quan-
tum, non supra modum Philippum crescere, et victoria
tua præmium te militesque tuos nondum duas urbes,
Philippum tot gentes Græciæ habere.

XXXV. Adsentiebatur his consul: sed pudor, si
 irrito incepto abscederet obsidione, obcurrebat;
 tota inde Quinctio res permissa est. Is rursus ad
 eam partem muri, qua paullo ante vociferati Ætoli
 fuerant, rediit: ibi quum inpensins orarent, ut mi-
 screretur gentis Ætolorum, exire aliquos ad se jus-
 sit. Phæneas ipse principesque alii extemplo egressi
 sunt: quibus provolutis ad pedes, *Fortuna, inquit,*
vestra facit, ut et iræ meæ et orationi temperem. Eve-
nerunt, quæ prædixi eventura: et ne hoc quidem reliqui
robis est, ut indignis accidisse ea videantur. Ego ta-
men, sorte quadam nutriendæ Græciæ datus, ne ingra-
tis quidem benefacere absistam. Mittite oratores ad
consulem, qui inducius tantum temporis petant, ut mit-

U. C. 561. *tere legatos Romam possitis, per quos senatui de vobis*
 A. C. 191. *permittatis. Ego apud consulem deprecator defensor-*
 Legatos *que vobis adero. Ita, ut censuerat Quinctius, fece-*
 Romam *runt: nec adspernatus est legationem consul: indu-*
 mittunt. *ciisque in diem certam datis, qua legatio renunciari*
ab Roma posset, soluta obsidio est, et exercitus in
Phocidem missus. Consul cum T. Quinctio ad A-
chaicum concilium Ægium trajecit: ibi de Eleis et
de exsulibus Lacedæmoniorum restituendis actum:
et neutra perfecta res, quia suæ gratiæ reservari eam
Achæi, Elei per se ipsi, quam per Romanos, malue-
runt Achaico contribui concilio. Epirotarum le-
gati ad consulem venerunt, quos non sincera fide in
amicitia fuisse satis constabat: militem tamen nul-
lum Antiocho dederant: pecunia juvisse eum insi-
mulabantur; legatos ad regem ne ipsi quidem misis-
se inficiabantur. Iis petentibus, ut in amicitia pris-
*tina esse liceret, respondit consul, *Se utrum hostium,**
*an pacatorum, eos numero haberet, nondum scire. *Se-**
*natum ejus rei judicem fore. *Integram se causam eo-**
rum Romam rejicere: inducias ad id dierum nonagin-
ta dare. Epirotæ Romam missi senatum adierunt:
iis, magis, quæ non fecissent hostilia, referentibus,
quam purgantibus ea, de quibus arguebantur, re-
sponsum datum est, quo veniam inpetrasse, non
causam probasse, videri possent. Et Philippi regis
legati sub idem tempus in senatum introducti, gra-
tulantes de victoria: iis petentibus ut sibi sacrificare
in Capitolio, donumque ex auro liceret ponere in
æde Jovis Optimi Maximi, permissum ab senatu:
centum pondo coronam auream posuerunt. Non
responsum solum benigne legatis est; sed Philippi
quoque filius Demetrius, qui obses Romæ erat, ad

patrem reduendus legatis datus est. Bellum, quod ^{U. C. 561.} cum Antiocho rege in Græcia gestum est a M. Acilio ^{A. C. 191.} consule, hunc finem habuit.

XXXVI. Alter consul P. Cornelius Scipio, Galliam provinciam sortitus, priusquam ad bellum, quod cum Boliis gerendum erat, proficisceretur, postulavit ab senatu, ut pecunia sibi decerneretur ad ludos, quos proprætor in Hispania inter ipsum discrimen pugnæ vovisset. Novum atque iniquum postulare est visus: censuerunt ergo, *quos ludos inconsulto senatu ex sua unius sententia vovisset, eos uti de manubiis, si quam pecuniam ad id reservasset, vel sua ipse impensa faceret*: eos ludos per dies decem P. Cornelius fecit. Per idem fere tempus ædes Matris Magnæ Idææ dedicata est: quam Deam is P. Cornelius, advectam ex Asia P. Cornelio Scipione, cui post Africano fuit cognomen, P. Licinio consulibus, in Palatium a mari detulerat. Locaverant ædem faciendam ex senatusconsulto M. Livius, C. Claudius censores, M. Cornelio, P. Sempronio consulibus: tredecim annis post, quam locata erat, dedicavit eam M. Junius Brutus, ludibundè dedicationem ejus facti, quos primos scenicos fuisse, Antias Valerius est auctor, Megalesia adpellatos. Item Juventatis ædem in circo maximo C. Licinius Lucullus duumvir dedicavit. Voverat eam sexdecim annis ante M. Livius consul, quo die Hasdrubalem exercitumque ejus cecidit: idem censor eam faciendam locavit, M. Cornelio, P. Sempronio consulibus. Hujus quoque dedicandæ causa ludi facti: et eo omnia cum majore religione facta, quod novum cum Antiocho instabat bellum.

XXXVII. Principio ejus anni, quo hæc, jam

U. C. 561. profecto ad bellum M. Acilio, manente adhuc Ro-
 A. C. 191. mæ P. Cornelio consule, agebantur, boves duos do-
 mitos in Carinis per scalas pervenisse in tegulas ædi-
 ficii, proditum memoriæ est. Eos vivos comburi,
 cineremque eorum dejici in Tiberim, aruspices jus-
 serunt. Tarracinæ et Amiterni nunciatum est ali-
 quoties lapidibus pluisse: Minturnis ædem Jovis et
 tabernas circa forum de cælo tactas esse; Vulturni
 in ostio fluminis duas naves fulmine ictas conflagras-
 se. Eorum prodigiorum caussa libros Sibyllinos ex
 senatusconsulto decemviri quum adissent, renuncia-
 runt, *Jejunium instituendum Cereri esse, et id quinto*
quoque anno servandum: et ut novendiale sacrum fe-
ret, et unum diem supplicatio esset: coronati supplica-
rent; et consul P. Cornelius, quibus Diis, quibusque
hostiis edidissent decemviri, sacrificaret. Placatis Diis,
 nunc votis rite solvendis, nunc prodigiis expiandis,
 in provinciam proficiscitur consul, atque inde Cn.
 Domitium proconsulem, dimisso exercitu, Romam
 decedere jussit: ipse in agrum Boiorum legiones in-
 duxit.

XXXVIII. Sub idem fere tempus Ligures, lege
 a Minucio. *Figures fusi* sacrata coacto exercitu, nocte improviso castra Q.
 Minucii proconsulis adgressi sunt. Minucius usque
 ad lucem intra vallum militem instructum tenuit;
 intentus, ne qua transcederet hostis munimenta.
 Prima luce duabus simul portis eruptionem fecit:
 nec primo impetu, quod speraverat, Ligures pulsi
 sunt: duas amplius horas dubium certamen susti-
 nuere. Postremo, quum alia atque alia agmina
 erumperent, et integri fessis succederent ad pugnam,
 tandem Ligures, inter cetera etiam vigiliis confecti,
 terga dederunt: cæsa supra quatuor millia hostium;

ex Romanis sociisque minus trecenti perierunt. U. C. 561.
 Duobus fere post mensibus P. Cornelius consul A. C. 191.
 cum Boiorum exercitu signis conlatis egregie pug- Boii cæsi a
 navit. Duodetriginta millia hostium cæsa, Antias P. Cornelio.
 Valerius scribit; capta tria millia et quadringentos;
 signa militaria centum viginti quatuor; equos mille
 ducentos triginta; carpenta ducenta quadraginta
 septem: ex victoribus mille quadringentos octoginta
 quatuor cecidisse. Ubi ut in numero scriptori pa-
 rum fidei sit, (quia in augendo eo non alius intem-
 perantior est) magnam victoriam fuisse adparet,
 quod et castra capta sunt, et Boii post eam pugnam
 extemplo dediderunt sese, et quod supplicatio ejus
 victoriæ causa decreta ab senatu, victimæque ma-
 jores cæsæ.

XXXIX. Per eosdem dies M. Fulvius Nobilior
 ex ulteriore Hispania ovans urbem est ingressus:
 argenti transtulit duodecim millia pondo; bigati ar-
 genti centum triginta: auri centum viginti septem
 pondo. P. Cornelius consul primo, obsidibus a Boi-
 orum gente acceptis, agri parte fere dimidia eos mul-
 tavit: quo, si vellet, populus Romanus colonias
 mittere posset. Inde, Romam, ut ad triumphum
 haud dubium, decedens, exercitum dimisit, et adesse Trium-
 Romæ ad diem triumphi jussit: ipse, postero die, phum petit
 quam venit, senatu in ædem Bellonæ vocato, quum Scipio.
 de rebus ab se gestis disseruisset, postulavit, ut sibi
 triumphanti liceret in urbem invehi. P. Sempronius
 Blæsus tribunus plebis, non negandum Scipioni, sed Blæsus tri-
 differendum honorem triumphi, censebat. *Bella Ligu- bunus ple-
rum Gallicis semper juncta fuisse: eas inter se gentes bis differen-
mutua ex propinquo ferre auxilia. Si P. Scipio, de- dum censet.
*victis acie Boiis, aut ipse cum victore exercitu in agrum**

U. C. 561. *Ligurum transisset, aut partem copiarum Q. Minucio*
 A. C. 191. *misisset, qui jam tertium ibi annum dubio detineretur*
bello, debellari cum Liguribus potuisse. Nunc ad tri-
umphum frequentandum deductos esse milites, qui egre-
giam navare operam reipublicæ potuissent: possent
etiam, si senatus, quod festinatione triumphi præter-
missum esset, id restituere differendo triumpho vellet.
Juberent, consulem cum legionibus redire in provin-
ciam; dare operam, ut Ligures subigantur. Nisi illi
cogantur in jus judiciumque populi Romani, ne Boios
quidem quieturos: aut pacem, aut bellum utrobique ha-
benda. Devictis Liguribus, paucos post menses procon-
sulem P. Cornelium multorum exemplo, qui in magis-
tratu non triumphaverunt, triumphaturum esse.

XL. Ad ea consul, *Neque se Ligures provinciam*
sortitum esse, ait, neque cum Liguribus bellum gessisse,
neque triumphum de iis postulare: Q. Minucium confi-
dere brevi, subactis iis, meritum triumphum postulatu-
rum atque inpetraturum esse. Se de Gallis Boiis pos-
tulare triumphum, quos acie vicerit, castris exuerit:
quorum gentem biduo post pugnam totam acceperit in
deditionem: a quibus obsides abduxerit, pacis futurae
pignus. Verum enimvero illud multo majus esse, quod
tantum numerum Gallorum occiderit in acie, quod cum
tot millibus certe Boiorum nemo ante se imperator
pugnaverit: plus partem dimidiam ex quinquaginta
millibus hominum cæsam, multa millia capta: senes
puerosque Boiis superesse. Itaque id quenuquam mirari
posse, cur victor exercitus, quum hostem in provincia
neminem reliquisset, Romam venerit ad celebrandum
consulis triumphum? Quorum militum si et in alia
provincia opera uti senatus velit; utro tandem modo
promtiores ad aliud periculum novumque laborem itu-

ros credat, si persoluta iis sine detractatione prioris ^{U. C. 561.}
 periculi laborisque merces sit, an si spem pro re feren- ^{A. C. 191.}
 tes dimittant, jam semel in prima spe deceptos? Nam,
 quod ad se adtineat, sibi gloriæ in omnem vitam illo
 die satis quæsitum esse, quo se virum optimum judica-
 tum ad accipiendam Matrem Idæam misisset senatus.
 Hoc titulo, etsi nec consulatus nec triumphus adjicitur,
 satis honestam honoratamque P. Scipionis Nasicæ ima-
 ginem fore. Universus senatus non ipse modo ad ^{Consul}
 decernendum triumphum consensit, sed etiam tri- ^{inpetrat.}
 bunum plebis auctoritate sua compulit ad remitten-
 dam intercessionem. P. Cornelius consul triumphavit
 de Boiis: in eo triumpho Gallicis carpentis arma
 signaque et spolia omnis generis transvexit, et vasa
 ænea Gallica: et cum captivis nobiles equorum
 quæque captorum gregem traduxit. Aureos torques
 transtulit mille quadringentos septuaginta unum: ad
 hoc auri pondo ducenta quadraginta septem, argenti
 infecti factique in Gallicis vasis, non infabre suo
 more factis, duo millia trecenta quadraginta pondo,
 bigatorum nummorum ducenta triginta quatuor:
 militibus, qui currum secuti sunt, trecenos vicenos
 quinos asses divisit; duplex centurioni; triplex
 equiti. Postero die, concione advocata, de rebus ab
 se gestis, et de injuria tribuni bello alieno se inli-
 gantis, ut suæ victoriæ fructu se defraudaret, quum
 disseruisset, milites exauctoratos dimisit.

XLI. Dum hæc in Italia geruntur, Antiochus E-
 phesi securus admodum de bello Romano erat, tam-
 quam non transituris in Asiam Romanis: quam se-
 curitatem ei magna pars amicorum aut per errorem,
 aut adsentando faciebat. Hannibal unus, cujus eo
 tempore vel maxima apud regem auctoritas erat,

U. C. 561. *Magis mirari se, aiebat, quod non jam in Asia essent*
 A. C. 191. *Romani, quam venturos dubitare. Propius esse, in*
Asiam ex Græcia, quam ex Italia in Græciam trajicere:
et multo majorem caussam Antiochum, quam Ætolos,
esse. Neque enim mari minus, quam terra, pollere
Romana arma: jampridem classem circa Maleam esse.
Audire sese, nuper novas naves novumque imperatorem
rei gerendæ caussa ex Italia venisse. Itaque desineret
Antiochus pacem sibi ipse spe vana facere. In Asia, et
de ipsa Asia, brevi terra marique dimicandum ei cum
Romanis esse: et aut imperium adimendum orbem ter-
rarum adfectantibus, aut ipsi regnum amittendum.
 Unus vera et providere, et fideliter prædicere visus:
 itaque ipse rex navibus, quæ paratæ instructæque
 erant, Chersonesum petit; ut ea loca, si forte terra
 venirent Romani, præsidiiis firmaret: ceteram clas-
 sem Polyxenidam parare et deducere jussit; spe-
 culatorias naves ad omnia exploranda circa insulas
 dimisit.

Classis
 Romana.

XLII. C. Livius præfectus Romanæ classis, cum
 quinquaginta navibus tectis profectus, ab Roma
 Neapolim, quo ab sociis ejus oræ convenire jusserat
 apertas naves, quæ ex fœdere debebantur, Siciliam
 inde petit: fretoque Messanam prætervectus, quum
 sex Punicas naves ad auxilium missas accepisset, ab
 Rheginis Locrisque et ejusdem juris sociis debitas
 exegisset naves, lustrata classe ad Lacinium, altum
 petit. Coreyram, quam primam Græciæ civitatum
 adiit, quum venisset, percunctatus de statu belli,
 (necdam enim omnia in Græcia perpacata erant) et
 ubi classis Romana esset, postquam audivit, circa
 Thermopylarum saltum in statione consulem ac
 regem esse, classem Piræci stare, maturandum ratus

omnium rerum caussa, pergit protinus navigare U. C. 561.
 Peloponnesum. Samem Zacynthumque, quia partis A. C. 191.
 Ætolorum maluerant esse, protinus depopulatus,
 Maleam petit: et, prospera navigatione usus, paucis
 diebus Piræum ad veterem classem pervenit. Ad
 Scyllæum Eumenes rex cum tribus navibus obcurrit;
 quum Æginæ diu incertus consilii fuisset, utrum ad
 tuendum rediret regnum, (audiebat enim Antiochum
 Ephesi navales terrestresque parare copias) an nus-
 quam abscederet ab Romanis, ex quorum fortuna
 sua penderet. A Piræo A. Atilius, traditis succes-
 sori quinque et viginti navibus tectis, Romam est
 profectus. Livius una et octoginta rostratis navi-
 bus, multis præterea minoribus, quæ aut apertæ ros-
 tratæ, aut sine rostris speculatoriæ erant, Delum
 trajecit.

XLIII. Eo fere tempore consul Acilius Naupac-
 tum obpugnabat. Livium Deli per aliquot dies (et
 est ventosissima regio inter Cycladas, fretis alias
 majoribus, alias minoribus divisas) adversi venti te-
 nuerunt. Polyxenidas, certior per dispositas spe-
 culatorias naves factus, Deli stare Romanam clas-
 sem, nuncios ad regem misit: qui, omissis, quæ in
 Hellesponto agebat, cum rostratis navibus, quantum
 adcelerare potuit, Ephesum rediit: et consilium ex-
 templo habuit, faciendumne periculum navalis cer-
 tamini foret. Polyxenidas negabat cessandum: *et* Antiochus
utique prius confligendum, quam classis Eumenis et cum ea
Rhodiæ naves conjungerentur Romanis: ita numero pugnandum decer-
non ferme in pares futuros se, ceteris omnibus superiores, nit.
et celeritate navium, et varietate auxiliorum. Nam
Romanas naves, quum ipsas inscite factas immobiles
esse, tum etiam, ut quæ in terram hostium veniant,

U. C. 561. *oneratas commeatu venire: suas autem, ut pacata omnia circa se relinquentes, nihil præter militem atque arma habituras: multum etiam adjuturam notitiam maris terrarumque et ventorum: quæ omnia ignaros turbatura hostes essent.* Movit omnes auctor consilii, qui et re consilium exsecuturus erat. Biduum in adparatu morati: tertio die centum navibus, quarum septuaginta tectæ, ceteræ apertæ, minoris omnes formæ, erant, profecti Phocæam petierunt: inde, quum audisset, adpropinquare jam Romanam classem, rex, quia non interfuturus navali certamini erat, Magnesiam, quæ ad Sipylum est, concessit, ad terrestres copias comparandas: classis ad Cyssuntem portum Erythræorum, tamquam ibi aptius expectatura hostem, contendit. Romani, ubi primum aquilonem (ii namque per aliquot dies tenerant) cecidere, ab Delo Phanas, portum Chiorum in Ægæum mare versum, petunt: inde ad urbem circumegere naves, commeatuque sunt, Phocæam trajiciunt. Eumenes, Elæam ad suam classem profectus, paucis post inde diebus, cum quatuor et viginti navibus tectis, apertis pluribus, paullo a Phocæa ad Romanos, parantes instruensque se ad navale certamen, rediit. Inde centum quinquaginta tectis navibus, apertis ferme quinquaginta, profecti, primo, aquilonibus transversis quum urgerentur in terram, cogeantur tenui agmine prope in ordinem singulæ naves ire; deinde, ut lenita paulum vis venti est, ad Corycum portum, qui super Cyssuntem est, conati sunt trajicere.

Pugna
navalis.

XLIV. Polyxenidas, ut adpropinquare hostes adlatum est, occasione pugnandi lætus, sinistrum ipse cornu in altum extendit, dextrum cornu præfectos

navium ad terram explicare jubet, et æqua fronte ad pugnam procedebat. Quod ubi vidit Romanus, vela contrahit, malosque inclinat, et, simul armamenta componens, obperitur insequentes naves. Jam ferme triginta in fronte erant, quibus ut æquaret lævum cornu, dolonibus erectis altum petere intendit: jussis, qui sequebantur, adversus dextrum cornu prope terram proras dirigere. Eumenes agmen cogebat: ceterum, ut demendis armamentis tumultuari primum cœptum est, et ipse, quanta maxima celeritate potest, concitat naves. Jam omnibus in conspectu erant: duæ Punicæ naves antecedeabant Romanam classem, quibus obviæ tres fuerunt regiæ naves; et ut in numero impari, duæ regiæ unam circumstant: et primum ab utroque latere remos dertergunt: deinde transcendunt armati, et, dejectis cæsisque propugnatoribus, navem capiunt. Una, quæ compari Marte concurrerat, postquam captam alteram navem vidit, priusquam a tribus simul circumveniretur, retro ad classem refugit. Livius, indignatione accensus, prætoria nave in hostes tendit: adversus quam eadem spe duæ, quæ Punicam unam navem circumvenerant, quum inferrentur, demittere in aquam remos ab utroque latere remiges stabilendæ navis causa jussit, et in advenientes hostium naves ferreas manus injicere, et, ubi pugnam pedestri similem fecisset, meminisse Romanæ virtutis, nec pro viris ducere regia mancipia. Haud paullo facilius, quam ante duæ unam, tunc una duas naves expugnavit, cepitque. Et jam classes quoque undique concurrerant, et passim permixtis navibus pugnebatur. Eumenes, qui extremus commisso certamine advenerat, ut animadvertit lævum cornu hos-

U. C. 561.

A. C. 191.


U. C. 561. tium ab Livio turbatum, dextrum ipse, ubi æqua
A. C. 191. pugna erat, invadit.

Vincunt
Romani.

XLV. Nec ita multo post primum ab lævo cornu fuga cœpit. Polyxenidas enim, ut virtute militum haud dubie superari se vidit, sublatis dolonibus effuse fugere intendit: mox idem et, qui prope terram cum Eumene contraxerant certamen, fecerunt. Romani et Eumenes, quoad subficere remiges potuerunt, et in spe erant extremi agminis vexandi, satis pertinaciter secuti sunt: postquam celeritate navium, utpote levium, suas commeatu onustas eludi frustra tendentes viderunt, tandem abstiterunt: tredecim captis navibus cum milite ac remige, decem demersis. Romanæ classis una Punica navis, in primo certamine ab duabus circumventa, periit. Polyxenidas non prius, quam in portu Ephesi, fugæ finem fecit. Romani eo die, unde egressa regia classis erat, manserunt: postero die hostem persequi intenderunt: medio fere in cursu obviam fuere iis quinque et viginti tectæ Rhodiæ naves, cum Pausistrato præfecto classis. Iis adjunctis, Ephesum hostem persecuti, ante ostium portus acie instructa steterunt. Postquam confessionem victis satis expresserunt, Rhodii et Eumenes domos dimissi: Romani, Chium petentes, Phœnicuntem primum portum Erythrææ terræ prætervecti, nocte anchoris jactis, postero die in insulam ad ipsam urbem trajecerunt: ubi paucos dies remige maxime reficiendo morati, Phocæam transmittunt. Ibi relictis ad præsidium urbis quatuor quinquereimis, ad Canas classis venit: et, quum jam hiems adpeteret, fossa valloque circumdatis naves subductæ. Exitu anni comitia Romæ habita, quibus creati sunt consules L.


Cornelius Scipio et C. Lælius, intuentibus cunctis ad finiendum cum Antiocho bellum. Postero die prætores creati, M. Tuccius, L. Aurunculeius, Cn. Fulvius, L. Æmilius, P. Junius, C. Atinius Labeo.


FINIS TOM. III.











PA
6452
A2
1800
t.3

Livius, Titus
Historiarum quae
supersunt

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

